



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


Ar 297

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



30256






THEOLOGIA

MORALIS

S. ALPHONSI DE LIGORIO.



THEOLOGIA

MORALIS

S. Alphonsi De Rigorio,

FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS AC OLIM EPISCOPI S. AGATHÆ GOTHORUM.

ACCEDUNT :

1. Dissertatio P. Zachariæ in S. Alphonsi theolog. mor.
2. Praxis confessarii ad benè excipiendas confessiones.
3. Examen Ordinandorum.
4. Epitome doctrinæ moralis et canonicæ ex operibus Benedicti XIV.
5. Decreta Romanorum Pontificum et Propositiones damnatæ.
6. Appendix I. De Privilegiis, scilicet Episcoporum, Ecclesiasticorum et Religiosorum.
7. Appendix II. De prohibitione Librorum nocivorum.
8. Elenchus quæstionum reformatarum ab Auctore.
9. Index I. Auctorum, qui hoc in Opere citantur.
10. Index II. Caputum et dubiorum.
11. Index III. Rerum notabilium, quæ in toto Opere continentur.

EDITIO NOVISSIMA, OMNIUM ACCURATIOR, COLLATA CUM EDITIONIBUS VENETIS, ROMANIS ET BASSANENSIBUS AC CONTINENS QUIDQUID AUCTOR IN CÆTERIS ADDIDIT, REFORMAVIT VEL EXPLICAVIT.

Plurima in aliis Editionibus omissa restituenda, citationes innumeras corrigendas, permulta impressione corrupta castiganda et annotationes necessarias addendas

CURAVIT

P. MICH. HEILIG,

CONGR. SS. REDEMP. PRESBYTER ET PROFESSOR THEOL. MOR.

TOMUS QUINTUS,


CONTINENS TRACTATUS DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS, DE SACRAMENTIS IN GENERE ET DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

A LIB. 5. NUM. 83. AD LIB. 6. NUM. 188. INCLUS.

MECHLINIÆ.

P. J. HANICQ, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYFOGRAPHUS.

M. D. CCC. XLV.



THEOLOGIA MORALIS.

LIBRI QUINTI

CAPUT II.

DE STATU CLERICORUM.

« **C**LERICI generaliter dicuntur illi, qui sacris ordinibus,
» vel primâ saltem tonsurâ sunt initiati. Ad quorum statum
» cum multa pertineant, de quibus alibi agendum, hic age-
» mus de beneficiis ecclesiasticis, horis canonicis, et aliis
» paucis. »

DUBIUM I.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex beneficium ecclesiasticum ?

83 *Quid est beneficium ?*

84 *Quotuplex est ?*

83. — « **R**ESP. 1. Beneficium ecclesiasticum est jus per-
» petuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter
» officium aliquod spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.
» Ita *Laymann l. 4. t. 2. c. 1. Less. l. 2. c. 34. d. 1.*

Dicitur 1. *jus perpetuum* : ad excludendam vicariam et
Tom. V.

commendam temporalem : quæ non sunt beneficia , de quibus canones loquuntur.

« Dicitur 2. *jus perpetuum* : quia in beneficio duo jura à se mutuo separabilia distinguuntur : 1. Est, jus seu potestas exercendi muneris spiritualis, estque simpliciter spirituale. Alterum est jus percipiendi redditus ecclesiasticos : quod etsi secundum se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali, eique annexum est, spiritualitatem aliquam participat.

« Dicitur 3. *auctoritate Ecclesiæ, etc.*, quia solius prælati est officia in Ecclesia instituere, eisque proventus ecclesiasticos annectere ; ipsiusque est respicere, quot, et qualibus ministris Ecclesia egeat.

84. — « Resp. 2. Beneficium dividitur 1. in sæculare, quod pro sæcularibus, et regulare, quod pro regularibus est institutum. Unde sine dispensatione, nec sæculare regulari, nec contra conferri potest. Porro omne beneficium præsumitur esse sæculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam 40 annorum, per eam enim ex sæculari fit regulare, et contra.

» 2. Beneficium aliud est duplex, aliud simplex. Duplex dicitur, quod est cum administratione, ut Papatus, Episcopatus, et omnia quæ dicuntur dignitatis, hoc est, quæ habent præeminentiam, cum jurisdictione in foro externo, ut præpositura, decanatus, archidiaconatus, abbatia sive sæcularis sive regularis, prioratus claustralis. Item personatus, qui est eminentia in Ecclesia sine jurisdictione, v. gr. locus honorificus in choro, in processionibus, suffragiis ferendis, ut cantoria et similes. Item beneficia, quæ dicuntur officia, habentque administrationem rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut custos, thesaurarius, primicerius, archipresbyter. Denique duplicia dicuntur beneficia curata; hæc enim omnia duplici onere, et curâ constructa censentur, cum præter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam administrationem, et eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantum sunt instituta ad officia divina obeunda, neque administrationem, vel eminentiam singularem habent; ut canonicatus sive sæculares, sive regulares, capellanæ. Vide *Laym. c. 4. n. 4. et Less. l. 2. c. 54. d. 2.*

ARTICULUS II.

Quomodo acquirantur, et conferantur beneficia?

- 85 *Quibus modis acquirantur beneficia?*
 83 *Quinam sint proprii collatores beneficiorum?*
 87 *Quid, et quotuplex sit jus patronatus?*
 88 *Quando patronus teneatur presentare?*
 89 *An pendente lite currat tempus presentationis?*
 90 *Quid faciendum, si multi presententur?*
 91 *An peccent graviter non presentantes digniores ad beneficia?*
Certum est de promoventibus ad cardinalatus, et episcopatus?
 92 *Id certum est etiam de Episcopis non eligentibus digniores ad parochias.*
 93 *Quid, si electio fit ad beneficia simplicia? usque ad 96.*
 97 *An patroni non presentantes digniores peccent graviter?*
 98 *An ad idem teneantur resignantes?*
 99 *Verior sententia.*
 100 *An eligendi digniores ad prelaturas regulares?*
 101 *Vera sententia.*
 102 *An electio digni, omisso digniori, sit valida?*
 103 *Probabilior sententia.*
 104 *An Episcopi digniores sint transferendi ad majores Ecclesias?*
Et quaeritur hic, an translatio Episcoporum vetetur jure divino?
 105 *Quid, si adsit justa causa?*
 106 *An eligentes minus dignum teneantur ad restitutionem? Et cui?*
 107 *An sententia negativa sit probabilis?*
 108 *An teneantur ad restitutionem id suadentes?*
 109 *Quid, si beneficium conferatur per concursum?*
 110 *An eo casu minus dignus electus teneatur resarcire damnum Ecclesiae, vel digniori?*
 111 *An examinatores teneantur denunciare digniores?*

85. — « **R**ESP. 1. Beneficia ecclesiastica uno ex tribus modis communiter acquiruntur: 1. Per *electionem*, v. gr. canonicorum; vel etiam *postulationem* (quæ est electio ejus, qui non erat de capitulo, vel de jure non erat capax), et confirmationem superioris, si electum, vel postulatum idoneum esse intelligat. 2. Per *presentationem* patroni præviam, et institutionem subsequutam à prælato Ecclesiæ fa-

» etiam, si præsentatus sit idoneus. Etsi verò patronus præ-
 » sentato jus ad rem conferat, ita ut beneficium alteri con-
 » ferri nequeat, jus tamen in re, et collatio beneficii per
 » institutionem datur. 3. Per *collationem liberam*, quando
 » beneficium solo jure prælati datur, nec patronatùs juri sub-
 » est. Unde etiam beneficia ex modo conferendi dividuntur in
 » electiva, patronata, et libera.

86. — « Resp. 2. In qualibet diœcesi Episcopus est proprius
 » collator beneficiorum, nisi ex legitima præscriptione hoc jus
 » alteri competat: supremus autem, et universalis collator
 » omnium beneficiorum non patronatorum est Papa. *Less. l. 2.*
 » *c. 34. d. 10.* Ratio prioris est, quia Episcopus in sua diœcesi est
 » moderator sacrorum: ergò ipsius est officia sacra conferre.
 » Ratio posterioris est, quia Papa est supremus dispensator
 » bonorum ecclesiasticorum, et Ordinarius Ordinariorum. Po-
 » test autem Papa tribus modis beneficia conferre: 1. Jure
 » præventionis. 2. Jure concursûs. 3. Jure devolutionis, *de*
 » *quibus vide Less. l. c.* ubi notat, jure præventionis, et con-
 » cursûs ad vitandas lites rariùs Papam uti, imò per concor-
 » data Germaniæ inter Sedem apostolicam, et *Fredericum*
 » Imperatorem, per constitutionem *Nicolai V.* quæ incipit,
 » *Ad sacra, etc.*, alterni tantùm menses Papæ collationi reser-
 » vantur, scilicet *Januarius, Martius, etc.*; reliqui verò Or-
 » dinariis collatoribus relinquuntur. Imò, si per tres menses,
 » à die notæ vacationis, in loco beneficii nulla dispositio,
 » vel gratia Papæ appareat, Ordinarius conferre potest. Simi-
 » liter, mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat. *Less. l. c. Laym.*
 » *c. 10.* Quòd si autem Pontifex, et Ordinarius eodem dieidem
 » beneficium diversis contulerint, et neutrius collationis prio-
 » ritas appareat, præferendus est, qui invenitur in posses-
 » sione, quia pro eo jus præsumit. Si neuter est in posses-
 » sione, præfertur provisorius à Pontifice, ob dignitatem pro-
 » visoris. *Barb. et Bard. d. 6. c. 6. §. 10. ex c. Si à Sede. De-*
 » *nique, si ultima nocte mensis episcopalis beneficium cœperit*
 » *vacare, in dubio, utrùm ante, an post mediam noctem,*
 » *quâ incipit mensis papalis, si nemo sit in possessione, nec*
 » *ulla provisio, præsumptio juris est pro Ordinario. Gonzal.*
 » *Barbos. Bard. d. 6. c. 6. §. 11.*

87. — « Quæres 1. Quid, et quotuplex sit jus patronatùs?
 » Resp. 1. Esse potestatem præsentandi ad beneficium ec-

» clesiasticum vacans. Resp. 2. Esse duplex, scilicet jus patronatûs ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis ecclesiasticis; et jus patronatûs laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. *Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 2. et 4.*

88. — « Quæres 2. Quando patronus teneatur præsentare, beneficio vacante? Respond. Si patronatus sit laicus, tenèri intra 4 menses: » (*Ex c. Quoniam, de jure patron.*) « Si ecclesiasticus, intra 6. » (*Ex c. unico. §. Verum, de jure patron. in 6. Si mixtus, etiam intra 6. ut Salm. tr. 28. de benef. eccl. c. unic. punct. 8. §. 5. num. 275.*) « intra quos nisi fiat præsentatio, beneficium fit liberum, ejusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cujus est instituere præsentatum.

89. — Quæritur hic, an currat tempus præsentationis, quando vertitur lis super jure patronatûs? Nega, si lis sit inter Episcopum, et patronum, vel inter ipsos præsentatos. Secus, si lis sit inter patronos, verbi gratiâ si non conveniunt in præsentando; vel si contenditur, cui competat jus præsentandi. *Salm. ibid. n. 277. cum Azor. Zer. etc. ex c. Quoniam, de jure patron.* Notant tamen *Salm. ib. cum Barb.* Episcopum tempus designatum posse per alios 6 menses prorogare, sed non ampliùs, *ex c. 2. de Conces. præb.*

90. — « Quæres 3. Quid faciendum, si multi præsententur?

« Resp. 1. Si patronus, qui antea præsentavit Petrum, præsentet postea Paulum, velitque hunc præferri, poterit prælatius instituere utrum maluerit, si patronatus sit laicus: quia tunc præsentatio secunda non facit irritam primam, nec contrà. Si tamen patronatus sit ecclesiasticus, prior tempore erit potior jure, *ex cap. Cùm autem, de jure patronatus.* Resp. 2. Si ex duobus patronis, alter Petrum, alter Joannem præsentet, potest collator conferre utri maluerit.» (*Sed præferre debet digniorem, etsi à minore parte patronorum præsentatum, ex cap. Quoniam, de jure patr. Vide alia infra ex n. seq.*) « Imo juxta *Sylv.* Episcopus tunc tertio conferre potest, eò quòd patroni non conveniant. Resp. 3. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus, in quem plures conveniunt. *Vide Less. l. c. d. 8. Laym. l. c.*

91. — Hic oportet plures quæstiones discutere scitu maximè necessarias circa collationem beneficiorum.

Quær. I. An sit obligatio eligendi digniores ad beneficia? Certum est 1. nullo modo excusari à peccato mortali eos, qui promovent minùs dignos ad episcopatus, et cardinalatus. Habetur hoc ex *Trid. sess. 24. c. 1. de Ref.* ubi declaratur: *Omnes verò et singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quæcumque ratione à Sede apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant.... in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos pastores, et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovèri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Ex quo patet peccare quidem graviter Pontifices, et reges, qui ad præfatas dignitates non digniores promovent. Ratio, quia cùm beneficia, seu dignitates prædictæ, sint instituta ad commune bonum Ecclesiæ, multum ipsi detrahunt, qui prætermittunt eligere magis idoneos ad Ecclesiarum regimen. Confirmatur ex proposit. 47. damn. ab *Innocent. XI.* quæ dicebat: *Cùm dicit concilium Tridentinum alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles judicaverint, ad Ecclesias promovent, concilium vel primò videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò locutione minùs proprià ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

92. — Certum est 2. quòd Episcopi ad beneficia curata pariter tenentur digniores eligere. Ratio est eadem quæ suprâ declarata est, cùm ad parochos etiam pertineat salus animarum. Et hoc pariter constat ex c. 18. *Trident. ejusdem sess. 24.* ubi dicitur: *Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* Ex verbis autem Tridentini primo loco relatis quos Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, rectè inferunt cum *S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. Salm. tr. 28. de benefic. eccl. c. unic. punct. 8. §. 5. n. 307. in med. cum Soto, Cajet. etc.* quòd major dignitas eligendorum non accipienda est absolutè, sed respectivè ad utilitatem Ecclesiæ, et fidelium. Cæteris autem paribus, dicunt *Salm. l. c. cum Barb. Hurt.*

etc. censendum esse digniorem 1. Qui est senior. 2. Qui de suis bonis fundavit Ecclesiam. 3. Sacerdos in concursu non sacerdotis. 4. Originarius respectu extranei. 5. Graduatús in aliqua scientia. 6. Qui præditus est majori sanctitate, aut prudentiâ, præferendus est ei qui solâ scientiâ præeminet. 7. Potens et nobilis, quia hæc solent non parùm conducere ad Ecclesiæ bonum. 8. Pauper præferendus est diviti. Ultimò notant *Pass. Leur. et Sigism. apud Croix l. 4. n. 594*: quòd si quis sit probabiliter dignior, sed dubiè minùs dignus altero qui est certè dignus, potest hic certè dignus præferri.

93. — Dubitatur 1. an peccent mortaliter Episcopi eligentes minùs dignos ad beneficia simplicia omissis dignioribus? Adest duplex sententia.

Prima sententia probabilis negat, quia, cùm beneficia non sint instituta (saltem primariò) in bonum singulorum, sed in utilitatem communitatis, modicum ei dânum infertur, si illa conferantur dignis, prætermisís dignioribus. Ita tenent *Nav. l. 2. de rest. c. 2. nu. 172. Sa, verb. Beneficium, n. 42. Sotus l. 5. de just. q. 6. ar. 2. Elbel t. 2. p. 507. a. 2. Sanch. Cons. l. 2. c. 1. dub. 2. n. 20. cum Salon. Gabr. Ales. et Abul. item Dic. Hurt. Vega, et Diana apud Salm. loc. cit. n. 312. et probabilem putant Salm. ibid. n. 524. in med. et Card. in dict. præp. 47. damn. ab Innoc. XI. n. 9. Ad textum autem, qui adducitur ab adversariis in c. un. Ut eccles. ben. sine din. Ubi dicitur: *Debuisti beneficium in persona magis idonea dispensare*, respondent cum *Lugo de just. d. 35. n. 11.* ibi reprehendi à Pontifice Episcopum, non quia non dispensavit digniori, sed quia dispensavit non idoneo, ut colligitur, iudicio *Lugonis*, ex ejusdem canonis initio. Ad alios textus verò, qui opponuntur, respondent in illis non habèri præceptum, sed tantum instructionem. Non desunt qui asserunt nullum esse peccatum eligere ad beneficia simplicia etiam minùs dignos, ut *P. Nav. Led. Gutt. Garc. Nav. et Diana apud Carden. d. n. 9.* qui adhuc probabile putat; sed puto in hoc non recedendum à communi sententia, quæ saltem à veniali id non excusat: quinimò rectè *Sanch. n. 21. et Cont. Tourn. de Beneficiis cap. 2. art. 1. sect. 2. cum communi*, damnat de mortali eligere minùs dignum ad canonicatus, quibus annexum est munus penitentiariæ, vel concionandi, aut docendi.*

Secunda sententia tamen communior et probabilior docet sub gravi obligatione etiam ad beneficia simplicia eligendos esse digniores. Ratio I. quia, ut ait *S. Th. 2. 2. qu. 65. a. 2. ad 1. Prælati ecclesiasticus non est dominus* (beneficiorum), ut ea possit dare pro libito, sed dispensator, etc. Unde peccat, qui aliis beneficia distribuit, quàm dignioribus, qui ad illa jus fortius habent; si enim verum est (ut DD. communiter fatentur), quòd beneficia non solum sint instituta in bonum commune, sed etiam (licet minùs principaliter) in præmia meritorum, patet inde ad illa majus habere jus, qui commune bonum magis promovent; saltem beneficia sunt bona communia, et ut talia etiam debentur iis, qui meritis præstant. Ratio 2. potior mihi, et *Lugoni* (qui prædictæ primæ rationi minimè acquiescit) ea est, quia ipsa utilitas Ecclesiæ, ob quam sunt beneficia instituta, postulat de se, ut digniores promoveantur, alioquin clerici parùm incumberent ad digniores se reddendos, et sic valde deficeret Ecclesiæ utilitas; hoc autem damnum non leve, sed satis notabile videtur. Ita *Less. l. 2. c. 33. dub. 14. Lugo de justit. d. 35. n. 10. Pal. tr. 13. disp. 2. p. 11. n. 8. Holzm. t. 1. p. 452. n. 419. Croix l. 4. n. 588. Viva in prop. 47. Innoc. XI. n. 6. et 9. Ronc. de beneficiis c. 5. qu. 8.* qui, spectatâ ratione, putat contrariam carere probabilitate, item *Salm. de benefic. eccl. c. unic. punct. 8. §. 5. n. 314. et seqq. cum S. Anton. Caj. Az. Fill. Garcia, et aliis plurimis.*

94. — Limitant tamen DD. et dicunt non esse peccatum mortale, I. Si prætermittatur dignior non passim, sed semel, vel bis, ut *Lugo l. c. n. 21. Nav. Azor, et Fill. apud Croix d. n. 588.* item *Less. l. c. n. 66. cum Ales. Soto, Sa, Gabr. Angel. P. Nav. et Arag.* loquendo de beneficiis merè simplicibus, ut capellaniis, et etiam canonicatibus, non autem de iis quibus annexa est jurisdictio vel functio magni momenti, ut suprâ; ratio, quia tunc parum damni infertur Ecclesiæ. Hoc tamen nullo modo admittendum in beneficiis curatis, pro quibus damnum Ecclesiæ, communiter loquendo, esset notabile. Imò *Vasq. Cov. et Caj.* tenent hoc esse mortale etiam in omnibus beneficiis simplicibus, quia etiam violaretur in re gravi justitia distributiva. E converso, ait *Less. cum aliis n. 65.* quòd dignior in his beneficiis non habet tale jus strictum ut illud violare sit mortale, cum violatio justitiæ

distributivæ, ut asserit cum *Soto*, non sit semper mortale, nisi redundet etiam in violationem justitiæ commutativæ.

95. — Limitant II. Si excessus dignitatis sit parvus, quia tunc damnum leve censetur. Ita *Less. n. 64. Lugo n. 21.* qui vocat commune cum *Nav. Sot. Gers. P. Nav. et Sylvest. Sanch. d. dub. 2. num. 526. cum Arag. Pal. Prado, etc.* et in hoc casu dicunt electionem non excedere culpam venialem, etiamsi electores præstiterint juramentum eligendi digniores, ut *Salm. cum Soto, Sanch. Pal. et Lugo, n. 23.* qui hoc admittit in his duabus, et sequenti limitatione. Hæc tamen limitatio nequaquam admittenda est quoad beneficia curata.

96. — Limitant III. Si beneficia sint parvi momenti, ut *Lugo ex num. 21. communiter cum Nav. Sylv. Gers. Arag. Salon. Viva l. c. n. 6.* item *Less. Reg. Reb. Mald. apud Croix n. 588.* Item *Sotus, Valent. Bann. Rodr. ap. Dian. p. 5. tr. 5. r. 15.* Limitant IV. Si ex lege foundationis debeat eligi aliquis de aliqua familia, collegio, vel oppido, ut *Cont. Tourn. loc. cit. cum Sylvio.* Limitant V. Si prævidetur dignior brevi dimissurus beneficium, ut *Holzm. p. 452. n. 421. cum Pichler.*

97. — Dub. 2. an patroni teneantur sub mortali præsentare digniores ad beneficia? Distinguendum inter beneficia curata, et simplicia. Si sint curata, certum est, 1. quòd patroni Episcopatum, ut sunt reges, ad id tenentur ex relato c. 1. *Trulent. sess. 24. de Ref.* ut suprâ, ubi hoc declaravit concilium de omnibus promoventibus, ut vidimus n. 91. Certum est 2. quòd si patroni sunt ecclesiastici, tenentur etiam digniores præsentare, ut sancivit concilium c. 18. *dict. sess. 24.* Sed dubium est, si patroni sint laici?

Prima sententia quam tenent *Pal. tr. 13. disp. 2. p. 7. n. 6. ac Garcias, P. Nav. et alii apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 2. n. 281.* negat teneri ad præsentandos digniores, sive beneficium sit simplex, sive curatum. Probant ex *Trid. d. c. 18.* ubi dicitur: *Quòd si jurispatronatus laicorum fuerit; debeat, qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Ergò concilium, ait *Palaus*, non aliud onus imponit laico, quàm idoneum præsentare. Confirmat ex *can. Monasterium 53. caus. 16. quæst. 7.* ubi dicitur: *Liceat illi presbytero cui voluerit pro sacro officio illius diæcesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.* In quibus verbis

ne malus, commentat Glossa: *Sufficit aliquem non malum esse*; ut notat etiam Glossa *in cap. Licet, cas. 8. q. 1.*

Sed omninò tenendum cum *secunda sententia*, quòd in beneficiis curatis teneatur sub gravi patronus adhuc huius præsentare digniorem. Hoc mihi certum videtur, quia in his beneficiis eadem utique ratio currit, quæ in Episcopatibus, pro quibus jam declaravit Tridentinum, ut suprâ vidimus, à quibuscumque patronis promovendos esse digniores. Idque videtur clarè confirmari ex *prop. dam. 47.* ut suprâ (ut benè advertit *Croix n. 583.*), quæ intelligenda est ex verbis, *quando fit concursus*, non solum de Episcopatibus, in quibus non fit concursus, sed etiam de beneficiis curatis, quæ per concursum conferuntur. Si verò beneficia sint simplicia, prout probabile est, Episcopus non tenèri sub gravi ea dignioribus conferre, ita probabile etiam est ad hoc non tenèri patronos; sed quia probabilius est, ut diximus, illa dignioribus conferenda esse; ita etiam probabilius censemus patronos tenèri sub gravi digniores præsentare. Ratio potissima, ut benè ait *Sanch. d. lib. 2. c. 1. dub. 3. n. 3.* quia aliàs evenirent eadem inconvenientia, quæ sequuntur ex hoc quòd electores non eligant digniorem, prout suprâ animadvertimus, cùm Episcopus non possit alioquin repellere præsentatum, si sit idoneus, etiamsi dignior omittatur. Nostram sententiam tenent *Sanch. l. c. Croix n. 584. Viva l. c. q. 4. et Salm. cum Mol. Ban. Vasq. Azor. Less. et eandem tenet Lugo dict. dub. 35. n. 59.* quamvis excipiat capellanas, quas quis pro libito in aliqua capella suæ familiæ instituit, contra *Molin. Azor. et Vasq. apud Viva Opusc. de benefic. q. 4. a. 2. num. 5.* quia hoc concedunt tantùm fundatoribus, non autem successoribus.

98. — Dub. 3. an resignantes beneficia etiam debeant digniorem quærere? In hoc plures diversæ adsunt sententiæ.

Prima negat cum *Sanch. Consil. l. 2. c. 1. dub. 7. n. 4. Less. l. 2. c. 34. n. 61. cum Caj. Pal. tract. 13. disp. 2. p. 11. §. 2. num. 11.* item *Azor. Hurtad. Mercad. Salon. apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 6. n. 350. et Lugo dict. d. 35. n. 49.* vocat communem cum *Malder. Sa, et Diana,* et ipse *Lugo cum Vasq.* probabilem vocat. Ratio, quia resignans sive commutans beneficium non est dispensator boni communis, sed boni sui; unde non peccat contra justitiam.

distributivam : nec peccat Episcopus tunc conferens beneficium resignatario idoneo, quia tunc non tenetur digniorem querere, decreta enim de eligendo digniore loquuntur de collatione per vacationem, non autem per resignationem. Sentit tamen *Less. l. c.* quod si offeratur resignanti persona multo dignior, tenebitur ex charitate erga commune bonum illum præferre.

Secunda sententia omninò opposita absolute affirmat tenèri resignantem querere digniorem. Hanc tenent *Sotus de just. l. 3. qu. 6. art. 2. Viva l. c. n. 13. Cont. Tourn. ibid. item Vasq. et Palac. apud Salm. loc. cit. n. 529.* Ratio, quia resignans, licèt non peccaret tanquam collator beneficii, peccaret tamen, quia esset causa illicitæ collationis : cùm alioquin collator, qui certè non tenetur acceptare hujusmodi resignationem, non excusaretur à peccato, si eam acceptaret in aliquem qui vix est dignus, dùm aliunde de facili inveniri posset magis idoneus, cui beneficium conferatur ; unde peccat etiam resignans, cõoperando peccato collatoris.

Tertia sententia, quam tenent *Nav. l. 2. de rest. c. 2. n. 173. et Salm. ibid. n. 551. cum Vasq. tùm tantùm admittit posse resignationem fieri non digniori, cùm resignatarius sit æquè dignus ac resignans, quia tunc nullum Ecclesiæ damnum irrogatur.*

99. — Sed de his omnibus sententiis æquior mihi videtur sententia doctissimi *Lugonis*, nempe quòd tota ratio culpæ in hoc puncto sumenda est à ratione damni, quod Ecclesiæ obveniret. Ratio, quia, cùm finis intrinsecus principalis institutionis beneficiorum sit bonum commune, compertum est apud omnes (juxta dicta *n. 93. et l. 4. n. 492.*), Ecclesia illa conferendo, sub hoc onere confert, ut casu quo beneficiarii velint ea à se abdicare, nonnisi in bonum commune resignent ; finis autem hic intrinsecus non potest negligi sine culpa. Hinc rectè infert hujusmodi resignationes præsertim in beneficiis curatis, et præcipuè in Episcopatibus, rarò esse licitas ; tùm quia rarò fiunt sine gravi boni communis detrimento ; tùm quia istæ electiones non fiunt cum ea diligenti inquisitione meritorum, quæ conferuntur beneficia præfata per vacationem ; item quia ut plurimum fiunt cum retentione pensionis, quæ in damnum pauperum vergit ; tandem quia sæpè fiunt à senibus in adolescentes, ex

quo deinde provenit, quòd ubi digniores in beneficiis post resignantium mortem electi fuissent, sint tantùm electi minùs digni: omnia autem hæc utique vergunt in grave damnum commune. Si autem ex circumstantiis censeri posset in aliquo casu nullum, aut modicum detrimentum Ecclesiæ inferri ob resignationem factam in aliquem minùs dignum alio, qui inveniri posset; tunc benè ait *Lugo* excusari posse resignantem, et collatorem à culpa, saltem gravi. Et huic sententiæ adhæret etiam *Croix l. 4. n. 586.*

100. — Quær. II. An ad prælaturas regulares eligendi sint etiam digniores?

Prima sententia negat cum *Hurt. Rodr. et Valer. apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 6. n. 552.* nisi agatur de generalatu, aut prælatura perpetua; quoad tamen prælaturas amovibiles, dicunt non esse obligationem eligendi digniores; tùm quia in religione jam adsunt regulæ, quapropter sufficit, ut juxta eas subditi regantur, quod benè potest præstare prælatus dignus quin dignior existat; tùm quia, si hic damnum aliquod afferret, facilè amovèri potest. Huicque sententiæ adhæret *Lugo d. 55. n. 56.* casu quo subditi essent adèò observantes, ut prælatus non dignior, sed dignus, possit sine ullo periculo eis præfici.

101. — Sed omninò affirmandum cum *sententia communi*, ut asserit idem *Lugo*, et hanc tenent *Sotus l. 5. qu. 6. art. 2. concl. 9. Nav. l. 2. c. 2. n. 159. Card. l. cit. n. 5.* ubi id prænotat ut certum, *Viva in dict. prop. 47. n. 10. Ronc. c. 5. q. 7. Sanch. dub. 2. n. 27.* et etiam habent tanquam certum *Croix l. 4. n. 582. et 589. Salm. ibid. n. 555. cum Vasq. Peyrin. Villal. Fernand. et aliis.* Ratio, quia eadem valet ratio in prælatis regularibus, quàm in Episcopis, incumbendi bono communitatis, et subditorum, erga quos prælati sunt quasi Episcopi. Nec penitùs valet dicere, quòd, cùm adsint regulæ, sufficiet quòd prælatus attendat dumtaxat ad ipsarum observantiam retinendam; nam hæc observantia difficillimè vigebit, si minùs digni eligantur; quia minùs digni facilè tepescunt, et indigni evadunt, aut saltem minùs diligenter observantiæ incumbunt, et deinde ex imperfecta observantia facilè ac citò regularum relaxatio succedet cum damno irreparabili; nam experientià constat, quòd ubi in aliqua religione abusus aliquis vel semel intruditur, difficillimè postmodùm avertitur.

Et hujus gravissimi damni profectò sunt causa prælati minùs diligentes, et ii qui tales prælatos eligunt. Utinam hujusmodi detrimentum ex hoc capite derivatum in pluribus monasteriis sæpè non lugeretur! Ideò nunquam auderem absolvere religiosum, qui minùs dignum prælatum eligere vellet. Atque rectè *Salm. cum Anton. de Spirit. Sanct.* hanc doctrinam extendunt ad electionem diffinitorum, consiliariorum, procuratoris generalis, et similium.

102. — Quær. III. An electio digni in beneficiis. omisso digniori, sit valida? Si beneficium est simplex, certum est valère ex communi DD. Vide *Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 7. n. 342.* Dubium est, si sit curatum. Negant probabiliter *Pal. l. c. p. 11. §. 5. n. 3. Sanch. l. 1. c. 1. dub. 6. et Salm. ibid. n. 345. cum Gonzal. Arag. Hurt. etc.* Ratio, quia in *cap. cit. 18. Trid.* circa beneficia parochialia, postquam præcipitur eligere digniores, sic additur: *Provisiones, seu institutiones, præter supradictas formas factæ, subreptitiæ esse censeantur:* inter autem has formas (dicunt), quænam magis præcipua forma est, quàm ut dignior eligatur, prout expressè concilium jubet? Confirmant ex bulla *S. Pii V. anno 1566.* quæ incipit: *In conferendis*, ubi declarantur nullæ omnes collationes factæ præter formam Tridentini, præsertim in examine; et insuper conceditur appellatio digniori præterito.

103. — Affirmant verò probabilius collationem valère *Lugo dist. 35. n. 71. cum Garcia, Ugolin. Fill. Vasq. Mol. Gutt. Led. et idem tenent Holz. pag. 432. n. 422. cum Anacl. et Angel. Croix lib. 4. n. 627. cum Gonz. Leur. et Lott.* Ratio, quia *forma reverà* non significat nisi modum, seu ritum externum in hujusmodi collationibus à concilio præscriptum, nempe edictum, concursum, examen, etc. Quòd autem alter dignior judicetur ab Episcopo, non pertinet ad formam, sed ad internum Episcopi judicium, à quo non debet pendere validitas collationis; nam aliàs, si Episcopus elegerit eum quem minùs dignum judicaverit, etiamsi ille reverà sit dignior, electio erit nulla. Præterea *S. Pius* in sua bulla præscripsit appellationem interpositam non impedire, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim executioni mandetur; et provisus, causâ pendente, ab eadem Ecclesia non amoveatur. Ergò (benè arguit *Lugo*) electio facta erit valida donec iudex appellationis eam revocet; alioquin etiam

appellatione non factâ, electio nulla dicenda esset. Omnes autem conveniunt in dicendo, quòd difficillimè poterit in eo casu judicari pro appellante, cùm major dignitas electi non tantùm pendeat à scientia, sed etiam ab aliis requisitis prudentiæ, integritatis, aptitudinis, etc. Et ideò præsumptio semper est pro electione Ordinarii, nisi evidenter injusta, et dolosa probetur, ut ajunt *Lugo l. c. et Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 7. n. 347.*

104. — Quær. IV. An obligatio eligendi digniores ad beneficia curata, præsertim ad Episcopatus, ita urgeat, ut debeat Episcopus dignior ab una Ecclesia ad alteram majorem transferri. Hæc quæstio tota pendet ab alia, nimirùm, an translatio Episcoporum sit prohibita jure divino, vel humano? Quapropter hanc discutere oportet.

Prima sententia tenet translationem Episcoporum esse tantùm vetitam de jure ecclesiastico, ut disponunt *Leo I. Ep. 82. Gelasius Epist. 6. etc.* Ratio, quia aliàs, si esset vetita de jure divino, non sufficeret quælibet utilis, et honesta causa ad dispensandum; sed in *cap. Nisi, de renunt.* Pontifex loquens de renuntiatione Episcopatus, expressè dixit: *Ut si propter aliquam causam utilem et honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas.* Ex quo inferitur, Papam sine causa validè dispensare, et cum aliqua causa etiam licitè. Ita mordicùs tuetur *Suar. de relig. l. 1. c. 16. cum Hostiens. et Major.* ac sequuntur *Barbos. etc. apud Salm. ibid. p. 9. n. 379. et 380.*

Secunda sententia verò comunior, et mihi longè probabilior, docet Episcopos tenèri jure divino permanère in suis Episcopatibus; ideò nec licitè nec validè posse Papam cum eis dispensare sine valde gravi causa. Probatum ex *cap. Inter corporalia, de transl. Ep.* ubi expressè declaravit *Innocentius III.* quòd sicut Deus dissolutionem carnalis conjugii sibi reservavit, sic etiam conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam, et addidit: *Non enim humanâ sed potius divinâ potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem... auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse vicarium Jesu Christi) ab Ecclesia removetur.* Ratio autem hujus naturalis indissolutionis est, quia aliàs innumerabilia inconvenientia evenirent: præsertim quia Episcopi multùm deficerent in dilectione suarum Ecclesiarum, et ipsæ Ecclesiæ parùm benè regerentur, si sæpè

mutarentur Episcopi. Ita *Vasq. in 3. p. 3. d. 241. Caj. 2. 2. q. 184. art. 6. Sanch. Consil. l. 2. c. 1. dub. 3. cum Salon. et Sot. item. Ban. Arag. cum Salm. qui tr. 28. c. unic. p. 8. §. 9. n. 384.* rectè addunt cum *Carthusiano, Soto, Hurtado, etc.* Episcopis esse etiam vetitum suas deserere Ecclesias, propter votum quod ipsi emittunt, dum Ecclesiis præficiuntur, curam habendi ovium ipsarum; quod votum perpetuum est, et in eo solus Papa dispensare potest, ut docet *S. Thomas 2. 2. qu. 185. art. 4. in corp. et clariùs qu. 189. art. 7.* ubi ait: *Presbyteri autem curati non obligantur voto perpetuo, et solemniter ad curam animarum, sicut obligantur Episcopi. Unde Episcopi præsulatum non possunt deserere absque auctoritate Romani Pontificis.*

105. — Advertendum hæc verò, quòd, licèt Episcopatus comparetur matrimonio carnali, non tamen id ita verum est, ut non possit dissolvi hoc conjugium spirituale per dispensationem Pontificis, justà et valde gravi causà interveniente, ut omnes fatentur; *vide Salm. ibid. n. 382.* Et ita respondetur ad textum oppositum à *P. Suarez.* Causæ autem justæ communiter à DD. censentur esse, nimirum magna utilitas Ecclesiæ universalis, vel particularis, vel ab alio non supplebilis; vel necessitas Episcopi, propter infirmitatem, aut aëris malitiam: vel quia insua diocesi obplebis iniquitatem, aut ob aliam causam non potest benè suum munus exercere. Ita *Salm. ibid. n. 388. Sanch. l. c. cum Soto, et Vasquez.* Hinc respondetur ad quæsitum, quòd si translatio sit vetita tantum de jure ecclesiastico, juxta primam sententiam, minor sufficit causa ad translationem, et adest obligatio eligendi Episcopum digniorem, etiam ex iis qui aliis Ecclesiis præsunt. Si verò translatio sit vetita de jure divino, juxta nostram sententiam, nulla crit obligatio eligendi digniorem ex Episcopis qui actualem curam habent suarum Ecclesiarum; et si Episcopus nolit transferri, ad id nequit Papa eum cogere: nisi interveniat causa valde urgens, quo casu potest etiam cogi Episcopus, ut ad aliam Ecclesiam se transferat, ut dicit *Sanch. dict. dub. 3. n. 2. cum Arag.* Et idem censent *Salm. tr. 28. c. unic. p. 8. §. 8. n. 390. cum Hurtado* de translatione parochi.

106. — Queritur V. An qui eligunt ad beneficia dignum, omisso digniore, teneantur restituere damnum illatum ipsi, aut Ecclesiæ.

Prima sententia, quam tenent *Caj. 2. 2. qu. 62. art. 4. Sylv. v. Restit. 5. qu. ult. Vasq. de benefic. dub. 17. n. 117. et Salm. ibid. n. 359. cum Bann. Salon. Aragon. Tapia, et Lop.* ait tenèri compensare damnum digniori omisso: quia, ut dicunt, sicut si aliqua bona essent à fundatoribus relicta, ut distribuerentur magis benemeritis, aut indigentibus, aut propinquis, isti jus strictum quidem haberent ad illa bona; ita jus habent digniores ad beneficia, quæ hæc lege universali instituuntur, ut sint non solum stipendia laborum, sed etiam præmia meritorum. Alii verò, ut *Salmant. ibid. n. 367. cum Bannez, et Salon.* putant damnum resarciendum non solum digniori, sed etiam Ecclesiæ; quia hoc confertur Electori jus eligendi ab Ecclesia, ut eligat meliores; unde dicunt tenèri electorem ex justitia commutativâ ad compensationem damni, quod ipsi Ecclesiæ obveniat ob electionem minùs digni.

107. — *Secunda sententia* verò non minùs probabilis, quam tumentur *Nav. in Man. c. 17. n. 69. Less. l. 2. c. 34. dub. 15. Sanch. l. 2. c. 1. d. 45. n. 15. Pal. tr. 15. disp. 2. p. 11. §. 4. n. 5. Lugo d. 55. n. 85. Tol. l. 5. c. 4. n. 4. Croix l. 4. n. 591. et Canus cum Adrian. Penna, Cov. etc. apud Salm. ibid. n. 354.* qui probabilem vocant, docet electorem neque Ecclesiæ, neque digniori tenèri aliquid restituere; non digniori, quia tunc digniores haberent jus strictum ad beneficia, quando principaliter, ut supra diximus, fundatores habuissent rationem meritorum; non verò quando minùs principaliter, ut est in casu nostro, cum beneficia primariò, prout omnes concedunt, imò etiam unicè, prout tenet *Lugo*, sunt instituta in bonum commune, ut Ecclesiæ inserviat à bonis ministris; et licèt secundariò essent etiam instituta in præmia meritorum, ex hac tamen justitia nullum jus rigorosum ad illa acquirunt nec digni, nec digniores. Neque sub alio pacto, seu lege intelligit Ecclesia electores obligare; neque ipsi intendunt se obligare sub onere restitutionis ad amplius quàm ad ministros non indignos eligendos. Unde neque Ecclesiæ tenentur aliquid restituere, ut pro certo vel ferè certo habent *Pal. Mol. et Sanch. n. 10. cum Soto, et Arag.* Secùs verò, si eligatur indignus, quia tunc tam ab electo, quàm ab electore, deberetur Ecclesiæ restitutio damni. Utraque sententia est valde probabilis; sed reddit mihi probabiliorem secundam sententiam id, quod diximus *l. 1. num. 35. et l. 4. num. 927.*,

nempe quòd nullus legitimus possessor suù ad restitutionem tenetur, qui pro se probabilem habet opinionem.

108. — Sic etiam resolvitur illa alia quæstio, quam retulimus *l. 4. n. 585.* scil. an qui suadet Episcopo conferre beneficium simplex, aut curatum digno, prætermissio digniore, teneatur ad restitutionem damni? Affirmant *Salm. in hoc tract. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 8. n. 371.*, consequenter ad sententiam, quam ipsi tenent, ut suprâ; sed nos consequenter ad secundam sententiam, cui mox suprâ adhæsimus. dicimus cum *Laym. Nav. Sa, Less. Val. Fill. et aliis apud Salm. in tract. de rest. c. 1. p. 4. n. 106.* ubi ipsi *Salm.* hoc probabile censent, eum qui Episcopo sine vi aut fraude suadet beneficium conferre minùs digno, ad nullam restitutionem tenèri. Secùs verò, si vi vel fraude impediret beneficium conferri digniori; tunc enim certè tenetur damnum ipsi illatum restituere, cùm quisque jus habeat, ne vi vel fraude impediatur à consecutione justì boni, ut dictum est *l. 4. n. 582.* Secùs etiam, si beneficium conferendum esset per concursum, ut in sequenti quæstione dicitur. An autem teneatur ad restitutionem is, qui non vi vel fraude, sed tantùm ex odio impediret aliquem dignum à consecutione beneficii? Probabiliùs negatur. *Vide dicta l. 4. n. 584.*

109. — Quær. VI. An quando beneficia conferuntur per concursum, eligens dignum, omisso digniore, teneatur huic damnum restituere?

Prima sententia communis affirmat, quam tenent Pal. d. p. 11. §. 4. n. 6. Cont. Tourn. de benef. cap. 2. art. 1. sect. 2. Holzm. p. 452. n. 419. Sanch. l. 2. c. 1. dub. 46. cum Mol. et Metin. Croix l. 4. n. 628. Lugo d. 35. cum P. Nav. Less. Caj. Sylvest. Vasq. etc. qui vocavit verissimam sententiam. Ratio, quia eo ipso quo dignior admittitur ad concursum, acquirit jus ad rem, cùm in communi æstimatione adsit tunc pactum implicitum in edicto inter Episcopum, et oppositores, ut dignior præferatur. Quòd procedit in omni præmio, quod promittitur vocatis per concursum ad luctam, ad jactum, etc. Imò, ait *Lugo*, quòd, cùm in edicta dicatur, quòd cuique servabitur jus suum, digniores ex pacto explicito ad beneficium jus acquirunt. Tantò magis, quia in concursu ad beneficia curata datur ex Tridentino appellatio digniori, si prætermittatur; ergò dicit *Pal. loc. cit.* quòd digniores habent jus stri-

etum ad beneficia. Excipiunt tamen *Ronc. c. 5. q. 2. cum Garcia, Lugo n. 21. et Sanch. n. 5.* si excessus dignitatis sit parvus.

Secunda sententia tamen negat obligationem restitutionis, ut tenent *Sot. l. 4. de just. q. 6. art. 3. sub fin. Nav. c. 17. in Summ. n. 74. item Led. Henr. et alii ap. Sanch. l. c. n. 1.* qui probabilem censent. Ratio istorum, quia prædictum pactum, quod supponitur, vel habetur in edicto, non est pactum rigorosum obligans juxta leges justitiæ commutativæ, sed est tantum promissio, obligans dumtaxat ex fidelitate; imo potius est explicatio obligationis, quam per se habet Episcopus ex justitia distributiva, quæ non obligat ad restitutionem. Procul dubio sub gravi debentur, ut ajunt, præmia promissa concurrentibus ad luctam, etc. ut supra, quia illa principaliter sunt instituta ut præmia meritorum; sed idem non currit de beneficiis, quæ unicè vel principaliter instituuntur in bonum commune. His non obstantibus, non audeo recedere à prima sententia communi, et valde probabiliori. Sed hanc secundam nec etiam audeo dicere improbabilem, quia reverà non videtur constare, quòd inter Episcopum et oppositores intercedat pactum illud obligans rigorosè ex justitia commutativa; et non constando de tali pacto, non videtur constare de tali obligatione.

110. — Quær. VII. An dignus se opponens per concursum digniori peccet mortaliter, et teneatur ad restituendum illi damnum, si beneficium obtineat? Nulli dubium, quòd si concurrat indignus cum digno, peccet concurrente, et acceptando beneficium tenetur resarcire damnum Ecclesiæ, illudque resignare; vide *Sanch. Cons. l. 2. c. 1. dub. 4. n. 9. et Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 8. n. 575.* Si verò concurrat dignus cum digniore, duo dubia occurrunt.

Dubium 1. est, an iste concurrente peccet graviter?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Less. l. 2. c. 34. n. 70. Caj. 2. 2. q. 185. art. 3. Azor. 2. p. lib. 6. c. 15. q. 14. Salm. ibid. n. 374. cum Soto, Bann. Led. etc. item Vasq. et Cov. apud Lugo d. 35. n. 88.* Ratio, tum quia non pertinet ad ipsum merita discutere, sed ad electores; ideò si ipse beneficium petit, petit sub conditione, si dignior videatur; tum quia hoc est secundum mentem Ecclesiæ, ut omnes digni concurrant; aliàs, si non liceret dignis se opponere dignioribus,

pauci concurrerent, et fortè digniores à scrupulo territi se retraherent, idque in grave damnum Ecclesiæ utique vergeret.

Secunda sententia verò, quam tenent *Sanch. c. 1. d. 48. n. 4. Pal. d. 2. p. 11. §. 5. n. 1. Nav. de Orat. Misc. 43. n. 89. et 97. ac Lugo d. 55. n. 91. cum Turriano*, dicit, quòd si talis concurrat gratiâ honoris, ut ad alios concursus gradum sibi faciat, et postea desistat petere, ut eligatur, certè non peccat. Secùs si præterdat electionem, apertè cognoscens alterum esse digniorem. Ratio, quia, licèt Episcopus non peccet ipsum eligendo ex errore inculpabili, peccet tamen ille coöperando ad talem electionem, saltem materialiter injustam, maximè quia injustitia illa vergeret in damnum dignioris, qui jus habet ad sui electionem. Hæc sententia, speculativè loquendo, apparet probabilior; attamen in praxi nunquam videtur locum habère posse; nullo enim casu is qui est dignus, poterit esse certus, quòd Episcopus bonâ fide eum eligendo, non habeat aliquod rationabile mòtivum, ipsi concurrenti occultum, excludendi alterum, quem ille putat digniorem. Hoc innuit ipse *Lugo n. 89.*

Dubium 2. est, an hic dignus, manifestè cognoscens alterum se digniorem, peccet acceptando beneficium, et teneatur damnum illi resarcire?

Prima sententia affirmat, quam tenent *Nav. l. 2. de rest. c. 2. n. 173. Pal. d. §. 5. n. 1. item Sylvius, et Tanner. apud Salm. tr. 28. c. unic. p. 8. §. 8. n. 373.* Ratio, quia ipse acceptando beneficium, concurrat ad injustam electionem in damnum alterius.

Secunda sententia tamen; quam tenent *Sanch. c. 1. dub. 13. n. 2. Sot. de just. l. 3. q. 6. art. 2. Diana t. 2. tr. 5. Misc. r. 110. cum Turr. etc. ac Salm. l. c. n. 374.* dicit eum nec peccare, nec tenèri ad restitutionem. Ratio cur non peccet, quia ex una parte, ut ait *D. Th. 2. 2. q. 185. art. 5.* loquens de assumptione ad Episcopatum, ille qui debet assumere, tenetur assumere meliorem quoad regimen Ecclesiæ; pro eo verò qui assumitur, dicit quòd non requiritur, ut reputet se aliis meliorem, sed sufficit quòd nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium. Ex alia parte non peccat coöperando peccato collatoris, cùm per ipsam collationem jam Episcopus peccatum consummaverit, et per

accidens se habet, quòd ipse acceptet, vel non; juxta dicta in simili casu *l. 4. n. 492. quær. 8. v. Sed admissa.* Prout enim (ait *Sanch.*), si pater et extraneus sint in extrema necessitate, extraneus recipiendo panem à filio, licèt filius peccet panem ei præbendo, ipse tamen non peccat acceptando: ita in casu nostro. Ratio autem cur iste neque tenetur ad restitutionem, est, quia cùm beneficium jam est ei collatum, alter dignior nullum jus amplius ad illud habet, eò quòd desinit tunc beneficium esse inter bona communia; prout, si res duobus vendita, tradatur secundo emptori, non tenetur iste rem emptam primo emptori restituere, cùm per traditionem adeptus sit illius dominium, et extinctum sit jus ad rem primi emptoris. Licèt autem in nostro casu concedatur digniori appellatio, collatio tamen in utroque foro valida est, et electus non potest à beneficio acquisito amovèri, nisi per sententiam judicis collatio invalidetur, ut diximus *n. 102.* Et hæc sententia mihi probabilior videtur; tantò magis, quia sicut dignus electus potest licètè beneficium petere, juxta dicta in præcedenti dubio; sic etiam potest acceptare; eò quòd nunquam potest esse certus collationem fuisse injustam. Hinc ait probabiliter *Lessius d. n. 70.* quòd si certè existimes Episcopum non judicio, sed favore te prætulisse, hoc tibi non imputabitur, si beneficium tibi non sollicitanti fuerit oblatum, vel si bonâ fide sollicitasti; videtur enim Ecclesia ratas habere has collationes in favorem concurrentium, ne ipsi deinde perpetuò scrupulis angantur, ut eruitur ex *Trid. sess. 7. c. 3. de Ref.* ubi præcipitur beneficia conferre *dignis, aliter facta collatio omninò irritetur.* Ergo collationes dignis factas, pro assumptis jam ratas habet. Cæterùm benè ait *Sanch. l. c. n. 3.* quòd *communiter oppositores* excusantur à peccato, quia nullus se reputat minùs dignum, et bonâ fide existimare valet, quòd si alius excedit in uno, ipse excedat in alio.

111. — Quær. VIII. An examinatores teneantur Episcopo decauntiare digniores?

Prima sententia negat cum *Lugo d. 35. n. 66. Pal. l. c. §. 4. n. 9. Croix l. 4. n. 626. et Barb. Garc. etc. apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 8. §. 7. n. 337. et 338.* Et probant ex *cit. c. 18. Trid. sess. 24.* ubi dicitur: *Peracto deinde examine, renuntientur quocumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrinâ, etc.; ex hisque Episcopuseum eligat,*

quem cæteris magis idoneum judicaverit. Ergò , ut dicunt , ex verbis concilii colligitur , quòd solùm ad examinatores pertinet denuntiare idoneos , ita ut Episcopus invalidè eligeret eum , quem ipsi reprobarent ; sed contrà ad Episcopum unicè pertinet judicare ; quis eorum sit dignior. Hoc confirmat *Lugo* ex declaratione S. C. concilii , quam refert , ubi dicitur : *S. Congregatio declaravit non pertinere ad examinatores , sed solùm ad Episcopum judicare , quis ex concurrentibus ad Parochialem vacantem sit magis idoneus. Et in Conc. Trid. loc. cit. tantùm habetur , ut examinatores peracto examine renuntient Episcopo quocumque ab his idonei judicati fuerint. Hæc sententia est quidem probabilis , sed probabilior mihi est*

Secunda sententia opposita , quam tenent communiùs Nav. lib. 2. de rest. c. 2. num. 187. Ronc. c. 5. q. 9. r. 1. et Salm. cit. c. unic. num. 359. cum Azor, Led. Med. Vill. Lop. Dian. Tap. etc. Ratio , quia ideò , et præcipuè concilium præscripsit concursum , et examinatores , ut Episcopus faciliùs , et tutiùs digniorem agnoscerè ac eligere valeret ; unde quamvis ex verbis concilii non inferatur obligatio examinatorum denuntiandi digniorem , insertur tamen ex mente concilii. Nec obstat declaratio allata S. C. ut supra , quia ibi nil aliud decernitur , nisi quòd ad Episcopum pertinet judicare de majori dignitate oppositorum , et hoc est certum ; sed ibi non excluduntur examinatores tenèri ad exponendum Episcopo , quem ipsi censeant magis idoneum , ut mens concilii servetur. Demùm hic notandum , quòd examinatores debent præstare juramentum de fidelitate in eorum officio , ut præcipitur in Trident. sess. 24. c. 18. de Ref. alioquin concursus est nullus , ut declaravit Sac. Congr. conc. die 2 Decembris 1628.

ARTICULUS III.

Quæ intentio , et qualitates requirantur ad beneficium accipiendum ?

112 *Quænam qualitas requiratur in eo , cui beneficium confertur ?*

113 *An requiratur in eo voluntas clericandi ? Quomodo peccet recipiens beneficium simplex cum animo ducendi postea uxorem ?*

114 An peccet graviter recipiens beneficium curatum cum animo dubio suscipiendi sacerdotium intra annum?

112 — « **R**ESP. 1. Ut beneficium aliquod validè , et licitè
 » obtineatur , requiritur , ut sit persona capax , et habilis ,
 » hoc est , ut sit clericus , non illegitimus (cum quo tamen
 » Episcopus dispensare potest ad ordines minores , et benefi-
 » cium simplex , cui ordo major non est annexus), non irre-
 » gularis , non excommunicatus , non improbus , aut facino-
 » rosus , ut habeat scientiam competentem ad munus bene-
 » ficio annexum , et ætatem legitimam , nisi dispensetur ,
 » scilicet pro beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14
 » inchoatum , docet *Dian. p. 3. tr. 6. r. 64. ex Azor. et alijs*
 » 5.) » (*Cum Gonzal. Pal. Fill. Barb. et Salm. de benef.*
eccl. c. unic. p. 7. §. 1. num. 160. communiter.) « Pro eo ,
 » quod subdiaconatum requirit , vigesimum primum. Pro eo ,
 » quod diaconatum , vigesimum secundum. Pro eo , quod
 » sacerdotium , vigesimum quartum inchoatum (1). » (*Ut*
probabiliter Less. et Azor apud Salm. ibid. n. 157. Quæ ætas
sufficit , si ordinem suscipiat intra annum , juxta Trid. sess.
23. c. 12. de Ref. Nota , quòd , ætate deficiente , etiam quoad
unam horam , provisio beneficii est nulla : est commune cum
Sanch. Pal. Azor. et Salmant. ibid. n. 162.) « Colligitur ex
 » *Trid. sess. 22. de Ref. c. 4. in fin. etc.* In his tamen , et
 » similibus casibus multi excusantur , vel quia illud jus ubique
 » non est receptum , vel quia bonâ fide tres annos fuerunt
 » in possessione , quæ veluti usucapionem , et dominium pa-
 » rit. *Less. dub. 20.*

113. — « Resp. 2. Qui recipit beneficium quodcumque ha-
 » bens annexum ordinem sacrum , tenetur habere voluntatem
 » saltem conditionatam clericandi , et sacrum ordinem acci-
 » piendi intra tempus à jure requisitum. *Laym. c. 14. Less.*
 » *l. 2. c. 54. dist. 26.* Ratio est , quia suscipiens officium ,
 » cui obligatio est annexa , omni modo se habilitare tenetur.

(1) « Pro beneficio curato habeat annos 25 inceptos... pro episcopatu deni-
 » que requiritur ætas 30 annorum completorum. » *Hom. Ap. tr. 13. n. 42.*

» Imò, si curatum seu parochiale est, habetque intentionem
 » sacerdotium intra annum non suscipiendi, sed parochiam
 » dimittendi, non tantum mortaliter peccat, sed etiam ipso
 » jure est privatus, et ad fructuum restitutionem tenetur,
 » ut patet ex cap. *Commissa* 53. de *elect. in 6.* Quod si tamen,
 » mutatâ voluntate, ante finem anni sacerdos fiat, fructus
 » retinere potest;» (*Idem docent Nav. Less. Sanch. etc. cum*
Salm. de benef. eccl. p. 7. §. 3. num. 190. Et sic tenendum
contra Soto et Tol. ut probatur ex dict. cap. Commissa, ubi
dicitur, quod recipiens beneficium curatum animo non sus-
cipiendi sacerdotium, tenetur fructus restituere, nisi volun-
tate mutatâ promotus fuerit. Vide omnia verba textus citati
infra n. 114.) « Imò et Episcopus dispensare potest, ut, vi-
 » cario substituto, studiis per septennium vacet.

« *Dixi 1. habens annexum ordinem sacrum* : quia, si is
 » non sit annexus, et beneficium sit simplex, licet illud ac-
 » ceptet animo fructus lucrandi, et deinde uxorem ducendi,
 » non nisi venialiter peccat, si aliàs officio suo satisfaciat, ut
 » docent *Laym. c. 14. Sanch. l. 7. de matrim. dist. 45.* Ratio
 » est, quia illa perversio ordinis non videtur gravis, nec
 » ullo jure vetatur, ideòque ad nullam fructuum restitutio-
 » nem tenetur. Unde *Garcias p. 3. c. 4. n. 42.* talem ab
 » omni culpa excusat.

« *Dixi 2. voluntatem saltem conditionatam* : quia, si ex
 » justa causa postmodum status clericalis minus illi convenire
 » videatur, potest animum mutare, etiamsi beneficium sit
 » curatum, v. gr., si primogenitus familiæ, aut frater unicus
 » sine liberis decedat; si optimum matrimonium ad conser-
 » vationem familiæ nobilis vel ad lites graves sopiendas ne-
 » cessarium offeratur. Ratio est, quia non est mens Ecclesiæ,
 » ita ad ecclesiasticum statum obligare, ut hæc et similia bona
 » impediuntur. *Laym. loc. cit.* »

Quær. hic I. Quomodo peccet, qui recipit beneficium sim-
 plex, animo deinde uxorem ducendi, beneficio dimisso?
 Certum est peccare graviter si beneficium habeat annexum
 ordinem sacrum, ut communiter docent *Bus. ut supra, et*
Sanch. l. 7. de matrim. d. 45. n. 14. Pal. tract. 13. dub. 4.
d. 7. n. 14. Salm. loc. cit. n. 200. cum Soto, Tol. etc. Si verò
 ordinem sacrum annexum non habeat, tres sunt sententiæ.

Prima, quam tenent *Less. l. 2. c. 54. n. 152. Tol. l. 5. c. 5. et Salm. ibid. num. 199. cum Soto, et Gutt.*, dicit adhuc peccare mortaliter, quia similis intentio est perversio ordinis naturalis et divini, statuentis beneficia recipienda esse tantum ad obsequium Deo præstandum.

Secunda sententia, quam sequuntur *Palauus l. c. et Garcias ap. Bus. supra*, censet talem ne leviter quidem peccare, quia nullum apparet præceptum hoc prohibens.

Tertia sententia media, quam tuentur cum *Bus. Sanch. l. c. n. 19. et Laym. l. 4. tr. 2. c. 14. n. 11. cum Nav. et Vasq.* tenet hunc quidem non excusari ab aliqua culpa, cum talis animus aliquam involvat inordinationem; sed non peccare graviter, cum hujusmodi inordinatio non sit tanta, ut damnari debeat de mortali; nullo enim jure constat ipsam esse gravem. Nullum autem præceptum (ut rectè docent *S. Antoninus, et P. Concina*, quorum verba retulimus *l. 4. n. 547. v. Cæterum*) est hominibus sub gravi imponendum, nisi evidens ratio id suadeat. Et ex hoc principio, tradito prius etiam à *D. Thom. Quodlibet. 9. art. 15.* præfata tertia sententia probabilior mihi redditur.

114. — Quær. II. An peccet graviter, et teneatur restituere fructus, qui recipit beneficium curatum cum animo dubio, vel conditionato suscipiendi sacerdotium intra annum? Affirmant *Conc. t. 10. pag. 152. Sotus, et Azorius apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 7. §. 5. n. 185.*, quia lex exigit veram intentionem suscipiendi, etc. Sic enim habetur in *cap. Commissa de elect. in 6. Cæterum, si promovèri ad sacerdotium non intendens, parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum recipias, ipsam postea dimissurus, (nisi voluntate mutata promotus fueris) tenèris ad restitutionem fructuum eorundem, cum eos receperis fraudulenter.* Negant verò *Nav. Barb. Garc. Grass. ibid. apud Salm. n. 186.*, quia textus loquitur de eo, qui accipit fraudulenter beneficium; non autem dicunt accipere fraudulenter, qui cum animo dubio, aut conditionali accipit. Verùm tamen alii opinantur, ut *Bus. Less. l. 2. c. 54. n. 151. et 155. Sanch. d. c. 45. n. 10. Pal. n. 5. et Salm. ibid. n. 188.* qui citant *Lop. Man. Bardi, etc.* accipientem cum dubio peccare mortaliter, et tenèri ad fructus perceptos restituendos, quia dubitans reverà non habet intentionem; non verò accipientem sub con-

ditione , quia hic veram habet intentionem , quamvis conditionatam. Sed prima sententia est mihi probabilior , quia intentio , ut non sit fraudulenta , debet esse determinata absolutè ad ordinem suscipiendum.

ARTICULUS IV.

An liceat habere plura beneficia ? Et quinam beneficiarii teneantur ad residentiam ?

- 115 *An et quando liceat habere plura beneficia ?*
- 113 *Quotuplicia sint beneficia ? Et quæ sint incompatibilia ? Et an, obtento secundo beneficio quomodocumque incompatibili, vacet primum ?*
- 117 *An pluralitas beneficiorum sit vetita de jure divino, vel positivo ?*
- 118 *Quæ causæ cohonestent pluralitatem beneficiorum ?*
- 119 *De obligatione residentiæ.*
- 120 *Quinam beneficiarii ad residentiam obligentur ?*
- 121 *De residentia pastorum. Qu. I. Ad curati teneantur residere de jure divino ?*
- 122 *Quid notandum circa residentiam Episcoporum ?*
- 123 *Quid circa residentiam parochorum ? Dub. 1. An parochi indigeant licentiâ in scriptis ? Dub. 2. An parochi habentes justam causam possint abesse per duos menses sine licentiâ ? Quid si urgeat aliqua necessitas ? Quid si absint per modicum tempus ?*
- 124 *Qu. II. Quo in loco beneficiarii teneantur residere ? Et præsertim ubi Episcopi ? Et ubi parochi ?*
- 125 *Qu. III. Quænam causæ excusent pastores à residentia ? Et I. de causa charitatis. II. De causa necessitatis. III. De causa obedientiæ. IV. De causa utilitatis.*
- 126 *Qu. IV. Quando et quomodo pastores non residentes teneantur restituere fructus beneficiorum ?*
- 127 *Dub. 1. Quid, si absint cum justa causa, sed sine licentiâ ? Dub. 2. Quid, si eorum absentia sit sine culpa ? Dub. 3. Quid, si resideant inutiliter ? Et an parochi teneantur per se exercere munia principaliora ? Dub. 4. An non residentes teneantur integros fructus restituere ?*
- 128 *Quibus debent restitui fructus à non residentibus ?*
- 129 *Plura hic de residentia canonicorum.*

- 130 *Quænam causæ excusent canonicos ab assistentia chori? Et I. De causa infirmitatis. Dub. 1. An per se excusentur septuagenarii? Dub. 2. An cæci, et surdi? II. De causa necessitatis. Quid, si quis abest à choro ob excommunicationem incursum? Quid, si Ecclesia sit interdicta? Quid si polluta? An canonici irregulares amittant distributiones, et fructus præbendæ? III. De causa utilitatis.*
- 131 *Quid de canonico pœnitentiario? Quid de theologo, de examinatore, de visitatore, etc.*
- 132 *Quid de canonicis docentes? An parochi docentes gaudeant eodem privilegio? Quid de canonicis, et parochis studentibus?*

113. — « **R**ESP. Plura beneficia possidère, non est res
 » simpliciter intrinsicè mala, nec omninò indifferens, sed
 » speciem mali præ se ferens, imò ordinariè illicita, et na-
 » turali juri repugnans (si talia sint, quorum unum ad ho-
 » nestam sustentationem sufficiat), nisi justa causa ex circum-
 » stantia cohonestetur. Ita ferè *Laym. l. 4. t. 2. c. 8. n. 1. ex*
 » *S. Th. Less. Azor. etc. comm.* Quia, ut docet *Trid. sess. 24.*
 » *de Ref. c. 17.* pluralitas hujusmodi magnam inordinationem
 » involvit, dum minuitur cultus divinus, Ecclesia operariis,
 » fundator pià intentione, pauperes utiliores Ecclesiæ futuri
 » sustentatione privantur. Hinc beneficia distinguuntur in in-
 » compatible primi generis, in quibus, acceptâ pacificâ posses-
 » sione secundi, vacat prius, qualia sunt plura beneficia curata;
 » item plures dignitates personatûs, duo beneficia uniformia
 » sub eodem tecto: et in incompatible secundi generis, quæ,
 » etsi sine peccato, citra dispensationem obtinèri nequeant,
 » primum tamen, altero obtento, non vacat: qualia sunt be-
 » neficia reliqua residentiam postulantiâ, v. g. canonicatus
 » duo diversarum Ecclesiarum, in quibus recepta est consti-
 » tutio *Trident. sess. 24. c. 12. de Reform.* ut non liceat ultra
 » tres menses canonicis ab Ecclesia abesse. Unde *Laym. c. 8.*
 » *n. 6.* docet canonicatus in cathedralibus Ecclesiis Germaniæ,
 » qui ex immemorabili consuetudine requirunt tantùm resi-
 » dentiam medii anni, vel 3 mensium, inter compatible
 » beneficia numerandos. » (*Vide num. seq. 116. v. No-*
tandum).

« Dixi, nisi justâ causâ cohonestetur; quia qui per dispen-
 » sationem plura beneficia obtinuit, nisi justa causa subsit,

» in conscientia non erit tutus, sed tenebitur alterum resignare, ut docet *Less. l. 2. c. 34. n. 151.*

« Porrò justa causa dispensandi erit evidens necessitas, et utilitas Ecclesiæ, et quandoque etiam prærogativæ, et merita personæ, v. gr. insignis nobilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus, etc. modò caveatur, ne beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam personæ, ad privatum tantùm, et non ad commune bonum referatur. Imò sine dispensatione plura beneficia sequentibus casibus habèri possunt.

« 1. Si utrumque adèd sit tenue, ut neutrum sufficiat ad sustentationem, modò utrumque sit simplex, nec residentiam requirat. » (*Secus igitur, si beneficia residentiam requirant, licèt sint tenuia. Croix lib. 4. n. 918. cum communi*).

« 2. Quando parochia est annexa canonicatui, eique accessoria; tunc enim utrumque per modum unius possidetur, ita tamen, ut teneatur vicarium perpetuum in Ecclesia alere.

« 3. Quando beneficia legitimè sunt unita.

« 4. Quando alius idoneus, et dignus non reperitur.

« 5. Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam non perpetuam, sed ad aliquot menses, donec de idoneo provideatur. Ita *Regin. ex Sylv.*

116. — Beneficia alia sunt *simplicia*, prout sunt ea quæ instituuntur tantùm ad preces Deo persolvendas, et ad altaris servitium, nimirùm canonicatus, capellanix auctoritate pontificia vel episcopali erectæ, præstimonia quæ dantur clericis ad studia prosequenda et similia. Alia sunt *duplicia*, scil. quæ habent aliquam jurisdictionem, præeminentiam, vel administrationem, ut sunt dignitates, etc. ut infrà. Item alia beneficia sunt *compatibilia*, alia *incompatibilia*. Et horum alia sunt incompatibilia *primi generis*; prout sunt beneficia curata, vel uniformia sub eodem tecto, nempe quæ ad easdem functiones concurrunt eodem loco et tempore; item dignitates, personatus, et officia. *Dignitates* sunt quibus est annexa aliqua jurisdictio supra clerum, aut populum, ut sunt episcopatus, abbatix, decanatus, præposituræ, archipresbyteratus, archidiaconatus. *Personatus* autem sunt qui habent præeminentiam aliquam supra clerum, sed sine jurisdictione, ut sunt mu-

nera primicerii, præcentoris sive cantoris, et sacristæ primarii. *Officia* demùm sunt munera thesaurarii, præceptoris, custodis, seu sacristæ inferioris, œconomi, etc., quorum aliquibus est annexa quædam administratio, sine tamen jurisdictione, aut præeminentia. Alia verò sunt incompatibilia *secundi generis*, ut sunt canonicatus, et omnia quæ residentiam requirunt.

Notandum autem, quòd si quis obtinet duo beneficia incompatibilia, obtento secundo, vacat ipso jure primum; et si ille utrumque retinere præsumat, ipso pariter jure utroque beneficio privatur. Hæc certa sunt quoad beneficia incompatibilia primi generis, ex Tridentino *sess. 7. c. 2. et sess. 24. c. 17. de Ref.* item ex *c. De multa, de præb., Extrav. Execrabilis, de præb. et dign. cap. Litteras, de concess. præb., ac Clement. cap. unic. eod. tit.* Sed dubium fit, an idem procedat in beneficiis incompatibilibus secundi generis, nempe quòd, obtento secundo, vacet primum? Affirmant *Contin. Sporerii in fine tomi 3. de statu clericor. p. 76. n. 48. ad num. 9. Salm. tr. 28. de benef. eccl. c. unic. p. 16. §. 5. n. 664. cum Gonz. Azor. et Garcia, ac Fagn. in c. De multa, de præb. ex declaratione S. C. idemque dicunt Salm. probari ex locis citatis Tridentini. Sed negat Busemb. ut supra n. anteced. 115. ac Holz. t. 1. p. 431. n. 415. cum aliis; et idem sentit Nav. l. 5. Consil. 24. de præb. dicens, quòd si constaret S. C. declarasse, quòd Tridentinum ita sit intelligendum, talis declaratio à Pontifice fuisset confirmata, et tunc sic foret tenendum; sed quia id non constat, et aliàs ex verbis concilii id non videtur efficaciter probari, non est quod ad primam sententiam nos adstringat. Reverà enim concilium in priori loco citato, nempe *sess. 7. c. 2.*, loquitur quidem de præsumptibus retinere duo beneficia quomodocumque incompatibilia, scil. quæ residentiam requirunt, et eos dicit ipso jure privari utroque beneficio, sed nullum facit verbum de vacatione primi ob consecutionem secundi. In posteriori autem loco, nempe *sess. 24. c. 17.*, ubi præscribit vacare primum beneficium, obtento secundo, loquitur tantùm de beneficiis curatis, nimirùm episcopalibus, et parochialibus. Hoc tamen non obstante propter prælaudatam declarat. S. C. cùm ipsa à pluribus referatur, et præsertim à *Fagnano*, qui hujusmodi declarationum fuit diligens inquisitor, placet nobis potius primæ sententiæ adhæ-*

rere; sed secundam non improbamus. Notat *Laymann l. 4. tom. 2. c. 8. n. 4. in fine*, quod habens personatum cum cura in Ecclesia, bene potest etiam habere ibidem canonicatum, cui parochialis Ecclesia annexa est, et quam per vicarium administrare debet, ex *c. Super eo, de præb. in 6.*

Præterea notandum cum *Salm. ibid. n. 666. et Abelly App. de statu cler. p. 448. n. 2.* quod in aliquo casu evidentis necessitatis, sive utilitatis Ecclesiæ posset Papa dispensare, ut aliquis obtineat plura hujusmodi beneficia incompatibilia, etiam curata, prout *Gregorius Magnus* fertur præfecisse *Martinum, Paulinum, et alios* duobus episcopatibus. Idque patet ex *Trid. sess. 7. cap. 5. Diximus casu evidentis necessitatis, vel utilitatis*, nam aliàs habens plura hujusmodi beneficia, etiam cum dispensatione Pontificis, non erit tutus in conscientia, ut rectè dicunt *Salm. loc. cit. cum Bellarm. Panorm. Wig. et Tolet.*

117. — Hic autem magna vertitur quæstio, an pluralitas beneficiorum sit vetita non solum de jure canonico, sed etiam naturali?

Prima sententia negat cum *Innoc. in c. Finali, de cler. non resid. n. 1. et in c. Cum jam dudum, de præbendis*, item *Filliuc. Lugo apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 16. §. 5. n. 656. et 657. et Val. Led. Tusch. Rebuff. etc. ap. Croix l. 4. n. 902.* Quia, ut dicunt, si hoc esset contra jus naturæ, Papa non dispensaret ita frequenter in hac pluralitate, ut videmus esse in consuetudine.

Secunda sententia verò, quam tenent *Cont. Tourn. de benefic. cap. 4. art. 2. et Azor. Panorm. ac Hostiens. ap. Salm. ibid. n. 655.* absolutè affirmat tam de beneficiis duplicibus, quàm simplicibus. Ratio, tum quia nequit unus duabus Ecclesiis satis benè deservire, tum quia intentio fundatorum talis est, ut plures sint, qui Ecclesiis inserviant; et ideò pluralitatem beneficiorum dicunt fuisse expressè damnatam ex *Trid. sess. 24. de Ref. c. 17.* ubi sic sancitum fuit: *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sanctè sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis adscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt, variis artibus illudere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta Synodus debi-*

tam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsentî decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui conferitur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quàm regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant.

Tertia sententia autem communis, et tenenda (etsi olim primam probabilem censui) docet pluralitatem beneficiorum sive duplicium, sive simplicium, modò unum sufficiat ad congruam sustentationem, secundùm se esse contra jus naturale ob rationes mox allatas, et alia plura inconvenientia, quæ oriuntur à pluralitate beneficiorum, enumerata à Joanne XXII. in Extrav. Execrabilis, de præb. et dign., ita ut plura beneficia nec etiam cum dispensatione Pontificis valeant retineri sine peccato mortali; sed non taliter quòd id non possit ex aliquibus circumstantiis coonestari. Ita S. Th. Quodlib. 9. a. 15. quem sequuntur Less. l. 2. c. 34. n. 157. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 2. Pal. tr. 13. d. 6. p. 4. n. 26. Azor. 2. p. lib. 6. c. 12. q. 7. Abel. App. de statu cleric. art. 3. q. 4. n. 4. Holzm. tom. 1. p. 451. n. 417. Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 16. §. 5. n. 658. et 659. ubi nostram sententiam ut certam habent cum aliis communiter, item Bellarm. apud Cont. Tourn. l. c. qui ait dispensationem Pontificis neminem tutum reddere, nisi adsit urgentissima causa, et Ecclesiæ necessaria.

118. — Causæ autem coonestantes pluralitatem beneficiorum, ex communi DD. sententia, sunt I. *Necessitas Ecclesiæ*, nempe si desint alii ministri idonei, ita P. Concin. t. 10. pag. 171. n. 7. Anacl. pag. 417. n. 16. et Salm. ibid. n. 661. et alii, ex D. Thoma, qui docet cit. a. 15. tunc posse alicui conferri plura beneficia, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, et ipse possit plus deservire Ecclesiæ, vel tantumdem absens, quàm alius præsens, verba S. Doctoris. II. *Utilitas Ecclesiæ*, nempe si unus solus, licèt absens, magis censetur profuturus suâ auctoritate, doctrinâ, et prudentiâ, quàm alter suâ præsentia. Ita Holzmann tom. 1. pag. 451. n.

418. *Conc. l. cit. et Anacl. n. 17. cum Pirking.* Hinc ajunt *Holzm. et Anacl.* hac de causa conferri aliquando filiis principum plures episcopatus, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ contra hæreticos potentiùs defendantur. III. *Evidens meritorum prærogativa*, scilicet si aliquis præstaret doctrinã, consilio, instructione, aut scriptione. Ita *Laym. l. 4. tr. 2. cap. 3. n. 2. Anacl. l. cit. n. 18. et Holzm. d. n. 418. ex. ç. fin. De multa, de præb.* ubi dicitur: *Nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum; circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus sũnt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari.* Et hoc est conforme doctrinæ Apostoli, 1. *ad Tim. c. 5. v. 17.* ubi ait: *Qui benè præsumt presbyteri, duplici honore (id est munerum largitione, ut explicat S. Hieronymus c. 15. Matth.) digni habeantur; maxime qui laborant in verbo, et doctrina.*

Quæritur autem circa beneficia simplicia, an si quis habens unum beneficium, jam sufficiens ad suam congruam sustentationem, accipiat secundum sine causa coonestante, primum ipso jure vacet? Negant *Holzm. t. 1. p. 431. n. 415.* item *Gonzalez, et Flaminius ap. Salm. tr. 28. c. unic. p. 16. §. 5. n. 669.* dicentes hunc beneficio non privari, sed esse cogendum per sententiam judicis, ut alterum dimittat. Sed meliùs et communiùs affirmant *Barbos. de Pot. Ep. all. 62. n. 5. Fagnan. in c. De multa, de præb. et Salm. cit. n. 669. cum Garcia*, ex quadam declar. S. C. quam iidem *Fagn. et Garcias* referunt, hoc enim conformius videtur verbis aut saltem menti Tridentini.

119. — « Quæres, an, et quomodo clerici teneantur ad residentiam?

« Resp. 1. Episcopos, parochos, eosque, qui curatum beneficium habent, jure divino tenèri. Nec sufficit, si per alios administrent, nisi majus bonum urgeat, quia contra rationem est, ut hic officium, et fructus, alter onus habeat. » *Bon. tr. 1. d. 5. de oblig. benef. p. 1.*

« Resp. 2. Ita tenèri ad residentiam, ut si Episcopi intra annum ultra tres, et parochi ultra duos menses absque legitima causa, per Episcopum cognita et approbata, absint, mortaliter peccent, et fructus non faciant suos. Ita *Trid.*

» *sess. 23. de Reform. cap. 1. Vide Bonac. l. c.* Notat autem
 » *Dian. p. 9. tom. 7. r. 53. ex Bard.* supradicta etiam habere
 » locum in superioribus, sive prælatis regularibus; ideòque
 » eos tenèri tempore pestis etiam cum periculo suis assistere.

« *Resp. 3.* Qui in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis
 » obtinent dignitates, canonicatus, præbendas, vel portiones »
 » (*Item omnes mansionarii, et cæteri, qui habent in collegia-*
 » *tis beneficium perpetuum cum servitio annexo in choro, ut*
 » *dicunt Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 6. n. 142. ex declar.*
 » *S. C. contra Azorium, qui eos excusant, si alii sint qui Ec-*
 » *clesie inserviant) « si intra annum ultra 3 menses absint,*
 » primo anno mediâ parte fructuum, secundo verò anno om-
 » nibus fructibus, quos illo anno lucrati sunt, privandos.
 » Quæ tamen pœna est sententiæ ferendæ non latæ: ut con-
 » stat *ex Trident. sess. 24. cap. 12. de Ref.*

« *Resp. 4.* Causas à residentia excusantes esse, 1. Lectio-
 » nem theologiæ, vel juris canonici; neque ad hoc licen-
 » tiam prælati, aut Episcopi requiri; requiri autem ad le-
 » etiones litterarum humanarum, et philosophiæ, nisi con-
 » trarium habeat consuetudo. 2. Studium theologiæ, vel juris
 » canonici; id enim per 3 annos etiam excusat. 3. Obsequium
 » Papæ, vel Episcopi, ad Ecclesiæ utilitatem. 4. Licentiam
 » legitimam, ex quavis alia justa causa. 5. Honestam consuetu-
 » dinem, ubi dispositio concilii non est recepta. *Vide Bon. l. c.*

« *Resp. 5.* Qui absque justa causa abest, peccat mortaliter,
 » non tamen tenetur ad restitutionem fructuum, si officio sa-
 » tisfecerit, nisi ad eam condemnetur, vel nisi id aliquo jure
 » sit expressum.

« *Resp. 6.* Eos qui ex legitima causa absunt, non lucrari
 » distributiones, juxta Trid. nisi tamen absint ad curanda
 » negotia Ecclesiæ, ex commissione capituli, vel omninò
 » involuntariè; ob morbum, captivitatem, injustam excom-
 » municationem, etc. *Vide Less. lib. 2. cap. 34. dub. 29.*

420. — Plura hic scitu et ad praxim necessaria sunt ad
 trutinam vocanda circa hanc materiam *residentiæ*, cujus no-
 mine intelligitur commoratio in loco beneficii, ad obsequia
 ecclesiastica personaliter reddenda. Unde benè infert *Sylves-*
ter, quòd ii qui in loco beneficii degunt, sed debita officia
 non præstant, non reputantur residere, ut infra meliùs
 explicatur. Ut certum autem sciendum, quòd olim de jure

communi omnia beneficia simplicia residentiam exigebant, ut patet ex *can. Clericus, dist. 91. et cap. Ex parte 8. de cler. non resid.* Sed hodie ex generali totius Ecclesiae consuetudine ipsa talem residentiam non requirunt, cum sufficiat per vicarium servitium præstare, nisi fundatores aliud expresse-rint. Ita communiter *Cont. Tourn. de beneficiis cap. 4. art. 1. v. Sed contrariâ. Holzm. de præc. partic. p. 453. n. 425. Barb. in Trident. sess. 24. c. 17. nu. 18. cum Sanct. Azor. Reg. et Sporer tom. 3. de statu clericor. pag. 73. n. 22.* qui de hoc refert decretum S. C. Tantum hodie ad residentiam obligantur omnes pastores curam animarum habentes, et omnes canonici sive præbendati, etc. cathedralium sive collegiatarum, de quibus infra postea agemus.

121. — Queritur I. An omnes curam animarum habentes teneantur ad residentiam de jure divino? Negant *Ambrosius Catharinus, Valerius, etc. apud Salmant. tr. 28. de benef. eccl. c. unic. p. 6. §. 1. n. 91.* qui dicunt teneri tantum de jure positivo. Sed omnino tenendum ad id obligari de jure divino, ut communiter *cum Busemb. docent Less. l. 2. c. 54. n. 153. Cont. Tourn. loc. cit. v. Dico 2. Petrocor. tom. 4. p. 503. Anacl. de benef. p. 414. n. 68. Roncaglia eod. tit. cap. 2. qu. 3. r. 2. Spor. l. c. pag. 75. num. 25. cum Nav. Fagnan. Garc. Barb. et Salm. l. c. n. 92. et 94. cum aliis innumeris.* Et probatur ex Concil. Trident. sess. 23. c. 1. de Ref. ubi, licet hoc non fuerit expressè definitum, fuit verò tanquam certum suppositum, his verbis: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera pastoralia munia incumbere; quæ omnia ab iis nequaquam præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, etc. Decl. S. Synodus, omnes cathedralibus Ecclesiis.... præfectos, etiamsi S. Rom. Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diocesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, etc.* Si ergò de jure divino est, ut pastores oves agnoscant et pascant exemplo, de jure etiam divino est consequenter, ut residentant ubi oves morantur; aliàs ea nequaquam ab iis

præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Idque clarè declaravit *Benedictus XIV.* in sua bulla, *Ubi primum edita* 5. Dec. 1740. postquam enim dixit ibi tenèri pastores de jure divino suis ovibus assistere, ut eas pascant verbo et exemplo, mox subdit: *Itaque in statione vestra maneatis oportet, et personalem in Ecclesia vestra, vel diœcesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri (nota) obligati estis.* Hinc benè ajunt *Cont. Tourn. ibid. obj. 2. et Croix l. 4. n. 865. cum Lugo*, non posse Pontificem in hoc dispensare, sed tantùm posse aliquo casu declarare, quòd jus divinum non obliget, justis intervenientibus causis, de quibus vide *infra num. 125.*

122. — Hinc autem notandum I. ab eodem concilio *dict. cap. 1.* concessum esse Episcopis per duos vel tres menses abesse à suis Ecclesiis, his verbis: *Quoniam, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta Synodus vult illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.* Unde opinantur *Roncag. c. 2. q. 3. r. 2. Elbel p. 526. num. 360. et Anacl. p. 415. n. 73. cum Barbos. et Sot. et aliis*, sufficere pro tali absentia excusanda causam etiam relaxandi animum, vel consanguineos aut amicos invisendi. Attamen *Palau d. 5. p. 4. n. 1. Vasq. Op. de benef. cap. 4. §. 2. n. 147. et Mazzot. t. 2. p. 441. n. 2. cum aliis*, dicunt præfatas causas non sufficere, nisi fortè ad mensem, qui reverà benè satis est ad animum relaxandum; dùm è converso concilium judicium pro sufficientia causæ æquæ (id est proportionatæ ad talem absentiam) remittit conscientiis Episcoporum, et sedulò monet, ne salutis periculo ob hoc se committant: sic enim in *eodem cap. 1. Trident.* immediatè ad relata verba subditur: *Et haberi rationem ut id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur.* Notandum autem, quòd concilium *ibidem* monet Episcopos, ne absint à suis ecclesiis cathedralibus tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, ac Resurrectionis Domini,

necnon Pentecostes, et festi Corporis Christi. An verò causæ suprâ allatæ sufficiant ad excusandam absentiam Episcoporum pro tribus mensibus à Tridentino concessis, vel causæ majores his requirantur? Perpende id quod in duplici loco de hoc puncto dixit noster SS. *P. Benedict. XIV.* Nam in uno videtur causam absolutè gravem requirere ad excusandum; in altero verò solas causas fuites excludit. En verba Pontificis in bulla quæ incipit *Grave*, etc. edita die 15 August. 1741. scribens ibi ad Episcopos Hibernos, et conquerens quòd aliqui ipsorum vix per mensem in suis diæcesibus residebant; deinde sic ait: *Episcopi sanè residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium à se substitutum seu vicarium Ecclesiam regunt, nisi foret ad breve tempus, et gravi de causa id fieret.* In alia autem bulla, quæ incipit: *Ad universæ*, edita die 5. Septembris 1746. declarans, qualis sit causa æqua requisita à Tridentino, pro trimestri absentia Episcoporum, dicit: *Animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque fuites causæ penitus excluduntur.*

Insuper quoad hæc Episcoporum residentiam plura alia hic sedulò oportet adnotare, quæ habentur in bulla *Ad Universæ*, mox suprâ citata. In ea ante omnia confirmantur, et præcipiuntur servari in virtute sanctæ obedientiæ Decreta hac de re edita per *Pium IV. Greg. XIII. Clem. VIII.* et præsertim innovantur Decreta *Urbani VIII.* ubi præscriptum fuerat 1. Quòd in curia possunt Episcopi manere Romæ per mensem (qui tamen ex concessione *Benedict. XIII.* prorogari potest per alios 40 dies à vicario Pontificis). 2. Quòd Episcopi accedentes ad limina Apostolorum juxta tempora statuta abesse possunt per quatuor menses, et per septem, si ipsorum Ecclesiæ sint ultra mare vel montes positæ. 3. Quòd si Episcopi occupari debeant in conciliis provincialibus, aut congregationibus ecclesiasticorum, vel in officiis reipublicæ, quæ ipsorum episcopatibus sint adjuncta, possunt abesse pro tempore ad ea necessario. 4. Quòd Episcopi non possunt trimestrem absentiam à Tridentino concessam conjungere cum eo tempore, quo ipsi commorari debent: sive cum eo, quod ipsis conceditur ad sacra limina visitanda; sive cum eo, quo propter aëris insalubritatem ipsis extra diæcesim degere permittitur; nec possunt trimestres unius anni conjungere cum trimestri anni sequentis.

Deinde idem *Benedict. XIV.* in præfata bulla renovat pœnas Episcopis non residentibus impositas à Tridentino, *sess. 6. cap. 1. et sess. 23. cap. 1.* Item innovat pœnam amissionis facultatis testandi, et disponendi, si quæ transgressoribus ejusmodi competat, à *Pio IV.* impositam, necnon pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, et Ecclesias obtinendas indictam à *Clem. VIII.* quibus addit privationem omnium privilegiorum, quæ transgressoribus tanquam pontificio solio assistentibus concessa fuerint. Præterea declarat, quinam comprehendantur nomine *transgressorum*, his verbis: *Decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui præter tres menses à concilio toleratos, absque legitima causa et expressa Romani Pontificis licentia extra proprias dioceses commorantur; sed eos etiam qui hujusmodi licentiam falsis simulativæ causis dolosè extorquere non dubitaverint, vel, eâ semel ritè rectèque obtentâ, præscriptos in eadem limites ac præfinitum tempus prætergressi fuerint.* Vide alia infra, quæ in hac bulla sanciantur.

123. — Notandum II. quòd sic pariter non excusantur à gravi culpa, et à restitutione fructuum parochi non residentes, ut declaravit idem Tridentinum *dict. sess. 23. cap. 1.* Et hi tenentur residere, quantumcumque modicum sit beneficium, ut dicunt *Salmant. tract. 28. c. unic. p. 6. §. 3. num. 409. cum Barbos. et Reg. ex cap. Conquerente, de cler. non res.* Statuit autem idem Tridentin. *loc. cit.* parochos non posse discedere à suis Ecclesiis ultra bimestre, nisi ex gravi causa, et cum licentia Episcopi in scriptis, nec infra bimestre, nisi idem ipsorum Episcopus causam, et vicarium substitutum approbaverit. Verba concilii: *Eadem omninò, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus.... Sacrosancta Synodus declarat et decernit: ita tamen ut quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum cognitâ et probatâ, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.*

Hic autem dubitatur 1. an præfata licentia in scriptis omninò requiratur, ita ut non valeat, si orθένus habeatur? Negant *Less. l. 2. c. 54. num. 158. et alii apud. Bonac. de benef. d. 3. p. 3. num. 17.* dicentes scripturam requiri tan-

tam pro foro externo, non autem ad valorem concessionis : affirmant verò *Sanch. Dec. l. 6. cap. 16. n. 31. Palaus tract. 15. d. 5. n. 8. et Nav. apud Bonac. loc. cit.* ; nam esto de jure nature scriptura non sit necessaria ad valorem concessionis, hæc tamen est necessaria, cum à Tridentino licentia in scriptis pro forma expostuletur. At cum hoc non constet, non puto improbabilem opinionem *Lessii*, quam tenet etiam *Viva Op. 3. q. 3. a. 3. n. 7. in fine*, et probabilem censet *Croix l. 3. p. 1. n. 759. imò Coninchius, et Reg. ibid.* dicunt sufficere licentiam tacitam, saltem si talia concurrant signa ut constet Episcopum actu consentire. Dicit autem *Mazzotta* sufficere etiam licentiam præsumptam ; sed ait *Croix loc. cit.* hanc licentiam præsumptam sive interpretativam à nullo admitti. Vide dicta n. 18. v. *Secunda*. Imò S. C. concilii (ut notat *P. Zacharia ap. Croix d. num. 759.*) declaravit talem licentiam oportere esse expressam.

Dubitatur 2. an parochus habens justam discedendi causam, possit per dictos duos menses abesse sine licentia Episcopi ?

Prima sententia affirmat, eamque tenent *Nav. Man. c. 25. num. 121. Cabass. T. J. l. 5. c. 1. num. 4. item Bon. Rodr. Lop. etc. apud Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 3. n. 116. probabilemque putant Less. l. 2. c. 34. num. 159. Croix l. 3. p. 1. num. 142. Azor. p. 2. l. 7. cap. 4. q. 10. et Pal. tract. 13. d. 5. n. 3. cum Sa, Zerol. etc.* Ratio, quia (ut dicunt) hoc jam permisum erat ante concilium, ut patet ex *cap. Præsentium, quæst. 1.* ubi sacerdos, qui causam infirmitatis aberat à sua Ecclesia per bimestre, ultra tamen tempus ei ab Episcopo præfixum, et idè fuerat à suo Episcopo remotus, præcipitur à Pontifice in locum suum restitui. Ad absentiam autem duorum mensium quælibet causa honesta sufficit, ut patet ex verbis Tridentini suprâ relatis ; ergò licentia et probatio Episcopi non requiritur pro tali absentia, sed tantum pro absentia ultra bimestre, pro qua Episcopus debet causæ gravitatem approbare.

Secunda sententia tamen, quam sequimur, negat, eamque tenent *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 53. n. 96. Elbel tom. 2. pag. 527. n. 362. qui oppositam vocat vix probabilem, Roncag. de benefic. c. 2. q. 4. r. 2. Holzm. tom. 1. p. 433. n. 427. et Salm. l. c. n. 117. cum Vasq. Garc. Gom. Fill. etc.*

ex quadam declaratione S. C. apud *Garciam*. Ratio, quia, licet ex concilio non exigatur gravis causa ad discedendum per bimestre, absolutè tamen requiritur, ut causa ab Episcopo agnoscat, et probetur, ex illis verbis, *quandocumque eos abesse contigerit, causâ prius per Episcopum cognitâ et probatâ*. Tantò magis quòd parochus à concilio prohibetur discedere, nisi prius ab Episcopo approbetur vicarius, qui relinquatur. Dicit tamen *Anacl. p. 416. n. 77.* in hoc servandum esse usum diocesum; et an rigor iste sit usu receptus, ait *Less. d. n. 159. credo tamen non esse usu receptum*. Si autem Episcopus jam causam, et vicarium approbaverit, nulla alia licentia requiritur ad discedendum, ut patet ex verbis concilii suprâ relatis *n. 123.*

Cæterùm licitè potuerit parochus abesse per breve tempus sine licentia, si aliqua occurrat necessitas quæ moram non patiatur Episcopum adeundi, modò idoneum vicarium relinquat, ut rectè ajunt *Sporer tom. 3. p. 74. n. 30. Elbel p. 534. n. 379. cum communi, et Anacl. p. 416. num. 78.* qui hoc ut certum habet; et approbavit S. C. concil. ut notat *P. Zachar. ap. Croix l. 3. p. 1. ad n. 740.* Debet verò Episcopum certiorare de suo discessu et causa, ut ille causam agnoscat, et licentiam saltem postea præbeat, nisi brevi fiat reditus. *Elbel cum Garcia, Sporer lt. cc. cum Fag. Abb. Anacl. etc.*

Item ex parvitate materiæ poterit parochus excusari saltem à mortali si discedat per modicum tempus, ut communiter dicunt DD., modò non relinquat infirmos in articulo mortis. Quantum autem sit hoc modicum tempus? S. C. concilii apud *Garciam*, ut referunt *Salm. tr. 18. c. unic. p. 6. §. 3. n. 113.* sic declaravit: *Parochum non posse abesse absque licentia per hebdomadam, etiam relicto vicario idoneo ab Ordinario approbato*. Verumtamen communiter admittunt *Holz. p. 433. num. 427. Ronc. quæst. 3. r. 2. et Spor. num. 31. pag. 74. cum Barbosa et Anacl.* non peccare graviter parochum, qui absit sine licentia per sex vel septem dies, relicto tamen vicario idoneo; immò *Cont. Tourn. de beneficiis cap. 4. art. 1. in fin. Cabas. lib. 5. cap. 1. num. 4. Sanch. de matrim. lib. 7. d. 71. num. 11. et Reg. Valer. apud Salm. ibid. n. 113.* id extendunt usque ad 15 et 30 dies. Verùm per Synodum Romanam sub *Benedict. XIII. tit. 15. c. 6.* velitum fuit parochis discedere à cura ultra biduum sine Episcopi vel vicarii

generalis licentia in scriptis : sed per aliquos viros probos tanquam certum mihi fuit affirmatum , præfatam Synodum non fuisse in nostro regno receptam. Cæterum non acquiesco opinioni , quam tenet *La Croix l. 5. p. 1. n. 741.* ubi ait non peccare graviter parochum , si absit per bimestre sine licentia , sed cum causa , et sine gravi damno ovium : quia (ut ait) id non est per se malum , alioquin concilium nunquam admisisset absentiam per bimestre etiam præviâ licentiâ : quòd autem non petatur eo casu licentia , censet non esse materiam gravem. Imò affert *ibid. Nav. Garc. Bonac. Barbos. et alios* , qui excusant parochum à mortali , etiamsi abesset sine causa , quia talis absentia per se censetur modica ; unde *Navar. Azor. Castrop. Bonac. et alii ap. Croix num. 743.* eum tali casu non obligant ad restitutionem fructuum. Quidquid tamen sit de his , benè poterit Episcopus prohibere , ne parochi omninò discedant à suis Ecclesiis , esto nequeat eos obstringere per excommunicationem , ne per biduum quidem absint , ut dicunt *Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 3. num. 113. circa med. Ronc. q. 4. r. 2. Bon. d. 5. p. 3. n. 8. Decreto S. C. apud Garc. et Barbos.*

124. — Quæritur II. Quo in loco beneficiarii teneantur residere ? Papa tenetur residere Romæ , prout etiam Cardinales ; ita *Ronc. de benef. c. 2. q. 3. r. 2. Salm. ibid. §. 4. n. 96. et 97.* Episcopus autem alii dicunt tenèri ad residendum in sua cathedrali , nec satis esse si resideant in diœcesi , ut *Salm. ibid. n. 98. Fagnan. in c. 54. de cler. non resid. Roncaglia l. c. cum Barbos. et Sporer pag. 73. n. 25. ex c. Placuit ut nemini, caus. 7. quæst. 1.* ubi ex concilio Carthag. *can. 8.* sic statutum fuit : *Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quam oporteat constitutum, curam, vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.* Si verò Episcopus habeat duas cathedrales , potest ubi mavult residere , ut *Salm. cit. n. 98. in fin. ex bulla Urbani VIII.* Alii tamen veriùs , ut *Holz. tom. 1. pag. 433. n. 426. Cabass. T. J. lib. 5. c. 1. n. 2.* eisque adhæret *Bonac. t. 1. d. 5. p. 5. n. 5.* dicunt posse residere Episcopum in quocumque loco suæ diœcesis ; et de hoc videtur non posse dubitari , cum in Tridentino expressè dicantur Episcopi *obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi residentiam.* Idemque declaravit

N. P. in bulla, quæ incipit, *Ubi primum*, edita 3. Decemb. 1740. dicens: *personalem in Ecclesia vestra, vel diœcesi servatis residentiam.*

Parochi autem debent habitare in domo suæ Ecclesiæ, si ibi adest; si verò non adest, debent residere in alia domo, quæ sit intra limites parochiæ, saltem moraliter, nempe quæ sit ita propinqua Ecclesiæ parochiali, ut commodè possit ei inservire: et quò parochiani facillè queant ad ipsum recurrere pro sacramentis suscipiendis; ita *Palau tr. 13. d. 3. part. 2. n. 1. Bon. de benef. d. 3. p. 1. n. 4. et Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 3. n. 110. cum Nav. Bard. Hurt. et Garcia*; hinc rectè dicunt *Bon. et Salm. ll. cc. nequaquam residentem censeri parochum, qui habitaret procul à sua Ecclesia per tria, aut quatuor milliaria; imò etiam per duo, ut non irrationabiliter sentit Croix l. 3. p. 2. n. 743. Imò ibid. addit cum Luca, Leur. Lot. etc. non satis residere parochum, etiamsi habitet intra fines parochiæ, si oves non facillè ad eum accedere possint. Parochus verò qui haberet duas parochias perpetuò unitas, quarum nulla sit dignior, aut frequentior, aut existens in civitate, hic poterit habitare in ea, qua velit: ut *Salm. ibid. cum Nav. Pal. Hurt. Bard. et Garcia*, qui refert hæc fuisse decisa ex variis declarationibus S. C.*

123. — Quær. III. Quæ sunt causæ excusantes Episcopos, et parochos à residentia? Quatuor ex Tridentin. sess. 23. c. 1. de *Ref.* assignantur causæ, nempe *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, aut reip. utilitas.* Has tamen causas decernit concilium, quoad Episcopos excusandos pertinet, approbandas esse in scriptis vel à Pontifice, vel à Metropolitanò, vel eo absente à suffraganeo Episcopo antiquiore residente, qui Metropolitanì absentiam probare debebit. Sed nunc semper ad Papam recurrendum, ut n. 122. *in fine.* Quoad parochos verò, causæ approbari debent à suis Ordinariis, ut jam suprâ diximus. Sed de præfatis causis sigilatim agendum.

Et I. Ratione *christianæ charitatis* excusantur pastores animarum, si abesse debeant ad componendas inimicitias, præsertim personarum potentium; ut *Ronc. c. 2. q. 4. Barb. all. 33. Holzm. pag. 434. num. 428. Elbel tom. 1. pag. 327. n. 363. Cont. Tourn. loc. cit. num. 1. Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 2. n. 101. cum Sot. Vasq. etc.* Vel ad opitulandum alteri

Ecclesie, quæ indigeat eorum prædicatione, ut liberetur ab hæresi, vel aliis gravibus flagitiis. *Palau* tr. 13. d. 5. p. 4. n. 4. item *Ronc. Holz. et Elbel* ll. cc. modò, advertit *Palau* cum *Tol. et Barb.*, non fiat cum notabili detrimento propriæ Ecclesie.

II. Ratione *urgentis necessitatis* excusantur pastores, quando eis imminet periculum extrinsecum mortis ab inimicis (vel gravis damni in bonis, ut ait *Petrocor. l. c.*) dummodò præsentia pastoris non sit necessaria ad salutem subditorum; nempe ad confirmandos eos in fide, vel ad sacramenta eis ministranda, et aliàs sufficienter ipsis per vicarios provideatur, ut docent communiter DD. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 185. art. 5. cujus verba retulimus *l. 4. num. 360. v. Dubitatur III.* Dicit autem *Ronc. c. 2. q. 4. cum Fagn. in c. Clericos, de cler. non resid. n. 25. et 26. ex decr. S. C.* quòd si aliquis parochus gravem haberet inimicitiam, posset discedere per sex menses, constituto idoneo vicario, et licentiâ obtentâ; quæ posset prorogari, si inimicitia perduraret; sed transacto anno debet parochus induci omninò ad resignandam vel permutandam Ecclesiam. Insuper animadvertendum, quòd talis absentia tum tantum permittitur, cum periculum est particulare ipsius pastoris, non verò quando est commune totius populi, prout accidit tempore pestis, ut docent communiter *Fagn. l. c. n. 38. Cont. Tourn. ibid. num. 2. Ronc. c. 2. quæst. 4. Sporer p. 74. n. 32. et Elbel t. 1. p. 529. n. 170.* et sic referunt *Fagnanus, et Sporer* declarasse S. C. ann. 1576, die 11. Octobris, instante *S. Carolo Borromæo.* Et idem dicendum ait *Spor.* de tempore incursionis hostium.

Sic pariter excusantur pastores à residentia ob periculum intrinsecum infirmitatis, putà si eis oporteat abesse à suis Ecclesiis propter insalubritatem aëris, ut communiter docent *Caj. 2. 2. q. 185. art. 5. Petr. de benef. t. 4. pag. 505. Cont. Tourn. loc. supra cit. Holz. pag. 453. n. 428. Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 2. n. 102. in fin. et Laym. l. 2. tr. 2. c. 6. n. 5. ex c. Præsentium 7. qu. 1. et c. Ad audientiam, de cler. non res.*, modò tamen, ut benè advertunt *Cont. Tourn. et Salm. ll. cc. cum Bellarm. Vasq. Hurtado*, infirmitas non sit perpetua, et absentia non sit ovibus graviter nocitura, nam tunc debet pastor vel residere, vel curam resignare. Hic autem advertendæ sunt regulæ, quas super hac causa infirmitatis præ-

scripsit *Bened. XIV.* in bulla, *Ad universæ*, suprâ relata; et quas mandavit servari ab iis ad quos spectat; in ea sic loquitur: *Qui verò licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra diœcesim contractæ, dum vacatione à concilio indultâ uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam diœcesim sibi prohiberi, exponere debent contractæ infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debent, adjectâ quoque clausulâ, si tandiù infirmitas duraverit.*

Ab iis autem, qui hujusmodi licentiam postulaverint, ed quodd aëris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quàm graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui jurejurando testetur, utile ac necessarium oratori esse, ut in aliam regionem atque aërem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio prætereundum, an scilicet orator, antequam morbo corripetur, trimestri licentiâ à concilio permissâ usus fuerit: si enim id nondum fecerit, et tempus à concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, à residentia absens permaneat: at si prædictos conciliares menses, remoto omni dolo et fraude, jam extra diœcesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem verè necessarium esse prudenter judicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra diœcesim postulabit propter malignitatem aëris, quem in sua diœcesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat: et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aër: item an eadem cœli temperies totam comprehendat diœcesim, ita ut nullus intra ejus tractum locus existat, in quò suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremò, an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpsarit, non ægrè obtinebit Indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aëre tandiù durare censetur), in quibus tamen tres illi à concilio permissi numerandi erunt: si autem hujusmodi concilii indulgentiâ jam

usus fuerit, frustra novum Indultum prædicta de causa ab apostolica Sede postulabit : sibi que imputare debebit, quòd, cum sciret certo anni tempore in sua diœcesi aërem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentia Indultis, quæ ratione aëris insalubris in posterum concedentur, hæc clausulam adjici volumus : dummodò intra diœcesim aliquis locus non adsit, in quo aër salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit.

III. Ratione debita obedientia excusantur Episcopi, vel parochi, si absunt ut obediant Pontifici vel suis Ordinariis ob bonum Ecclesie, vel reipublicæ, ut dicunt *Elbel pag. 327. n. 563. Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 2. n. 103. et Holz. pag. 433. n. 428.* vel ob quaecumque aliam gravem causam, ut ait *Cont. Tourn. de benef. cap. 4. art. 1. n. 3.* dummodò absentia sit ad breve tempus, nam aliàs requiritur absoluta necessitas boni communis, ut *Salm. ibid. cum Caj. Gonz. Soto, Vasq. etc.*

An autem Episcopus possit retinere parochum, ut sit suus vicarius, visitator, aut secretarius? Affirmant *Nav. Sylv. Oxeda, et alii apud Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 6. §. 4. n. 121.* Sed melius id negant *Bon. d. 5. q. 2. n. 4. Cont. Tourn. loc. cit. Ronc. c. 2. q. 4. Salm. ibid. num. 122. cum Gonzal. Garcia, etc. ac Viva Opusc. 3. q. 3. art. 2. n. 8.* qui refert S. Congregationem sic declarasse : *Episcopus non potest uti operâ parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ diœcesis, nisi pro tempore illi permissio duorum mensium.* Excipit *Palau d. 5. p. 4. n. 9. cum Vasq. Azor. et Barb.* si talis sit indigentia, ut non sit alius, qui hujusmodi legitime præstare possit.

IV. Ratione evidentis Ecclesie, aut reip. utilitatis excusantur pastores, si absunt causâ assistendi Synodis provincialibus vel diœcesanis; vel ut defendant se, vel suos, aut Ecclesiam apud curiam regiam in gravi negotio, ut dicunt *Salm. ibid. §. 2. n. 105. cum Soto, et Vasq. Ronc. c. 2. q. 4. et Bonac. d. 5. p. 5. n. 12. (contra Nav.)* cum quadam decisione Rotæ Rom. ex c. *Ex parte 13. de cler. non res.*, ubi dicitur : *Quòd si, non absentando in fraudem, præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris, ex hoc censeri debeas residens.* Hoc tamen intelligendum (benè advertit *Ronc. l. c.*), modò non sit alius, qui æquè

utiliter id implere possit. Insuper præscribit *Bened. XIV.* in bulla suprâ cit. quod in hujusmodi litibus pro Ecclesia vel clero tuendo Episcopus exponere debet gravitatem litis et causas per quas necessaria creditur ejus assistentia; et annis mensibus conciliaribus usus fuerit: nam si nondum usus sit, rescribere debet, ut iis ad hunc effectum utatur: si verò usus fuerit, concedatur illi licentia, ut absit non usque ad exitum causæ, sed quamdiu necesse erit ad advocatos et iudices instruendos. Si autem lis pertineat ad suam familiam, alia licentia ipsi non concedetur, nisi pro mensibus conciliaribus.

Nullo autem modo poterunt abesse, etiam cum licentia Pontificis, ad fungendum officio proregis, consilarii, etc. nisi id exigat bonum commune, ut dicunt *Az. Sotus, Bardi, Diana, etc. apud Salm. cit. n. 103. circa fin.* Sed melius id intelligendum, ut docent *Vasq. Barb. Garcia, et Molf. apud Bon. d. 5. p. 5. n. 9.* si non sint alii qui æquè utiliter, et fideliter talia officia exercere valeant.

426. — Quæritur IV. Quando et quomodo Episcopi, ac parochi teneantur ad restitutionem fructuum suorum beneficiorum. Ante omnia advertere oportet, quæ super hoc puncto statuit Tridentinum, nam in *sess. 6. c. 1. de Ref.* sic præscripsit: *Si quis à patriarchali, metropolitana, aut cathedrali sibi quocumque titulo commissa..... rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diocesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit; aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat.* Deinde in *sess. 23. c. 1.* declaravit, Episcopum ultra tres menses, et sine justa causa absentem à sua Ecclesia, *Præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas, ac peccati mortalis reatum, eum pro rata temporis absentiæ non facere fructus suos, aliâ etiam declaratione non secutâ, sed teneri per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, vel pauperibus loci erogare, prohibita quâcumque compositione.* Deinde respectu parochorum hæc subdit: *Eadem omninò, etiam quoad culpam, amis-*

sionem fructuum, et poenas, de Curatis inferioribus, etc. sacrosancta Synodus declarat et decernit.

127. — Sed dubitatur 1. an pastores animarum teneantur ad restitutionem fructuum, si absint sine licentia, sed cum justa causa? Negat *Viva Op. 5. q. 3. a. 3. n. 7.* et dicit quod si causa absentiae sit evidenter justa, non tenentur restituere fructus, nisi post sententiam judicis, modò per alios suis oribus sufficienter providerint. Ratio, quia talis restitutio non debetur, nisi quando violatur jus naturale contractus, quod hic non violatur; non verò quando læditur solum jus positivum; tunc enim requiritur sententia, ut poena incurtatur. Sed quoad Episcopos aliter hodie dicendum ex bulla supra relata *N. SS. P. Bened. XIV. Ad universæ*, ubi sancitur, quod si Episcopus ultra menses conciliares absit *sine licentia expressa Romani Pontificis*, habetur ut transgressor, et fructus non facit suos, et alias incurrit poenas in transgressores impositas. *Vide num. 122. in fin.*

Dubitatur 2. an restituendi sint fructus, si absentia sit inculpabilis, quia scilicet facta fuit bonâ fide, et cum existimatione causæ excusantis à residentia? Negant *Viva dict. art. 5. n. 9. et Garcia apud Bonac. d. 5. p. 4. n. 10.* Ratio, quia obligatio restitutionis vel est de jure positivo tamquam poena, et hæc non debetur nisi post sententiam; vel est de jure naturali, et ex benignitate Ecclesiæ præsumitur nolle ipsam damnare ad talem restitutionem beneficiarium, qui inculpabiliter suæ obligationi non satisfacit; prout beneficiarius inculpabiliter omittens recitationem officii probabilius non tenetur restituere fructus beneficii, ut communissimè docent DD. (*vide dicta libro 4. n. 665.*) esto plures auctores sentiant beneficiarios de jure naturali ad officium tenèri; sed huic opinioni minimè acquiesco, nam ut certum habendum puto, quod hæc obligatio non est de jure positivo, sed de jure naturali et divino, cum de jure naturali divino teneantur pastores residere ut ex Tridentino probavimus supra n. 121. Posito igitur quod pastores teneantur de jure naturali ad residentiam, ad eam quidem non aliâ ratione tenentur, quam contractus initi inter ipsos et Ecclesiam, ex quo dantur eis fructus beneficiorum sub conditione residentiae; quâ non impletâ, etiam sine culpa, nullo modo pastores tales fructus acquirunt. Præsumptio autem illa quod Ecclesia fructus re-

mittat illis, qui sine culpa non resident, valde dubia est; imò potius præsumitur Ecclesia oppositum velle ne pateat via ad eludendam hanc residentiam tam rigorosè ab ipsa Ecclesia requisitam: tantò magis quòd *N. P. Benedict. XIV.* in citata bulla *Ad universæ*, expressè declaravit haberi tamquam transgressores; et fructus non facere suos, Episcopos qui *sine legitima causa* à suis Ecclesiis absunt. Nec obstat paritas allata beneficiariorum inculpabiliter omittentium officium, nam (ut diximus *l. 4. d. n. 665.* et dicemus *infra n. 145. Q. I.*) communiter DD. docent, prout fatetur *Covarr.*, contrariæ sententiæ fautor, quòd beneficiarii non jam tenentur ad restitutionem fructuum de jure naturali, sed positivo ex concilio Lateran. et ex Bulla *S. Pii V.* ubi talis restitutio omittentibus præcipitur.

Dubitatur 3. an teneantur restituere fructus pastores, qui inutiliter in suis Ecclesiis resident? Negant *Garc. et Led. apud Viva cit. Opusc. 3. qu. 3. art. 3. num. 8.* quia (ut dicunt) absentia est rigorosè explicanda, unde semper ac non absunt, possunt fructus lucrari, satisfaciendo per alios suis obligationibus. Sed verius affirmat *Viva loc. cit.*, tum quia restitutio fructuum reverà, ut diximus, ab his non tantum debetur de jure positivo ratione pœnæ, sed etiam de jure naturali ratione contractus, sive conditionis residentie in contractu appositæ non impletæ, quæ conditio quidem non potest intelligi de sola residentia corporali: tum quia, etiamsi restitutio fructuum non deberetur de jure naturali, sed ex sola lege pœnali Tridentini, adhuc pastores inutiliter residentes tenerentur fructus restituere; dum concilium in *cit. sess. 25. c. 1.* postquam declaravit ipsos obligari ad personalem residentiam, addit: *Ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.* Atque in bulla *Grave, Bened. XIV.* declaratur residentia non esse vera, nisi sit formalis.

Hinc communiter dicunt DD. ut *Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 3. n. 114. cum Vasq. Barbo. et Garc. ex declarat. S. C.* quòd parochus non reputatur residere, si per se ipsum non exerceat principaliora munera, nempe administrationem verbi divini, Sacramentorum, etc. Et quoad Episcopos, ait *Sporer tom. 3. pag. 73. num. 27.* quòd licèt ipsi regulariter, juxta consuetudinem, non teneantur per se prædicare, et Sacramenta ministrare, debent tamen personaliter invigilare, ut per alios

id præsent, et insuper gregem bono exemplo instruere, ac pauperibus subvenire. Dictum est *regulariter*, nam puto saltem aliquando Episcopos tenèri ad concionandum, dum ipsi (ut declarat Tridentinum *d. c. 1. sess. 23.*) de jure divino tenentur oves suas verbi divini prædicatione pascere. Hocque per idem Concilium *sess. 5. c. 2. de Ref.* declaratur: *Omnes Episcopos et prælatos tenèri per seipsos, si legitime impediti non fuerint ad prædicandum.... Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat ultioni.* Circa autem obligationem parochorum concionandi, et Sacramenta ministrandi, vide dicta *l. 4. n. 269. v. Hic obiter, et n. 358.*

Sentit autem *Hurtadus l. 3. de resid. Paroch. resp. 9. contra Sanctum*, non esse tutum in conscientia parochum, qui degens in parochia, per duos menses Sacramenta per seipsum non ministraret, nisi in beneficio constitutus esset alius vicarius perpetuus, ut dicunt *Salm. cit. num. 144. cum Genzal. Barbos. et Gare. Censet tamen Viva cit. art. 3. num. 9. cum Sancio* esse valde probabile, quòd Episcopus vel parochus absens cum justa causa, et tantò magis inutiliter residens in sua Ecclesia per tres menses, vel duos, ipsis respectivè à Trident. concessos, non teneatur ad restitutionem fructuum. Idque non omninò improbable videtur, cum ex concilio dict. *cap. 1.* præsumptum spatium non reputetur gravis materia; nam pro trimestri Episcoporum absentia utitur verbo illo *aliquantisper*, et pro bimestri parochorum gravem non requirit causam. Dicunt verò *Bon. et Barb. ap. Croix l. 3. p. 1. n. 732.* quòd parochi qui tantum habitu sunt curati, possunt totam curam sacellanis committere. Curati autem etiam actu peccant mortaliter, si semper per alios ministrent, cum ipsi commode possint; secus, si aliquando ministrent per se, præsertim Sacramentum pœnitentiæ; et aliàs per sacellanos.

Dubitatur 4. an Episcopus vel parochus non residens teneatur ad integram restitutionem fructuum, tempori absentie respondentium? Affirmat *Nav. apud Bonac. de benef. d. 5. p. 4. n. 5.* quia (ut ait) Tridentinum indefinitè absentes privat eos fructibus; propositio enim indefinita æquivalet universali. Negant verò probabiliter *Bon. loc. cit. Barbos. de pot. Ep. pag. 5. alleg. 43. n. 10. Croix l. 3. p. 1. num. 737. et Viva Opusc. 5. qu. 3. art. 3. n. 3. et 4. cum Vasq. et communi*, ut asserit; idemque ait *Viva* de omnibus aliis beneficiariis ad re-

sidentiam obstrictis. Ac ejusdem sententiæ, ait *Bonac.* debere esse omnes DD. qui excusant ab integra restitutione fructuum beneficiatos omittentes recitationem horarum, ut retulimus *Lib. 4. num. 673. v. Quæritur 10.* Ratio, quia fructus non solum dantur pastoribus pro oneribus residentię, sed etiam pro recitatione divini officii, et aliis muneribus; unde concilium Tridentinum, cum oppositum non expresserit, benignè interpretandum velle, quod præfati pastores teneantur restituere fructus tantum residentię respondententes, juxta rationem naturalem, quæ dictat, quod, si quis duplici onere gravatur, non est privandus integrâ mercede, cum unum adimplet.

128. — Quæritur V. Quibus restitui debent fructus à non residentibus? Hic notanda est differentia inter restitutionem faciendam à beneficiario ob omissionem horarum et ob omissionem residentię. Illa enim potest fieri quibusque pauperibus, et in fabricam domus beneficii, sive in emendis, aut meliorandis agris beneficii; quia omnia hæc veniunt nomine *fabricæ beneficii*, ut dicitur in bulla S. Pii V. *vide dicta lib. 4. n. 672.* Ob omissionem autem residentię, restitutio debet omninò erogari vel in *fabricam Ecclesiæ*, vel in *pauperes illius loci*, ut sancitur in *Trid. sess. 23. c. 1. de Ref. Vide Bon. q. 3. p. 4. et Viva Opusc. 3. q. 3. a. 4. n. 1.* Nec satisfacit pastor non residens, applicando restitutionem in missis vel aliis suffragiis pro animabus purgatorii illius loci, quia reverà animæ defunctorum non possunt ampliùs dici *pauperes loci illius*.

Dicit autem *Viva loc. cit. cum Less. et communi*, ut asserit, quod benè posset beneficiarius sibi restitutionem applicare, casu quo ipse verè esset pauper, cum non debeat inferioris esse conditionis, quàm alii pauperes; modò id non faciat in fraudem, nempe si non resideat eo animo, ut postea applicet deinde sibi fructus ratione paupertatis; fraus enim nulli debet patrocinari, ut diximus *lib. 4. n. 672.* et sic dicit *Viva n. 4.* qui tamen excipit, si fortè beneficiarius in gravem necessitatem postea incideret, et pœnitentiâ ductus proponeret se emendare in futurum. Insuper *Viva n. 5. et Bon. de hor. can. d. 1. q. 3. p. 4. n. 10. cum Suar. Nav. Az. Men. etc.* communiter docent, quod si pauperes donarent beneficiario fructus restituendos post ipsorum traditionem, tunc benè

posset ille retinere; secus verò, si donarent ante traditionem; quia tunc donatio est nulla: pauperes enim nullum jus certum et firmum habent ad illos fructus, sed tantum vagum et incertum, cum sit in potestate beneficiarii eligere pauperes, quos velit.

129. — Hinc ultimò plura adnotare oportet circa residentiam canonicorum in loco beneficii. Ante omnia animadvertenda sunt verba Tridentini, quæ circa id habentur in *sess. 24. c. 12. de Ref.* ibi: *Præterea, obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus,.... non liceat vigore cujuscumque statuti, aut consuetudinis ultra tres menses quotibet anno abesse, salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente verò contumaciâ, contra eos, juxta sacrorum Canonum Constitutiones, procedatur.* Insuper ex Diplomate N. SS. P. Benedicti XIV. (quod retulimus l. 4. num. 675. vers. *Dubitatur* 3.) habetur, quod canonici choro non interessentes, sive non canentes, psallentesve, non solum amittunt distributiones, ut jam statutum erat in *eod. can. 12. concilii* (cujus verba retulimus *eod. l. c.*), sed etiam fructus omnes præbendarum, cum non faciant suos. Si ergò non faciunt fructus suos non canentes, tantò magis non faciunt non residentes. Præterquam quòd id clarè eruitur ex eodem Tridentini loco mox suprâ citato (quidquid dicat *Bon. t. 1. d. 5. de Onere Benef. ad resid. p. 4. n. 16.*), dum ibi dicitur, quòd canonicus non residens ultra tres menses, *privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ (nota) fecit suos.* Ergo si canonicus *ratione residentiæ* facit fructus suos, non residendo suos non facit. Dicit autem *Bonacina*, (et hoc valde probabile est *l. c. cum Macigno*), ex quadam declar. S. C. canonicos non privari fructibus, si tantum per paucos dies ultra tres menses absint, hujusmodi enim transgressio non videtur talis, ut prædictam gravem pœnam privationis medietatis fructuum mereatur.

Canonici autem tribus mensibus, in quibus absunt, non lucrantur distributiones, sed bene lucrantur fructus præben-

dæ: modò (ut bonè ait *Concina tom. 2. p. 535. n. 32. cum Garcia*) reliquo tempore anni resederint, et chorum frequentaverint, contra *Palaum tr. 7. d. 5. p. 9. n. 10. et Bon. de hor. can. d. 2. q. 5. p. 4. n. 22. et 25.* qui dicunt canonicos absentes majori anni parte non idè carere privilegio trium mensium ipsis concessio, quia privilegium non datum est residentibus, sed obligatis ad residendum; aliis canonici non possent eo privilegio frui, nisi priùs per novem menses jam resedissent, quod certè non esset juxta usum receptum, dum in qualibet anni parte tres menses privilegii accipere solent. Sed huic opinioni non acquiesco, quia concilium præbendatos ultra tres menses absentes, absolutè illos privat fructibus præbendæ; atque etiam eos damnat ad restituendam medietatem fructuum, quos ratione residentie fecerant suos; quapropter ipsi ex concilio post absentiam trium mensium privantur omninò præfato privilegio. An autem canonicus, qui inutiliter prodigit tres menses à Trid. concessos, teneatur restituere fructus beneficii; affirmant *Palud. et Nav. apud Conc. pag. 535. n. 32.* sed probabiliùs negant *ibid. Sanch. Peltiz., et Leand.* Ratio, quia concilium absolutè concedit canonicis per tres menses abesse, nullà speciali causâ requisitâ. Bonè autem possunt canonici conjungere tempus trimestre concessum cum trimestri anni sequentis, ut dicunt *Pell. et Leand.* nisi (excipit *Concina pag. 535. n. 33.*) scandalum obveniat, aut cultus divinus minuatur. Præterea refert *ibid. Concina*, sacram C. apud *Leand.* declarasse, quòd non possint confici præfati tres menses ex horis, quibus canonici residentes absunt à choro; item declarasse non posse canonicos computare punctaturæ pro tribus mensibus ipsis concessis, ita ut nihil teneantur restituere, si omnes punctaturæ anni non excederent quartam partem integræ residentie. Cæterùm, regulariter absentes à choro ex justa causa lucrantur et fructus, et distributiones; ita communiter *Bonacina dist. 2. q. 7. pag. 1. Salm. tr. 16. c. 4. p. 2. num. 11. Concina t. 5. pag. 522. n. 2. etc.* Quidquid sit, ut alii negant, de distributionibus, quæ ex absentia reliquorum canonicorum ipsis deberentur. Advertatur hic quòd ex decr. S. C. Conc. apud *Jordanus. Pax (Elucubr. lib. 10. t. 40. n. 75.)* canonici nequeunt in mensibus conciliariis abesse diœcesi, nisi de licentia Episcopi.

130. — Causæ autem excusantes canonicos ab assistentia chori tres sunt, ut constituit *Bonifacius VIII. in cap. unic. de cleric. non resid. in 6.*, nempe *infirmitas, rationabilis corporis necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas*. Et hic expedit prænotare, quòd ille qui non residet propter has tres causas in præfato textu expressas, non privatur neque fructibus præbendæ, neque distributionibus, ut patet ex eodem cap. citato. Quibus addenda est quarta causa (ut censet *Pichler in Candid. abbrev. l. 3. tit. 4. n. 8.*) nempe consuetudo introducta post Tridentinum, nam concilium antegressas abolevit. Qui autem non residet propter causas diversas à tribus prædictis, sed etiam justas, putà ob studium, visitationem, et alias de quibus infra fiet sermo (ubi semper requiritur licentia Episcopi, vel prælati), is lucratur quidem fructus, sed non distributiones, ut *Anacl. l. 3. tit. 4. n. 154. et 163. ac Holzm. cum aliis communiter*. I. igitur excusat *infirmitas*, non quidem levis, sed tantùm gravis, vel quæ gravis fieri potest per accessum ad Ecclesiam, ut communiter dicunt *Palaeus d. 3. p. 9. §. 1. n. 2. Bon. q. 5. p. 1. n. 13. Concina tom. 2. pag. 522. n. 2. et Salm. ibid. p. 3. §. 1. n. 15. cum Pell. etc.* Excusantur autem etiam ii qui propriâ culpâ infirmitatem contraxerint, ut pariter cum communi docent *Pal. n. 3. Bon. n. 7. Concina n. 3. cum Nav. Sanch. et Salm. de horis can. c. 4. p. 3. §. 1. n. 16. cum Garc. Covarr. et Pell. quia jus indistinctè excusat infirmos*. Et hoc, etiamsi quis datâ operâ in morbum se conjecerit, ut absit à choro, prout probabiliter dicunt *Palaeus, Salmant. ll. cc. et probabilem putat Concina n. 4. cum Bon.* Ratio, quia lex ad infirmitatem, non autem ad intentionem respicit; et hoc etiamsi iste ante infirmitatem consueverat abesse à choro, ut probabile putant *Nav. l. 2. de rest. c. 11. n. 238. item Conc. l. c. n. 5. et Salm. ibid. n. 17. circa fin. cum P. Nav. et Pal. qui id vocat satis probabile (contra Bon. p. 1. n. 10. cum Covar. Az. etc.)*, et meritò, quia infirmitas hic et nunc de se excusat. Nec officit, quòd ille nec vellet assistere, si esset sanus; nam leges non puniunt nisi culpabilem absentiam. Secùs verò ajunt *Sanch. Cons. l. 2. c. 2. dub. 90. n. 5. Pal. n. 6. Salm. ibid. n. 18. et Concina pag. 526. n. 6. cum communi*, ut asserit, si canonicus sine legitima causa absit, et infirmetur, quia tunc pro toto tempore absentiae reputatur culpabiliter

absens. Contra hanc sententiam, quam audio vocari communem, nolo iudicium ferre; sed durum mihi videtur, ut si quis, licet sine causa, aliò accedat, et ibi contrahat perpetuum morbum, perpetuò debeat distributionibus, et fructibus præbendæ privari.

Dubitatur 1. an excusentur absolutè septuagenarii ab assistentia chori? Affirmant *Leander*, et alii; sed veriùs negat *P. Conc. tom. 2. pag. 526. n. 8.* si ipsi robusti sint; et ad alia peragenda negotia ordinariè egrediuntur. Secùs si sint debiles, et minùs apti ad longum iter faciendum, ita ut commodè interesse nequeant, ut ait *Bon. p. 2. n. 6. cum Azor. Men. et aliis.* Unde probabiliter dicunt *Salm. ibid. §. 2. num. 91. in med.* quòd hujusmodi senes regulariter non tenentur ad chorum, non autem quòd numquam.

Dubitatur 2. an excusentur cæci et surdi, et lucrentur distributiones, si absunt à choro? Affirmant *Barb. Pelliz. Diana, etc. apud Salm. cit. n. 18. circa fin.* Idque inferunt, ex *l. 1. c. Qui morb. etc.* ubi dicitur: *Qui utriusque oculi aciem amisit, levamen sentit munerum personalium.* Sed meliùs negant *Sanch. Cons. l. 2. c. 2. dub. 90. et Salm. loc. cit. in fin. cum Suar. P. Nav. et Cov.* quia chorus istis non nocet, et ipsi assistendo saltem auctoritatem præbent. Excusarem autem cæcum, qui sine notabili incommodo non posset ad Ecclesiam accedere.

II. Excusat *rationabilis corporis necessitas*, sub qua intelligitur timor cujuscumque gravis damni in vita, honore, aut bonis. Unde non privatur distributionibus, qui domi morantur ad medicinam sumendam, ad venam seindendam, vel proficiscuntur ad balnea, aut locum salubrioris aëris: item qui ab hostibus capiuntur, aut qui patiuntur injustum exilium, aut detinentur per vim, aut ob timorem gravis nocumenti ab inimicis; ita *Bon. q. 5. p. 2. ex n. 7. Salm. tr. 16. c. 4. p. 3. §. 2. n. 19. et Conc. t. 2. pag. 526. n. 9. cum commun.* Idem probabilìus dicendum de absente ob metum belli, vel pestis grassantis in loco beneficii, ut tenent *Bon. n. 7. et 8. Pal. tr. 7. d. 3. p. 9. §. 2. n. 2. et Salm. ibid. cum Vasq. Pell. Covarr. Garc. etc. contra Conc. l. c. Barb. etc.* qui concedunt posse quidem talem percipere fructus præbendæ, non verò distributiones.

Cùm autem quis abest à choro ob excommunicationem,

amittit distributiones, si justè sit excommunicatus; secùs si injustè, et curet ab excommunicatione absolvi. *Concina p. 527. n. 10. et Salm. ibid. n. 21.* Item de canonico suspenso probabiliùs esset, censet *Concina n. 12.* Si verò quis sit justè excommunicatus, etiamsi choro assistat, putat *P. Conc. num. 11. cum Abb. Palud. Innoc. Nav. Suar. Tolet. Fill. Sylv. et communi*, ut asserit, hunc amittere tam distributiones, quàm fructus beneficii; sed probabiliter id negant *Sanch. de matr. l. 5. d. 51. n. 12. Bon. p. 2. §. 2. Pal. p. 9. §. 2. n. 4. cum Coniack, Vasq. et Gloss. in c. Pastoralis, §. Verum de appell. ut Salm. cit. n. 21. cum P. Nav. Pellz. etc.* et dicunt, quòd licèt iste peccaret assistendo, et meritò deberet privari à judice distributionibus, et fructibus; nullibi tamen constat hanc privationem ipso jure impositam esse. Qui autem esset justè excommunicatus, et resipiscens absolutionem peteret, non amitteret distributiones, si injustè absolutio ei negaretur, cum tunc per ipsum non fiat quominùs assistat. Ita *Paluus p. 9. §. 2. n. 4. cum Suar. Vasq. Sylvest. Armil. Sa. Henr. Sayr. Lop. etc. communiter.*

Quando autem Ecclesia est interdicta, canonici non assistentes non idè amittunt distributiones, dummodò non dederint causam interdicto. *Conc. l. c. n. 12.* Secùs est in cessatione divinatorum officiorum, tunc enim etiam non dantes causam cessationi privantur distributionibus, ut *Conc. l. c. Pal. n. 11. et Bon. p. 1. §. 5. cum Suar. et Sayr. ex c. Si canonici. v. Scituri, de Off. Ordin. in 6.* ubi statuitur, quòd ii qui causam dederunt cessationi, debent restituere canonicis omne interesse, quod ipsi amittunt ex ommissa assistentia divinis officiis. Sic pariter quando Ecclesia est polluta, non privantur distributionibus illi, qui causam pollutioni non dederunt. Ita *Paluus p. 9. §. 2. n. 10. Conc. d. n. 12. cum Suar. Bon. Sayr. Trull. Henr. et communi.*

Quæritur autem hìc, an canonici irregulares assistentes amittant distributiones, et fructus præbendæ? Si irregularitas est incursa post collationem beneficii, certum est et commune, quòd neutrum amittunt: ita *Conc. t. 2. pag. 527. n. 12.* Sed dubium fit, quando irregularitas incursa est ante collationem. Hæc quæstio omninò pendet ab alia, an collatio præbendæ facta clerico irregulari sit per se invalida? Negant *Paluus de censur. tr. 29. d. 6. p. 5. n. 7. Elbel t. 2. pag. 457.*

n. 158. *Ronc. de censur. c. 1. q. 3. r. 1. et Salm. tr. 10. c. 7. punct. 2. n. 34. cum Sylvest. Felin. Leand. Laym. Less. Suar. Conc. Hurt. etc.* hanc sententiam probabilem putant. Hi dicunt collationem istam illicitam quidem esse, et nullam in foro externo, sed validam in conscientia. Ratio, quia cum nulla irregularitas incurratur, nisi in jure sit expressa, tantò minus incurritur ejus effectus, qualis est inhabilitas ad beneficia obtinenda; hic autem effectus nullibi in jure reperitur expressus. Affirmant verò probabiliùs *Conc. l. c. Cont. Tourn. de irregularitatibus part. 1. cap. 3. v. Gravis hic. Holzm. t. 1. p. 411. n. 520. Bon. de irreg. d. 3. p. 4. n. 6. cum aliis: et hanc sententiam ipsi Salm. fatentur esse communem. Probatur 1. ex c. 2. de cler. pugn. in duello, ubi dicitur dispensari posse cum clerico irregulari, ut beneficium possideat; ergò sine dispensatione ipse est inhabilis ad recipienda beneficia. Probatur 2. et fortiùs ex Trid. sess. 22. c. 4. de Ref. ubi concilium loquens de præbendis, sic ait: *Ne aliis in posteriùs fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem, et cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Respondent *Salm. tr. 10. c. 7. p. 2. n. 40. et Ronc. ad præfatum textum (quem ipsi Salm. ibid. n. 39. fatentur difficilem esse solutione), et dicunt to cæteras habilitates intelligi de habilitatibus ex jure naturali, non autem positivo: sed hæc responsio non satisfacit; nam concilium, cum indistinctè et integrè habilitates requirat, sanè intelligendum est de omnibus habilitatibus, tam de jure naturali, quàm positivo necessariis; idque videtur expressè ibidem declarari, cum dicatur, qui jam ætatem, etc. id est ætatem requisitam ad ordines recipiendos, ut concilium præceperat, quæ quidem habilitas certè est de jure positivo. Hinc probabiliùs *P. Concina l. c. sentit clericos, qui post irregularitatem præbendas recipiunt, privari ipso jure etiam in conscientia distributionibus, et fructibus beneficii.***

III. Excusat *Ecclesiæ utilitas*, modò utilitas sit gravis judicio Episcopi, vel capituli, et sit Ecclesiæ propriæ, vel universalis, aut totius diœcesis, non verò alterius Ecclesiæ vel particularis, ut *Conc. t. 2. pag. 528. n. 14. et Salm. tr. 16. c. 4. p. 3. §. 3. n. 25.* An autem qui propter utilitatem Ecclesiæ abest à loco beneficii, lucretur distributiones: negant aliqui ex *cap. Cum non deceat, de elect. in 6. ubi clerici ad Sedem apo-*

stolicam accedentes ob negotium suarum Ecclesiarum distributionibus privantur. Sed probabilius affirmant *Salm. l. c. n. 24. cum Pal. Pelliz. etc.* idque satis probabile putat *Concina n. 15. ex c. unic. de Cler. non resid. in 6.* ubi absolute conceditur privilegium absentibus in utilitatem evidentem Ecclesiae. Alter autem textus intelligitur de solo casu, quo prae-bendatus accedit ad Sedem apostolicam ob instructionem electionis.

Item ex hac ratione excusatur canonicus, qui mittitur (nam unus tantum mitti potest) ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum, ut communiter omnes cum *Concina n. 16.* Idem dicitur de canonico comitante suum Episcopum ad eadem limina, ex decreto *Sixti V. apud Concina, qui ibid. ait, Episcopum limina visitantem posse etiam duos canonicos secum ducere.* Idem dicitur de canonico misso ad concilium provinciale tanquam theologo, canonista, aut procuratore, ut probabilius sentiunt *Concina pag. 529. num. 17. et Salm. de Hor. can. c. 4. p. 3. §. 3. n. 25. cum Pal. Pell. etc.* Idem, si mittatur canonicus à capitulo ad Pontificem, aut principem tanquam legatus pro agendis negotiis Ecclesiae. *Concina ib.* Idem, si eligatur vicarius capitularis Sede vacante, ut communiter docent DD, quia hic incumbit totius diocesis utilitati. Secus, si eligatur vicarius Episcopi, quia tunc Episcopo, non Ecclesiae inservit. Is enim lucratur quidem fructus praebendae, sed non distributiones. *Pal. p. 9. §. 7. n. 2. Salm. ibid. p. 4. n. 34. Conc. p. 529. num. 18, et 24.*

151. — Minimè autem privatur distributionibus canonicus poenitentarius, qui tempore officii confessiones excipit, ex *Trid. sess. 24. c. 8. de Reform.* ubi dicitur: *Poenitentarius aliquis cum unione praebendae proximè vacaturae ab Episcopo instituat, qui magister sit, vel doctor, aut licentiat in theologia, vel jure canonico, et annorum 40; seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiat; qui dum confessiones in Ecclesia audit, interim praesens in choro censeatur.* Sed hic dubitatur, an lucretur distributiones poenitentarius, qui tempore officii manet in confessionario expectans poenitentes accessuros? Negat *Barbosa de Pot. Ep. alleg. 65. num. 30. cum Garcia, Ugolin. Sal. et Moneta,* qui referunt decisum, non habendum esse pro praesente in choro poenitentarium, qui residet in confessionario pro tempore, quo non audit con-

fessiones, etiam ut opportuniùs confessiones audiat. Sed veriùs *Salm. ibid. n. 31. cum Barb. Bonac. Pell. Ronc. tr. 3. c. 2. qu. 6. r. 1. et Concina, cum Pal. et Leand.* affirmant, si pœnitentes soleant accedere, et pœnitentiarius eo animo se detineat, ut promptiorem illis se exhibeat, ex decl. S. C. relata à *Barbosa in Concil. Trid. sess. 24. c. 8.* pro Ecclesia Abulensi, ubi mandatur pœnitentiario assistere in confessionario, ne pœnitentes perquirere eum cogantur, et ob vercundiam ejus inquisitionis confessiones omittant. Et idem dicitur de canonico subrogato pœnitentiario, modò subrogatio non fiat in fraudem; et de aliis qui pœnitentiarium adjuvant de mandato superioris in magno concursu. *Conc. ibid. et Castropal. l. c. n. 3. c. 4.* Præterea addunt *Barbosa in Trident. sess. 24. c. 8. n. 29. Castr. n. 2. et Bonacina t. 1. de hor. canonic. d. 2. qu. 3. pag. 3. §. 3. num. 3. cum Sal. et Garcia* ex alia declarat. S. C. in *una Gienen. 4. Sept. 1591.* Pœnitentiarium censeri præsentem etiam processionibus, orationibus, et exequiis defunctorum, quæ fiunt tempore quo ipse confessiones audit. Quod autem dicunt de pœnitentiario, dicunt etiam de canonico curato, qui tempore officii opera sui muneris exercet. *Pal. p. 9. §. 3. n. 8. Salm. tr. 16. cap. 4. p. 3. §. 3. n. 26. cum Barbos. Garc. Gutt. et Concina p. 332. n. 22.* qui sentit idem procedere, etiamsi Ecclesia, de qua is curam habet, sit diversa ab Ecclesia, ubi est canonicus; dummodo illa sit intra propriam diœcesim; sed huic contradicit *Bonac. d. 1. qu. 5. p. 5. §. 6. n. 5.* Non amittit autem distributiones is, qui abest ad tuenda jura sui beneficii: secùs verò si defendat jus suum ad beneficium adversùs alterum. *Concina, ib.*

Sic pariter lucratur distributiones canonicus theologus, qui tempore officii legit, aut concionatur, ut communiter docent omnes; et etiamsi in aliis horis ipsius diei (non verò præcedentis) se pararet ad legendum, vel concionandum, ut *Roncag. c. 2. q. 6. r. 2. cum communi*, ex concessione *Greg. XIII. et Concina p. 331. n. 21. cum communi* ex decl. S. C. *apud Garciam*, qui contradicit.

Sentiunt autem *Concina pag. 332. n. 22. Pal. p. 9. §. 7. n. 1. Ronc. r. 3. et Salm. ibid. p. 4. n. 34. cum Garc. Pell. etc. contra Barbos. et Zechium apud Pal.* quòd canonici examinatores, dum absunt à choro (nisi alia sit alicubi consuetudo)

non lucrentur distributiones. Idem ajunt de cāonicis destinatis ab Episcopo ad visitanda hospitalia et Ecclesias diocesis, quia hi non occupantur in servitium propriæ Ecclesiæ. Episcopus autem potest duos canonicos in suo servitio occupare ex cap. De cætero, et c. Ad audientiam, de cler. non res. qui lucrentur fructus præbendæ, sed non distributiones; ut Ronc. l. c. et Salm. de benef. eccl. c. unic. p. 6. §. 4. n. 125. ex decl. S. C. Dicit tamen P. Conc. n. 25. quod canonici assistentes Episcopo solemniter celebranti lucrentur etiam distributiones. Canonici autem absentes à choro tempore officii, ut capitula celebrent, amittunt tam distributiones, quàm fructus præbendæ, quia tempore officii vel missæ choralis ipsis vetitum est capitula celebrare, nisi urgeat grave negotium, quod moram non patiatur. Conc. ib.

152. — Ultimò notandum, quod præbendati docentes in scholis publicis (non autem privatis) sacram Scripturam, licet non lucrentur distributiones, acquirunt tamen fructus suorum beneficiorum, ex Trid. sess. 5. c. 1. de Ref. in fin. Idem dicitur in cap. fin. de Magistris, de docentibus theologiam. Idque communiter extendunt DD. ad docentes jus canonicum, ut Palaus p. 9. §. 9. n. 1. Roncag. de benef. c. 2. q. 6. r. 3. Concina t. 2. pag. 555. n. 24. et Salm. ibid. n. 129. et 130. cum Sanch. Fill. Garcia, qui de hoc affert declarationem S. C. Idem dicunt de docentibus Grammaticam Pal. n. 3. Conc. n. 26. Ronc. l. c. et Salm. tr. 16. c. 4. p. 4. num. 57. nec non Salm. ibid. idem sentiunt de docentibus logicam, et philosophiam, quia (ut ajunt) omnia hæc sunt necessariò præmittenda ad theologiam addiscendam.

An autem parochi docentes sacram Scripturam, theologiam, aut jus canonicum eodem privilegio gaudeant? Negat P. Concina num. 25. quia in Tridentino parochus absolutè vetatur abesse ultra duos menses. Sed probabiliter admittunt Palaus n. 4. Salm. dict. n. 57. et tr. 28. c. unic. p. 6. §. 4. n. 130. in fin. et Ronc. l. cit. cum Gonzal. Barbos. etc. Ratio, quia in cit. cap. fin. de Magistris indistinctè omnibus facultatem theologiam docentibus conceditur privilegium, sive exemptio à residentia: hocque privilegium non habetur in Tridentino, quod ibi clarè (ut oportebat) sit revocatum: verba autem textûs præfati hæc sunt: *Docentes verò in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa integrè per annos*

quinque, percipiant de licentia (nempe generali, concessâ auctoritate hujus constitutionis, ut explicat ibi Glossa) Sedis apostolicæ proventus præbendarum, et beneficiorum suorum, non obstante aliquâ contrariâ consuetudine, aut statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Ratio, quia id redundat in bonum totius diœcesis, immò universalis Ecclesiæ.

Idem privilegium sanè conceditur præbendatis studentibus in universitate ex Trident. l. c. et ex cit. c. fin. de Magist. et cap. 11. de Privil. in 6. ac cap. Tuæ, de Cler. non resid. modò ipsi studiis operam dent saltem per majorem anni partem, ut ait Conc. num. 27. et Pal. n. 5. cum Bonac. Barbos. etc. et modò habeant de hoc licentiam (quæ verò non requiritur pro docentibus), ut dicunt Palaus part. 9. §. 9. n. 7. Ronc. qu. 6. r. 3. Conc. n. 28. ex Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 4. n. 130. cum Barb. et Garc. ex bulla Pii IV. Ad aures, edita 24. Novemb. 1564. Hæc autem licentia illis suffragatur pro quinquennio, si audiant sacros canones; pro septennio verò, si audiant sacram Scripturam, seu theologiam. Salmant. l. c. cum Garc. et Barb. An autem parochi studentes theologiæ excusentur à residentia post duos menses ipsis à Trid. concessos? Affirmant Nav. Tolet. Less. etc. apud Palaum num. 9. idque probabile putant Palaus ibid. et Salm. tr. 16. c. 4. p. 4. n. 59. quia in cit. cap. fin. de Magistris eodem privilegio gaudent docentes, quo studentes. Sed probabiliùs negant Conc. pag. 354. n. 29. Ronc. qu. 6. r. 3. Palaus num. 9. Salm. l. c. cum Gonzal. Barbos. Garcia, etc. Ratio, tum quia Tridentinum declaravit non posse parochos ultra duos menses abesse, nisi ex gravi causa; et S. C. apud Garciam declaravit hujusmodi causam studiorum nequaquam esse gravem; tum quia privilegium præfatum concessum est tantum addiscentibus, unde non concedendum parochis, qui jam edocti supponuntur. Dicunt verò Salm. tr. 28. c. unic. p. 6. §. 4. n. 128. ex decl. S. C. quòd si à Papa detur alicui licentia, ut absit causâ studiorum, hæc non valet nisi consensus Ordinarii accedat. Et sic pariter referunt declarasse Pium IV. de his qui studiis in curia Romana assistunt. Hic autem obiter notandum, quòd in c. fin. de Cler. vel Mon. prohibentur archidiaconi, decani, plebani, præpositi, cantores, et alii clerici personatus habentes, necnon presbyteri studere juri civili, vel medicinæ sub pœna excom-

municationis latæ sententiæ, si infra duos menses à tali studio non destiterint. (Dicit tamen *Bonac. de Censur. d. 2. qu. 4. p. 6. num. 4. cum communi*, hoc non intelligi de studio privato; nec si audiatur lector domi, ut probabile putat cum *Tol. Calderin. etc.* neque intelligi de docentibus, ut sentiunt *Sanch. l. 6. cap. 8. n. 9.* et idem *Bon. cum Tab. et aliis*). Unde tales studentes privantur fructibus suarum præbendarum, ut dicunt *Palauus l. c. p. 9. num. 6. Salm. tr. 16. c. 4. p. 4. n. 38. cum Bonac. et Barbosa.*

Diximus autem præfatos magistros, aut scholares excusatos, lucrari quidem fructus beneficiorum, non verò distributiones: si tamen beneficium constaret ex solis distributionibus, has etiam lucrari dicit *Conc. pag. 533. n. 27. cum communi* ex decl. S. C. apud *Garciam (contra Bon.)*, quia tunc distributiones succedunt loco fructuum. Et idem ait *Conc. pag. 536. n. 35. de dispensatis à choro*, quando beneficium tantum ex distributionibus conflatur. Excipit tamen *Conc. contra alios*, si sint distributiones minutæ pro anniversariis, quia testatores nolunt has dari nisi assistentibus.

ARTICULUS V.

Quibus modis beneficia amittuntur?

133 Quibus modis amittuntur beneficia?

134 Quid, et quotuplex est resignatio?

135 Quid requiritur, ut valeat resignatio conditionata?

136 Quid de permutatione beneficiorum?

133. — **R**ESP. 1. Beneficia quatuor modis amittuntur:
 » 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex dispositione juris, idque
 » vel propter alterius beneficii impossibilis consecutionem,
 » vel per professionem religiosam, vel per contractum ma-
 » trimonii, vel per commissionem criminis (v. gr. hæresis,
 » schismatis, sodomiae sæpius exercitæ), cui amissio beneficii
 » ipso facto est annexa, ut vide apud *Less. l. 2. cap. 34. d. 34.*
 » 3. Per sententiam judicis. 4. Per liberam resignationem,
 » de qua

134. — **R**ESP. 2. Resignatio est spontanea proprii bene-

» ficii dimissio, facta coram legitimo superiore id acceptante.
 » Estque duplex, scilicet tacita, quæ fit ex juris dispositione;
 » ut dum quis religionem proficitur: et expressa, quæ rur-
 » sus est duplex, scilicet pura, quæ fit sine conditione et pacto
 » apposito, coram Ordinario, qui beneficium cuilibet alteri
 » conferre potest: et conditionata, seu in favorem: eaque vel
 » est simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione;
 » vel est qualificata, quando scilicet fit reservato sibi jure
 » regressus, vel pensione, vel fructibus aliquibus, quæ ob
 » simoniam juris humani, non nisi in Pontificis manibus fieri
 » potest. Et quamvis verius sit, etiam resignationem simpli-
 » cem in Pontificis manibus faciendam, cum alioqui pericu-
 » lum sit, ne beneficiorum resignationes speciem quamdam
 » hæreditariæ successionis acquirant, quod jura canonica
 » detestantur: probabile tamen est, in manu Ordinarii fieri
 » posse, eò quòd permutatio in ejus manibus fieri possit. »
 (Sed omninò contradicunt Salm. de simon. c. 5. p. 4. n. 52.
 cum communi. Vide dicta de simon. l. 4. n. 81.) « Idque à
 » fortiori verum est, si fiat sine modo obligatorio, quamvis
 » additâ deprecatione, ut personæ certæ conferatur. Idque
 » observari potest, ubi non est recepta bulla Pii V. quam-
 » libet personæ successuræ designationem prohibens, quam
 » citat Laym. l. 4. t. 2. cap. 17.

155. — « Porro, ut resignatio conditionata valida sit, re-
 » quiritur 1. Ut beneficium sit resignantis, cum resignatio sit
 » juris sui dimissio. 2. Ut fiat liberè. 3. Ut fiat in manibus
 » ejus qui potest admittere, scilicet Pontificis, Ordinarii, col-
 » latoris, vel institutoris, juxta dicta. 4. Ut acceptetur à
 » prælato, in cujus manibus fit, quia sine acceptatione jus
 » suum resignans non perdit. 5. Ut conferatur illi, in cujus
 » favorem, cum clausula consueta, *non aliter, nec aliàs*,
 » est resignatum. 6. Ut is, cui confertur, acceptet; aliàs enim
 » resignans non perdit beneficium, propter clausulam *non*
 » *aliter*. 7. Requiritur consensus patroni, vel electorum,
 » prout beneficium est patronatum, vel electivum. 8. Si re-
 » signans sit infirmus, ut à resignatione supervivat 20 dies,
 » aliàs enim per obitum vacare censebitur. 9. Ut si resigna-
 » tio fiat in curia Romana, intra 6 menses à supplicatione
 » oblata computandos, in loco beneficii publicetur; sin au-
 » tem extra curiam, intra mensem: alioqui, si contingat

» resignantem mori antequam resignarius ceperit possessionem, beneficium vacare censebitur. *Less. et Laym. c. 17. 156.* — **Resp. 3.** Permutatio beneficiorum, quæ est quædam species conditionalis resignationis, fit, cum duo beneficiati unum, vel plura sua beneficia Pontifici non reservata, in manus Ordinarii, alteriusve episcopali auctoritate præditi resignant, cum conditione, ut postea vicissim alteri alterius beneficium conferat. Quod quandoque Episcopus instituere potest, si necessitas ita exigat; vocatis tamen iis quorum interest, scilicet patrono, et collatore inferiore. Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem. *Vide Less. c. 31. d. 35. et 56. Laym. cap. 17. Bon. de sim. d. 1. qu. 4. §. 12.* (*Videl. 4. n. 72.*)

» **Quæres 1.** An licitæ sint permutationes coram Ordinariis, in mensibus reservatis per concordata Germaniæ? **Resp.** affirmativè, quia per reservationem concordatorum non censetur Pontifex voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriolem facere, quam Episcoporum extra Germaniam, coram quibus id simpliciter licet.

» **Quæres 2.** An licitum sit permutare beneficia, compensatâ fructuum æqualitate?

» **Resp. 1.** non licere, si beneficium copiosius, non separatim proventibus à titulo, permutetur cum tenui. Ratio est, quia excessus ille, eo ipso, quo manet annexus titulo, est debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi potest, quin etiam exigatur pro titulo.

» **Resp. 2.** posse peti compensationem ob hujusmodi permutationem à Pontifice pro incommodo temporali, quod alter subit, spoliando se proventibus sui beneficii, ideoque talis compensatio non est pretium beneficii, aut proventuum annexorum, sed conditio, ut se indemnem servet, sine qua conditione nolle se spoliare.

» **Resp. 3.** Jura proventuum posse separari à titulis, et primò nudos titulos, deinde alio contractu jura proventuum, utpote temporalia, permutari, compensato excessu opulentioris; idque auctoritate solius Papæ. *Vide Less. l. c. Bon. l. c. §. 12. n. 41.* (*Vide l. 4. n. 75. et 76.*)

» **Quæres 3.** An licitè permutetur beneficium hæc lege, ut expensæ litis vel bullarum refundantur per recipientem?

- » Resp. Vidèri permutationem simoniacam, si impensus sint
 » causa impulsiva permutationis, sine qua actus non fuerit
 » futurus. Idem de simili resignatione affirmarem. *Less. l. c.*
 » *Bon. l. c. n. 6.*

ARTICULUS VI.

Quid, et quotuplex sit pensio?

137 *Quid, et quotuplex sit pensio?*

138 *A quo et quanta possit pensio designari?*

139 *An pensionarius possit de illa liberè disponere?*

137. — « **R**ESP. Pensio est jus percipiendi fructus ex
 » alieno beneficio. Estque triplex: 1. *Temporalis*, quæ datur
 » propter ministerium temporale, v. g. cantori, œdituo, pa-
 » trono, et defensori Ecclesiæ. 2. *Spiritualis*, quæ fundatur
 » in titulo merè spirituali, ut quæ datur concionatori, coad-
 » jutori Episcopi, parochi, etc. 3. *Media*, quæ fundatur in
 » statu spirituali, non tamen officio spirituali: ut quæ da-
 » tur clerico pauperi, vel parochi seni ad sustentationem,
 » vel quæ datur causâ resignationis, et litis componendæ. Duæ
 » posteriores dicuntur clericales, quia clericis; prima laica-
 » lis, quia laicis tantùm datur.

138. — « Porro circa pensiones *Laym. c. 18. et Less. c. 35.*
 » docent hæc: L. Etsi eam designare proprium sit Papæ, id
 » tamen etiam Episcopum posse in causis specialibus, et
 » necessariis: v. g. propter paupertatem, et senium resi-
 » gnantis, vel litis compositionem, vel propter adæquan-
 » dos fructus, in permutatione beneficiorum. » (*Vide l. 4.*
 » *n. 73.*) « II. Debere esse moderatam, ita ut beneficiato relin-
 » quatur sufficiens sustentatio; talis autem plerùmque cen-
 » setur tertia pars fructuum. » (*Cum Salm. de benef. cap. unic.*
 » *p. 4. §. 1. n. 46.*) « III. Ad pensionem non requiri consen-
 » sum patroni, ut quidam volunt, quia id nullo jure statu-
 » tum est, neque ullum fit præjudicium per impositionem
 » pensionis, cum is fructus non percipiat ex beneficio, sed
 » tantùm habeat jus instituendi, et præsentandi, quod ei
 » non adimitur. IV. Pensionarius post constitutionem *Pii V.*

» ubi ea est recepta, tenetur recitare officium B. V. nec facit
 » fructus suos, si omittat. » (*Intelligitur de pensione quam
 quis ut clericus percipit. Vide Salm. ibid. §. 3. n. 64. Item
 ad tale onus non obligantur, qui dicunt officium majus,
 vel qui fiunt Equites Ordinis militaris, cum satisfaciunt
 recitando preces à religione præceptas. Ita Azor. Pal. Bon.
 Led. cum Salm. cit. n. 64. et de hor. can. c. 2. p. 3. §. 1. n. 28.*)
 « V. Pensionem extingui morte pensionarii, sicut usufructus
 » morte usufructuarii. Posset tamen Papa facere perpetuam,
 » ex plenitudine potestatis. De venditione et redemptione pen-
 » sionis vide Laym. c. 18 et Less. l. 2. c. 23. d. 22. Bon.
 » loc. cit. §. 13.

139. — Quæritur, an pensionarius possit de redditibus pen-
 sionis pro libito disponere? Affirmant Vasq. Azor. Covarr.
 etc. apud Salm. de benef. eccl. cap. unic. p. 4. §. 3. n. 63.
 quia pensio, ut dicunt, est portio jam extracta ex fructibus
 beneficii. Et pro hac sententia adest decisio Rotæ Romanæ,
 quam affert Azor. p. 2. l. 7. c. 9. q. 12. in qua definitum fuit,
pensiones decursas et non solutas non computari inter spolia
(sicut computantur fructus beneficiorum), sed transire ad hæ-
redes; quia pensio non est beneficium, sed consistit in mera
temporalitate. Negant verò Nav. Mol. Garcia, quia pensio eis-
 dem regulis beneficiorum metiri debet, cum illis æquiparetur.
 Verùm Salm. ibid. prope med. distinguunt, et affirmant
 de pensione laicali, negant de ecclesiastica. Hæ tres sententiæ
 omnes sunt probabiles. Vide l. 4. n. 491. Qu. VI.

DUBIUM II.

DE HORIS CANONICIS.

ARTICULUS I.

Qui obligentur ad Horas?

- 140 *Quinam clerici teneantur ad officium? Qualem partem officii
 teneantur dicere subdiaconi eâ die, quâ ordinantur? Et an
 subdiaconus, qui officium recitavit ante ordinationem, te-
 neatur repetere?*
- 141 *An teneantur ad Horas canonicas omnes religiosi, et mo-
 niales?*

- 142 *An religiosi non constituti in sacris, et moniales non dicentes officium in choro, teneantur recitare privatim? Dub. 1. An teneantur ad officium religiosi ejecti? Dub. 2. An profugi? Dub. 3. An ad triremes damnati? An degentes extra claustra?*
- 143 *Not. 1. An, et quando religiosi teneantur recitare in choro? Quid si sint occupati? Not. 2. An peccent graviter prælati negligentes officium recitare in choro? An teneantur Episcopi recitare in choro? Not. 3. An teneantur supplere omissa, qui plura non percipiunt, ut choro inserviant? An ad peccandum graviter in choro sufficiat omissio minoris partis, quàm in officio privato?*
- 144 *De obligatione beneficiariorum circa officium. An beneficiarius ordinatus per metum gravem teneatur ad officium?*
- 143 *Qu. I. Quot peccata committat sacerdos beneficiatus officium omittens? Qu. II. An beneficiarius graviter peccet omittendo officium, si velit fructus restituere?*

140. — « **R**ESP. Clerici majorum ordinum etiam suspensi, » excommunicati, degradati, tenentur tùm jure ecclesiastico, » tùm generali consuetudine Ecclesiæ.
 « Dixi majorum ordinum; quia minorum non tantùm non » ad horas, sed neque ad psalmum *Miserere* tenentur, quem, » vel simile quid, cùm Episcopus primam tonsuram conferens » injungit, non videtur obligare, nisi ut vel tantùm fiat » aliquoties, vel per modum consilii. *Less. l. 2. c. 37. d. 9. n. 47.*

Unde resolvuntur hi casus :

« 1. Tenetur ad horas, qui cum dispensatione Papæ duxit » uxorem; nisi in hoc ipso sit dispensatus: quia dispensatio, » utpote odiosa, strictè est explicanda, et ipse characterem » retinet. *Bon. et Az. l. 10. c. 5. contra alios.*

« 2. Clericus incipit obligari à puncto subdiaconatus su- » cepti: et quidem ad horas respondentes horæ, quâ ordi- » natur. *Bon. tr. de horis q. 1. punct. 5. ex communi.*

Hinc dicit *Croix l. 4. n. 1187. cum Azor et Stoz* tenèri subdiaconum die quo ordinatur ad horam, quæ tunc dicenda esset in choro. Unde, si ordinatur horâ undecimâ, ait *Croix cum Bonart.* probabile esse tenèri tantùm ad Vesperas, cùm

eo tempore regulariter aliæ horæ jam persolutæ sint in choro. Sed huic opinioni non acquiesco, quia veriùs ordinatus tenetur ad horam, quæ respondet ad horam, in qua contrahit obligationem; quapropter regulariter tenetur recitare ab hora sexta, ut rectè ait *P. Conc. l. 2. p. 397. n. 5.* cui adhærent *Pal. et Gobatus.*

An autem subdiaconus qui recitaverit partem illam ante ordinationem, suæ obligationi satisfecerit? Negant *Cont. Tournely de virt. relig. cap. 2. de orat. art. 8. de hor. can. sect. 2. concl. 1. in fin. et Croix l. 4. n. 1187. cum Bon. Pal. etc.* tùm quia debito nequit satisfieri antequam contrahatur; tùm quia Ecclesia exigit officium à subdiaconis, ut nomine ejus illud persolvant; at qui non est adhuc subdiaconus, nequit nomine Ecclesiæ officium recitare. Affirmant verò *Tamb. Dec. l. 2. c. 5. n. 9. et Lugo, Trull. et Gob. ap. Dian. p. 6. tr. 6. r. 38.* et probabile putant *Croix l. c. et Viva q. 5. a. 1. n. 8.* quia benè potest debitum illud anticipatè solvi, quod certò moraliter est contrahendum.

Prima sententia videtur probabilior, quia Ecclesia exigit officium à subdiacono, ut nomine ejus illud persolvat; at qui non est subdiaconus, nequè ab Ecclesia ut publicus minister destinatus, non potest nomine Ecclesiæ recitare, neque orationem publicam efficere. Sed huic posset responderi, quòd sacerdos excommunicatus nec etiam potest orare nomine Ecclesiæ, neque orationem publicam facere, et hic utique tenetur officium recitare, et recitando benè satisfacit; ergò ad satisfaciendum non est opus, ut recitans nomine Ecclesiæ oret: unde adhuc probabilem puto *secundam sententiam.*

141. — « Resp. 2. Omnes religiosi professi, ad chorum » destinati, utriusque sexùs, obligantur ad horas: idque ex » antiqua, et recepta consuetudine; quam tamen quidam, » ut *Aragonius*, putant non obligare tam strictè, ut peccent » mortaliter, si bis, terve omittant. Et de monialibus du- » bitant *Caj. Med. Arm. Dian. tr. 12. r. 17.* Imò cas (atque » adeo omnes religiosos sacris non initiatos) non tenèri sub » onere peccati absolutè, sed nimis laxè, docet *Petrus March.* » *apud Dian. p. 9. tr. 6. res. 7.* contra aliorum communein, » et veram sententiam, quæ docet, tenèri secundùm suas » regulas, et consuetudines. *Bon. q. 2. p. 2. n. 5. ex Azor.* » *Less. Mälder.*

Unde resolves :

« 1. Non tenentur ad horas 1. Novitii, 2. conversi, 3. religiosi Societatis Jesu. 4. militantes, hospitalarii, et cæteri in choro non destinati. *Trull. l. 1. c. 7. d. 12. §. 1. n. 5.*

« 2. Is, qui ex una religione transit in aliam, in qua non est hæc consuetudo, non tenetur, quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta. Ita *Suar. et Laym. Idem dic de religioso ejecto, vel qui dispensationem obtinuit perpetuò vivendi extra monasterium, quia, etsi maneat religiosus, non tamen regularis. Ita probabiliter Sotus, Sanch. Bon. d. 1. q. 2. p. 3. n. 4. etc. contra Suar.*

Hic confert aliqua prænotare de institutione divini officii. Horæ canonicæ, ut fertur, saltem quoad substantiam, institutæ fuerunt tempore apostolorum, ut indicatur *Actor. c. 2. §. 42.* ubi narratur, quòd fideles erant *perseverantes in fractione panis et orationibus*; id est *in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus cantantes et psallentes, juxta Apost. ad Eph. c. 5. §. 19.* Idque clariùs significavit *Clem. Papa I. l. 8. Constit. apost. can. 54.* ubi suis clericis sic præcepit: *Præcationes facite manè, horà tertià, sextà, et nonà, et vesperè, atque ad galli cantum.* *Gelasius* autem I. ut ferunt *Azorius et Fill.*, publicam legem constituit, quâ clerici septies in die preces canonicas persolvere cogerentur. Quoad verò pertinet ad Breviarii formam, refert *Radulphus*, ineunte sæculo XIII. in æde pontificia illud breviatum fuisse, et ideo *Breviarium* appellari. *Vide alia apud Thomassin. Disc. eccl. p. 4. l. 1. c. 40.*

142. — Primo loco oportet hic plura adnotare de obligatione religiosorum recitandi officium, et deinde de recitatione in choro. Ante omnia illa magna quæstio occurrit, an religiosi non constituti in sacris, et moniales teneantur sub gravi recitare quotidie officium, saltem privatè?

Prima sententia negat, et hæc tenent *Bordon. in Consil. r. 30. Arm. v. Horæ, Sa, eod. verbo n. 1. item Marchant. Martin. à S. Jos. Castrop, Anton. à Sp. S. Jo. Med. ap. Salm. tr. 16. de hor. can. c. 2. punct. 2. n. 13. et seqq.* et probabilem putat *Less. res. cas. post. p. 2. D. Th. v. Horæ, casu 14.* Ratio, quia, licèt in hoc adsit consuetudo, non tamen con-

stat, ut dicunt *Caj. Led. Palac. etc. ap. Sanch. Cons. 7. c. 2. d. 3. n. 4.* eam fuisse introductam à religiosis cum animo graviter se obligandi.

Secunda sententia censet non peccare graviter religiosos et moniales, quæ aliquoties tantum et non frequenter officium omittunt.

Tertia sententia verò communis, quam sequimur, et tenent *Less. l. 2. c. 37. n. 47. Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 3. Anacl. pag. 190. n. 48. Salm. l. c. n. 19. et P. Conc. t. 2. p. 399. ex num. 3. cum S. Anton. Gonet. Pal. Tamb. Diana, Vasq. ac aliis; item Laym. tr. 1. c. 4. n. 1. et 2.* qui contrariam rejicit; et *Reg. apud Tamb. l. 2. c. 5. Dec. §. 1. n. 13.* vocat temerariam, ac *Diana* prorsus improbandam, refertque *Cont. Tourn. loc. cit. concl. 3. P. Mutium Vitteleschi præp. gen. Soc. Jesu anno 1625.* prohibuisse, ne quis suorum opinionem illam doceret ut probabilem; et eandem reprobata fuisse ab universitatibus Hispalensi, Conimbricensi, etc. necnon jussu Pontificis ipsam erasam fuisse à libro *Emman. Sa.* Nostra autem sententia docet, quòd ipsi tenentur sub gravi officium quotidie recitare, ex consuetudine jam præscripta. Nec valet dicere, quòd non constet ipsam introductam fuisse à religiosis animo se obligandi sub gravi; nam ex regula generali, pro eo stat possessio pro quo stat præsumptio: cum autem consuetudo hæc universè à religiosis, et monialibus cum magno incommodo constanter observata fuerit, et prælati graviter semper reprehenderit eam non servantes; id sufficientem præbet præsumptionem, quòd ipsi recitantes talem consuetudinem verè introduxerint animo se obligandi: si igitur præsumptio stat pro obligatione, pro eo stat quidem etiam possessio. *Vide dicta in simili casu de abstinentia à lacticiniis l. 4. num. 1009. v. Dubitatur III.* Concedunt autem communiter DD. 1. quòd prælati, etiam inferiores, possint ex causa, putà studiorum, et simili, dispensare sicut in aliis observantiis cum suis subditis, ut non recitent officium. Ita *Salm. tr. 16. c. 2. p. 2. n. 20. cum Less. Garc. Vill. Tamb.* Concedunt 2. quòd, si in aliqua religione constaret non esse talem consuetudinem, talis obligatio in illa non esset. *Salm. ibid. in fin. cum Bon. Caj. Sanch. etc.* De privilegiis autem religiosorum circa divinum officium, *vide dicta num. 63.*

Dubitatur 1. an religiosi ejecti per sententiam, teneantur

ad officium? Affirmant *Cabass. T. J. l. 1. c. 21. n. 18. Conc. t. 2. pag. 403. n. 16. Anacl. pag. 191. n. 23. cum Azor. et Nav.*, quia ipsi retinent statum, et adhuc religiosi reputantur. Sed non improbabilius negant *cum Busemb. Sanch. de matr. l. 8. d. 8. n. 11. Less. l. 2. c. 37. n. 50. cum Soto, et Laym. l. 4. tr. 1. c. 4. n. 2.* qui hanc tutam vocat sententiam. Ratio, quia in eis jam extincta est essentia status religiosi, cum non amplius teneantur ad vota, ut supponit *Sanch.* tanquam certum; nec sit in potestate eorum ad religionem redire.

Dubitatur 2. an religiosi profugi obligentur ad officium? Negat *Bon. de hor. can. d. 1. q. 11. p. 2. n. 6.* et probabile putat *Tamb. l. c.* quia (ut dicunt) isti constituuntur in statu, cum non convenit recitatio horarum. Sed melius *Less. l. 2. c. 37. n. 50. et Conc. p. 403. n. 15.* docent teneri. Ratio, quia, sicut ipsi non amittunt statum religiosum, ita ab illius oneribus non eximuntur.

Dubitatur 3. an religiosi ad triremes damnati teneantur horas recitare? Affirmat *Laym. c. 4. num. 2. cum Nav. Rodr. Suar. Azor*, saltem pro diebus quibus non remigant; quia hi manent religiosi. Sed communius negat *Cabass. l. 1. c. 21. n. 18.* qui tamen ait teneri clericos constitutos in sacris, sed de utrisque negant *Spor. p. 60. n. 9. Less. l. 2. c. 37. n. 45. Sot. l. 19. q. 5. art. 3. Sanch. de matr. l. 8. d. 8. n. 11. Conc. t. 2. p. 403. n. 17. et Salm. ibid. p. 1. n. 4. cum Pelliz. Diana. etc.* Ratio, tum quia talis recitatio videretur cedere in dedecus ordinis religiosi, si in illa damnatorum turba statum suum ostenderent, tum quia in eo tam miserabili statu non videntur ipsi hoc onere gravandi. Religiosi autem ex licentia degentes extra claustra, ad officium tenentur, ut *Concina pag. 403. n. 15. cum Suar. (contra Bonac. p. 2. n. 4. etc. ap. Busemb.)* sicut etiam in carcere detenti, ut *Sporer. loc. cit.*

145. — Hic autem plura opus est adjicere, quæ pertinent ad recitationem religiosorum in choro. Notandum 1. quod nullus religiosus, aut monialis in particulari tenetur sub gravi horas dicere in choro; ut communiter docent *Conc. t. 2. p. 377. n. 4. Anacl. p. 191. n. 21. Viva de 1. pr. q. 3. art. 1. n. 6. et Salm. tr. 16. c. 1. p. 1. n. 5. cum Suar. Pal. Bonac. Pell. Tamb. etc.* modò tamen chorus non tollatur, ut benè advertunt *Viva et alii.* Paucitas autem religiosorum excusat totam communitatem à choro. Idcò nisi adsint ad minus quatuor expediti, non est

obligatio chori, ut dicunt *Wigandt de hor. can. p. 429. n. 84. r. 2. Tamb. Dec. l. 2. c. 5. §. 1. n. 12. Holz. t. 1. pag. 448. n. 471. Ronc. de hor. can. p. 144. q. 1. Salm. ibid. n. 6. cum Pell. Bordon. etc. Diximus, expediti*, nam si sint infirmi, vel legitimè occupati, nec etiam si quatuorsint, ad chorum obligantur. Probabiliter autem putant *Viva d. n. 6. Salm. ibi l. cum Pell. et Anton. à Sp. S. (contra Wigandt.)* sufficere ad satisfaciendum choro, ut soli novitii intersint, quia ipsi in favorabilibus reputantur ut religiosi. Hic obiter nota cum *Conc. p. 357. n. 3.* quòd ex justa causa licet religiosis aliquando recitare horas in saeristia.

Notandum 2. quòd graviter peccent praelati, qui ex negligentia permittunt, ut omittatur recitari pars notabilis in choro, uti communiter docent *Suar. de rel. lib. 4. c. 10. n. 3. Concina tom. 2. pag. 585. n. 49. Salm. ibid. p. 3. n. 14. cum Pal. Pelliz. etc. contra Bordon. et alios*, quorum sententia non videtur mihi probabilis: quia, si non dubitatur de præcepto dicendi horas in choro, nec dubitari debet violari præceptum, si pars notabilis officii omittatur. Episcopi tenentur invigilare, ut officium à canonicis in choro persolvatur, et ritè. Cæterùm, per se loquendè, non tenentur Episcopi choro interesse ne festis quidem diebus; tùm quia hæc est consuetudo, tùm quia ipsi gravioribus negotiis vacare debent. Ita *Viva de rest. q. 7. art. 9. n. 14. vers. Dico tertio, cum Vall. Fill. et Bon. ex D. Th., qui 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3.* sic docet: *Praelati non debent cantibus insistere ne per hoc à majoribus retrahantur.*

Notandum 3. quòd in choro non tenentur omissa supplere ii, qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros; perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; tunc enim per socios suppletur, quod ipsi fortè non satis percipiunt. Ita communiter cum *Bus. infra n. 185. Azor lib. 10. c. 13. q. 2. Salm. tr. 16. cap. 1. p. 3. n. 49. Anael. p. 197. n. 52. Laym. cap. 5. n. 7. cum Sot. Sylvest. et Henr. ac Croix lib. 4. n. 1500. cum Valent. Reg. Escob. et Gobat. contra Pal. p. 4. n. 7. Bonac. p. 2. §. 1. n. 13. cum Nav. Vasq. Sa, Fill. etc.* qui dicunt hos satisfacere quidem assistentiæ chori quoad distributiones lucrandas, sed tenèri ad supplendum, si non attenderint ad ea, quæ interim sunt recitata. Et idem sentit *Holz. pag. 448. n. 471.* qui tamca

excusat, si modica sit materia, puta quæ ad integrum psalmum non pertingat. Sed satis probabilis est prima sententia, eò quòd, dum aliquis occupatur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, totus chorus pro eo supplet; prout qui missæ inservit, censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit, ut dicunt *Tolet. et Rodr. apud Laym. l. c.* qui notat idem docere *Sotum, Nav. Arag. et Rodr.* de eo, qui choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculum suæ partis proferat: sed huic non acquiesco, cum rectè doceat *Bon. l. c. cum Molfes.* officium tunc integrè non recitari, quia organum verba non profert. Probabiliter verò satisfacit, qui, dum alii recitant, tussit, vel excreat, etiamsi intèger psalmus interim dicatur, ut ait *Croix d. n. 1500. cum Sanch. et Gob.* Item probabiliter *ib. Sanch. Escob. et Diana* excusant eum qui in choro perlegit lectionem, ne erret, alioquin erraturus; hæc enim causa satis excusat ab illa levi omissione.

Sentiunt autem *Salm. ibid. n. 17. cum Suar. Pelliz. etc.* in omissione recitationis in choro minorem officii partem sufficere ad peccandum graviter, quàm in recitatione privata. Sed probabiliter id negant *Bon. p. 1. n. 3. et Holzm. p. 448. n. 471. cum Tamb. et Babenst.* qui dicunt illam tantùm esse omissionem gravem in choro, quæ gravis est in officio privato.

Notandum 4. quòd ex Bulla *S. Pii V. A Nobis*, omnes qui utuntur Breviario Romano deobligantur recitare in choro officium *B. V. Mariæ*, defunctorum, et psalmos poenitentiales; præcipitur verò ibidem servari consuetudinem hæc officia recitandi in locis ubi viget. Hæc autem obligatio extra chororum non afficit singulos privatos, sed tantùm communitatem; ut rectè ajunt *Conc. pag. 385. n. 21. et Holzm. pag. 450. num. 474. cum aliis.*

444. — « Resp. 3. Beneficiati, quotquot habent jus in re, et plenum dominium beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint, tenentur ad horas. *Leas. et Laym. l. 4. tr. 2. c. 4. n. 1. ex communi*, et *Conc. Later. sub Leone X.* Ratio est, quia beneficium datur propter officium.

Unde resolves:

« 1. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint.

» *Laym. l. 4. tr. 2. c. 5. n. 5. et 4.* quia non habent bene-
 » ficiū secundū omnem effectum. » (*Hoc certum est. Vide*
dicta de rest. l. 4. n. 664.) « Videntur tamen pro ratione
 » fructuum tenēri ad aliquoties legendum. *Trull. l. c.*

« 2. Tenetur is, qui etsi (sive sine, sive cum sua culpa)
 » non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam
 » partem, quae sufficit ad sustentationem. *Bon. d. 1. q. 6. p. 5.*

« 3. Tenentur ii, qui primo, aut etiam secundo anno non
 » percipiunt fructus, eō quōd assignentur fabricae, vel præde-
 » cessori mortuo: quia etiam ipsi mortui fruuntur eodem
 » privilegio, et sic pro tota vita satisfaciunt fabricae. *Bon. p.*
 » *4. n. 22. Laym. c. 5. Suar. Regin. etc.* Contraria tamen
 » sententia non est improbabilis. » (*Et probabilem vocant*
Salm. de hor. can. c. 2. p. 5. §. 4. num. 45. cum Fill. Bon.
Vital.) « Et negat *Less. cum Caj.* se talem damnaturum, eō
 » quōd vel resignare, vel mori antē possit, et sic non frui
 » annō gratiæ. *Laym. l. c. Pal. Trull. dub. 13. §. 3.*

« 4. Tenentur et ii, qui habent beneficium tenue, octo
 » v. gr. vel decem Aureorum; quia jura omnibus indistinctē
 » obligationem horarum imponunt, sicut iis, qui sunt in
 » majoribus ordinibus. Ita probabiliter *Sylv. Azor. Suar. Pal.*
 » *Bon. d. 1. q. 2. p. 4. n. 17. et communis contra Sot. Less.*
 » *Rodr. et Dian. r. 9. Mald.* qui dicunt, si habet benefi-
 » cium tam tenue, ut tertiam partem mediocrius sustentatio-
 » nis alicujus clerici non adæquet, non tenēri. *Vide Dian.*
 » *l. c. Escob. tr. 5. e. 6. e. 13.* quorum sententiam non da-
 » mus. » (*Vide dicta l. 4. n. 674.*) « *Vide Trull. l. 1. c. 7.*
 » *dist. 12. §. 3.* ubi notat, eum, qui habet plura beneficia
 » tenuia, ex quibus competentiam habeat, tenēri ad horas.

« 5. Non excusatur; qui primis annis parum recipit, eō
 » quōd fructus expendat in substitutum; quia horarum onus
 » beneficiō annexum est, et personale, cum quo spontē acce-
 » ptatur. *Bon. l. c. ex Az. Vasq. Fill. etc.*

« 6. Si filius à patre eductus ad statum ecclesiasticum, per-
 » cipiat ipse fructus, tenetur ad horas: secus, si percipiat
 » pater; hic verò ad restitutionem obligatur. *Laym. c. 5.*
 » *n. 2. ex Less. l. 2. c. 34. d. 31.*

Idem tenent *Cont. Tourn. de hor. can. sect. 2. Q. 1.º et Conc.*
t. 2. p. 440. modò melius sit gravis; quo cessante (ait *Tourn.*)
 tenetur iste clericus quamprimū beneficium renuntiare.

Queritur autem hic, an qui per metum injustè incussum ordinem sacrum suscepit, teneatur officium recitare? Affirmant *Conc. pag. 397. num. 4. cum S. Anton. Sylv. Ledesm. Comit. et aliis*, quia metus non tollit voluntarium. Sed probabiliter negant *Cont. Tourn. ibid. cum Suar. et Henr. à S. Ign. Sanch. de matr. l. 7. d. 29. n. 7. Pal. tract. 7. d. 2. p. 1. §. 1. n. 1, cum Nav. et Sa, Salm. tr. 8. c. 6. p. 1. n. 30. cum Bon. Azor. Dic. etc.* Ratio; quia licet metus non tollat voluntarium, Ecclesia tamen rationabiliter non censetur velle obligare ad onus officii, nisi eos, qui omninò sponte ordinem suscipiunt. Et idè tales per metum gravem ordinati nec etiam ad castitatem tenentur, ut dicunt *Salm. cit. n. 46. cum AA. cit. utque diximus de voto lib. 4. n. 197. vers. Sed quæstio*, et dicemus *l. 6. n. 811.*

« 7. Probabile est, eum, qui non residet ex legitima licentia, vel dispensatione, idèque fructus non recipit, non tenèri ad horas; quia obligatio hæc est propter sustentationem datam. *Trull. l. 1. c. 7. d. 13. §. 3. ex Sanch. etc.*

« 8. Non tenentur, qui habent præstimonia, quæ solent dari adolescentibus in subsidium studiorum, eò quòd non sint propriè dicta beneficia. Ita *Med. Gare. et Less. contra Nav. Sol. et Rodr.* Tamen rectè monet *Laym; c. 5. n. 6.* considerandam rationem præstimoniorum: si enim dentur in titulum perpetuum, et habeant annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri nequit, esse beneficia ecclesiastica, proindeque obligare ad horas; secus, si consistant in solo temporali obsequio. Similiter non tenentur pensionarii, cum pensiones non sint propriè dicta beneficia, ut *dub. præc.* vidèri potest. Quod limitat *Escob. t. 5. c. 6. c. 4. ex Palao*, si fruantur pensione ob sæcularia obsequia: secus, si titulo clericali: » (*Vide num. 138.*)
« Denique nequè tenetur coadjutor, si non administrat; quia obligatio tenet proprietarium. *Pal. Escob. l. c. Vide Laym. c. 5. n. 9.* » (*Est commune cum Salm. tr. 16. c. 2. p. 5. §. 1. num. 29.*)

« 9. Bt si habens plura beneficia satisfaciatur unicà recitatione horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes quot sunt beneficia, seu patroni beneficiorum; quia par est omninò ratio. *Bon. Trull. l. c. n. 27.* »

145. — Queritur I. An qui tenetur ad recitationem officii

titulo beneficii, et titulo ordinis sacri, omittendo illud, committat duo peccata? Tria hic ut certa supponenda: Certum est 1. quòd iste peccat: utique contra religionem ratione ordinis sacri, propter quem Ecclesia eum obligat ex motivo religionis ad horas recitandas. Certum est 2. quòd beneficiarius omittens officium semper peccat contra religionem, etiamsi non habeat ordinem sacrum, et etiamsi velit fructus restituere, ut dicemus mox infra in *quest. seq.* Certum est 3. quòd talis beneficiarius, si omittat officium, et nolit restituere fructus, peccabit non solum contra religionem, sed etiam contra justitiam, quia officium negligendo non potuit fructus acquirere, et dicunt *Salm. tr. 16. c. 2. p. 5. §. 1. n. 52.* juxta sententiam, quam tenent ut veram *Sotus, Suarez, Azor. etc. ac Croix l. 4. n. 1216.* (quidquid dicant alii *ib.*) Id enim patet ex concilio Lateran. relato *d. l. 4. n. 663.* ubi dicitur: *Qui officium non dixerit, fructus suos non faciat.* Sed difficultas est; an beneficiarius volens fructus restituere, peccet contra justitiam, etiamsi officium omittat animo restituendi fructus?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Laym. l. 4. tr. 1. c. 4. n. 3. in fin. Sanch. de matr. l. 9. d. 15. n. 6. in fin. Bonac. d. 1. q. 8. p. 1. n. 4. et Less. l. 2. c. 57. n. 52.* Ratio, quia licet beneficium principaliter detur pro sustentatione beneficiarii, attamen datur cum pacto recitandi officium; morale enim axioma est, beneficium propter officium conferri; unde beneficiarius, omittendo officium, peccat contra justitiam; quia pactum non servat.

Secunda sententia verò probabilior, quam tenent *Pal. d. 2. p. 3. n. 5. cum Henriq. et Garc. Anacl. p. 192. n. 50. Holzm. pag. 441. n. 487. Diana p. 2. tr. 12. r. 22. cum Salas, et Homobon. Salm. tract. cit. n. 52. cum Sal. Anton. à Spir. S. et Trull.* tenet peccare quidem beneficiarium contra religionem, eum Ecclesia, imponendo illi onus officii, imponit ex motivo religionis, non autem contra justitiam, nam ut posset dici beneficiarium peccare contra justitiam, probandum esset pactum inter beneficiatum et fundatorem, vel Ecclesiam. Sed hoc pactum neque habetur respectu fundatorum, ut rectè dicunt *Filliuc. tract. 25. n. 157. et Holzm. l. c. aliàs (ut ait idem Holzm. pag. 443. n. 462. v. Instabis, cum Less. l. 2. c. 54. n. 489.)* non potuisset Ecclesia eximere beneficia-

rios non recitantes primo semestri ab obligatione restitutionis; neque habetur pactum respectu Ecclesiæ, cum illud nullo jure, aut ratione probetur. Donec igitur de hoc pacto non constet, nequit dici beneficiarium omittentem officium cum intentione restituendi fructus peccare contra justitiam. Nec obstat, beneficium dari propter officium; nam bene respondet *Palaut*, quod beneficium non datur ab Ecclesia sub obligatione justitiæ, sed religionis, cum obligatio officii non oriatur ex beneficio, sed ex præcepto Ecclesiæ ratione beneficii imposito ex motivo religionis.

Sed dices: si nullum intercedit pactum cum beneficiario, quâ ratione ipse peccabit contra justitiam, si fructus non restituet, uti supra tanquam certum suppositum est? Respondetur: Peccabit contra justitiam non ratione pacti initi, sed ratione conditionis non impletæ: bene enim potuit Ecclesia beneficiariis imponere pensum officii ob motivum religionis, vel sub conditione non faciendi fructus suos, si non recitaverint, vel sub pœna negativa non acquirendi fructus, si officium omiserint, juxta dicta *l. 4. n. 665.* et ut tenent *Viva ibid. et Lugo Resp. mor. l. 5. dub. 6. num. 6. Holzm. d. pag. 443. n. 462.* quod valde probabile putat *Azor. p. 2. l. 10. c. 14. qu. 7.* Ideò enim (ait *Holzmann*) beneficiarii non recitantes ante sententiam tenentur ad fructuum restitutionem, quia hæc, licet sit pœna, non est tamen pœna positiva, aut privativa, scil. quæ privet fructibus acquisitis, et ad quam sententia requiratur, sed est pœna negativa, nempe quæ negat posse acquiri fructus à non recitantibus, prout si Ecclesia dicat, non concedo tibi fructus nisi officium recitaveris (hoc tamen intelligitur, si culpabiliter officium omittatur; secùs verò, si sine culpa gravi, docet *Lugo loc. cit.*, utque diximus *l. 4. n. 665. cum Less. Sanck. Concina, et communiori*). Unde concluditur, respondendo ad quæsitum, quod si sacerdos beneficiarius omittit officium nolens fructus restituere, peccat contra religionem, et contra justitiam, cum retineat alienum, quod acquirere non poterat omittendo officium: si verò omittit volens fructus restituere, tunc peccat tantùm contra religionem, non verò contra justitiam, quia tunc alienum non retinet.

Quæritur II. An beneficiarius omittens officium peccet graviter, si aliàs habeat animum restituendi fructus beneficii.

Affirmandum utique cum *Lugo Resp. mor. lib. 5. dub. 6. n. 2.* Ratio, quia datur duplex præceptum, unum antiquum, quo obligantur beneficiati ad officium; hic enim fuit finis primarius Ecclesiæ in institutione beneficiorum, scilicet servitium Ecclesiæ præstandum; aliud novum, ut omittens officium, fructus restituat. Beneficiatus igitur, etsi fructus restituat, non liberatur obligatione recitationis; quare, qui officium omittit sex primis mensibus à receptione beneficii, non tenetur fructus restituere, sed utique graviter peccat, ut declaravit *S. Pius V.* in bulla relata *lib. 4. n. 665.*

ARTICULUS II.

Quanta sit hæc obligatio?

- 143 Quæ culpa sit omittere officium, vel partem ejus notabilem?
 147 Quæ sit parva materia in omissione officii?
 148 An ommissio horarum sit unum, vel plura peccata?
 149 Quot peccata committit, qui officium in mare projiciens rediit impotens ad recitandum?
 150 Utrùm dubitans, an aliquid omiserit, teneatur id recitare?
 151 Quando beneficiarii officium omittentes teneantur restituere fructus?
 152 Quibus sit applicanda fructuum restitutio?
 153 Quando possit beneficiarius à restitutione excusari titulo pecuniæ expensæ?

446. — **R**ESP. 1. Est tanta, ut peccet mortaliter quis-
 » quis habens hoc onus, horas, vel notabilem earum par-
 » tem omittit. Ita communiter omnes, contra *Angelum, v.*
 » *Horæ, et Richardum*: qui dicunt non esse mortale, nisi
 » quis habeat consuetudinem omittendi: quam sententiam
 » *Less.* non audet dicere probabilem, quòd sit contra tor-
 » rentem Doctorum. Ratio est, quia violat præceptum in re
 » gravi pertinente ad virtutem religionis. » (*Et hæc est om-
 » ninò tenenda cum communi: vide Salm. de hor. can. cap. 2.*
*p. 1. n. 3. Verius autem est, hanc obligationem magis prove-
 » nire ex recepta consuetudine, quàm ex jure positivo. Ita Salm.*
l. c. cum Less. Pal. Suar. etc.)

Ex dictis resolvuntur hi casus :

« 1. Non est mortale omittere unum psalmum , lectionem ,
 » vel quid simile , ut habet communis , contra *Nav.* , nec
 » tertiam partem parvæ horæ , contra *Azor. et Mald.* , quia
 » non censetur pars notabilis. Talem autem dicit *Palaus l. 1.*
 » *p. 5.* esse in Matutino , quod est æquale uni parvæ horæ.
 » *Sanch. in Sum. t. 1. l. 1. c. 18. n. 8.* dicit tres lectiones cum
 » responsoriis in feriali officio esse materiam parvam. In par-
 » vis horis dicunt *Fern. Fill. et Laym.* dimidium esse nota-
 » bilem quantitatem. Vide *Escob. l. c. c. 13. n. 107.* ubi docet
 » unam parvam horam non esse partem notabilem , respectu
 » totius officii , quod per modum unius est præceptum. Verùm
 » hoc meritò rejicitur ab aliis.

« 2. Est mortale , si omittas vel unam integram ex horis ,
 » quæ sunt septem : Matutinum cum Laudibus , Prima ,
 » Tertia , Sexta , Nona , Vesperæ , et Completorium : vel
 » dimidiam etiam ex brevioribus , docent *Fern. Regim. Suar.*
 » *Laym. contra Bon. et Less.* vel ex Matutino 9. lectiones
 » cum responsoriis , ut *Sanch. 1. mor. c. 18.* aut partem
 » æquivalentem horæ uni minimæ , ut *Suar. de rel. l. 5.*
 » *c. 25. et Gavantus* , vel , ut alii , unum nocturnum. Vide
 » *Bon. d. 1. q. 1. p. 1. Dian. p. 2. t. 12. r. 26. et 41.*

147. — Quæritur I. quænam sit parva materia in omissione officii ? *Azor. Nav. Vill. etc. apud Conc. t. 2. pag. 447. n. 4.* tenent peccare mortaliter , qui omittit dimidiam , vel , ut alii dicunt , tertiam partem horæ etiam parvæ , quia talis pars respectu illius horæ jam est notabilis materia. Sed probabilius id negant *Less. l. 2. c. 37. n. 52. Bon. d. 1. q. 5. p. 1. n. 2. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 6. v. Dico 2.º cum Suar. Pontas , Van Roy , item Pal. Garc. Trull. Pell. Led. etc. apud Conc. l. c.* Ratio , quia , licèt illa pars sit notabilis respectu horæ parvæ , est tamen levis in se , et respectu totius officii ; unde circa gravitatem materiæ , totius officii quantitas respicienda est ; non autem cujuslibet horæ. Verius enim est præceptum officii non esse septuplex ex septem horis dicendis , sed unum præcipiens unicum officium constans septem partibus , ut patet ex *c. Dolentes , de celebr. miss.* ubi præcipitur sub uno præcepto officium recitari his verbis : *Præcipientes in virtute obedientiæ , ut divinum officium , nocturnum pari-*

ter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, et devotè. Propter quod *Pal. d. 2. p. 5. n. 1. Bon. d. 1. q. 5. p. 1. n. 6. Ronc. q. 5. r. 2. Spor. tom. 3. pag. 73. num. 94. Tamb. c. 5. §. 2. num. 11. Elbel t. 2. pag. 537. n. 597. Holz. tom. 1. pag. 441. n. 455. Salm. tr. 16. c. 3. p. 4. n. 23. cum Trull. Pell. Leand. etc. Croix l. 4. n. 1220. cum Laym. et Fill.* probabiliter dicunt esse levem materiam omittere minus, quàm integram horam parvam. Sic etiam *Elbel l. c. et Croix n. 1204. cum March. Pell. Tamb. et aliis*, ratione parvitatæ materiæ, probabiliter dicunt non peccare graviter, qui omitteret totas Vesperas Sabbati sancti. Cæterùm, ut rectè ajunt *Bus. ut suprâ, et Mazzotta (contra Sot. Escob. Phil. etc. apud Salm. cit. n. 23.)* improbabilis est opinio, quòd una parva hora, prout Tertia, Sexta, etc. sit levis materia.

Ita etiam tenendum peccare graviter, qui omittit unum nocturnum integrum, ut benè censent *Wigandt pag. 423. Holz. p. 441. n. 455. Elbel pag. 539. n. 597. Croix l. 4. n. 1202. et Concina pag. 468. n. 5. cum communi, contra Leand. Vercell. etc. apud Conc.* qui putat etiam esse gravem materiam omittere tres lectiones cum responsoriis, sed probabiliter huic contradicunt *Sanch. l. 1. Dec. c. 19. n. 7. et Diana p. 2. tr. 12. r. 41.* Intellige, si lectiones cum responsoriis sint tales, ut parvam horam non adæquent. Unde benè concludunt *Sanch. dub. 11. n. 2. Pal. p. 5. n. 2. Less. c. 37. n. 57. Bon. p. 1. num. 2. et Salm. d. n. 23. circa fin. cum Trull. Pell. etc.* illam universè censèri parvam materiam, quæ non pertingit ad quantitatem unius integræ horæ. Immò *Salm. ibid. in fin.* admittunt in officio longiori, putà Dominicæ, adhuc majorem materiam posse esse levem; sed huic non acquiesco, nam sic etiam omissio horæ parvæ respectu totius officii dominicalis posset dici parva materia, quod minimè est admittendum, eùm hora etiam parva ex communi DD. sensu videatur materia absolutè gravis respectu cujuscumque officii. Necnon benè addunt *Holz. et Croix* censèri gravem omissionem, si de hora parva aliquid nimis modicum diceretur.

148. — * 3: Sive omissio horarum (abstrahendo à multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum; ut vult *Bon.*, sive sint plura formaliter, ut docet *Less.*; sive unum multiplex, ut *Suarez*, sive unum pluribus æquivalens, ut *Fill.* loquitur: probabile tamen est in confessione

» explicandum, quot horæ sint omissæ, ed quòd sit circumstantia tenens se ex parte objecti, et constituens actum in ratione sua individuali. *Bonac. l. c. n. 9. Less. Suar. Fill.*»

Hic igitur quæritur I. Quot peccata committat, qui totum omittit officium? Alii dicunt committere septem peccata; quia pro singulis horis diversum adest præceptum; hancque opinionem probabilem putant *Salm. tr. 16. c. 3. p. 4. n. 22.* Sed veriùs dicendum unum tantùm peccatum committere. Ita communiter *Less. c. 57. n. 53. Sanch. c. 2. dub. 12. n. 2. Pal. d. 2. p. 5. n. 1. Bon. q. 5. p. 1. n. 8. Ronc. p. 154. q. 5. r. 3. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 6. v. Quær. 2.º Conc. p. 483. n. 18. Elb. pag. 540. n. 598.* Idemque expressè docet *S. Anton. 5. p. tit. 13. c. 4.* ubi de hoc veram rationem assignat, dicens: *Qui omittit omnes horas unius diei, non propterea committere septem peccata mortalia, sed unum, et tantò gravius, quantò plus de officio omittit; quia totum officium unius diei cadit sub uno præcepto.* Benè tamen advertit *Elbel l. c.* quòd si quis omitteret plures horas ex intentionibus moraliter interruptis, tunc plura committeret peccata.

149. — Quæritur II. Quot committat peccata, qui officium in mare projiciens redditur impotens ad recitandum? Hæc quidem quæstio pendet ab alia, an omissio volita in causa sit in sese peccatum?

Prima sententia in ea quæstione negat, eamque tenent *Laym. tr. 2. c. 3. num. 5. Azor. tom. 1. l. 4. c. 3. qu. 4. p. 4.* item *apud Salm. tr. 20. de princip. moral. c. 10. p. 3. §. 2. n. 25. S. Bonav. Pal. Vasq. Fill. Cov. Sayr. Gran. etc.* Ratio, quia talis omissio dùm accidit non est voluntaria in se, sed in causa, ideò tantùm in causa erit peccatum. Unde juxta hanc sententiam talis committit unum peccatum tantùm, nempe cùm projicit Breviarium.

Secunda sententia tamen verior affirmat, et hanc tenet *S. Thom. 1. 2. q. 76. a. 3. ad 3. et q. 77. a. 7. et 2. 2. q. 150. a. 4.* ubi ait: *Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scil. redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum scil. aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum.* Et eum sequuntur *Cajet. ib. Nav. Man. c. 16. n. 8. Sanch. de matr. l. 9. d. 45. n. 27. Pal. tr. 2. d. 1. p. 5. n. 6. et Salm. ibid. n. 26. cum Abul. Sot. Med. Lop. Vill. et*

aliis. Ratio, quia, licet ad omissionem peccaminosam requiratur, ut adsit voluntarium, sufficit tamen voluntarium in causa, ut patet ex *c. Mulieres, de sent. excom.* ubi dicitur, quod si quis voluntarie se inebriat praevidens occisurum clericum, incurrit excommunicationem secuta occisione. Ergo occisio illa est verè peccatum, aliàs sine peccato externo non posset occisor excommunicationem contrahere. Propterea quoad casum nostrum respondetur, projicientem officium tot peccata committere, quot sunt omissiones quas praevidet, nisi poeniteat primi peccati, nam alioquin perseverat voluntarium positum in causa. Ita *Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 51. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 7. in fin. et Elbel pag. 556. n. 42. cum communissima. Vide dicta l. 2. n. 49.*

150. — Quæritur III. Utrum, si quis dubitat, an aliquid omiserit de officio, teneatur id recitare? Resp. Scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum, quia in his ut plurimum dubia, non sunt vera dubia, sed inanes apprehensiones. Quoad alios verò distinguendum: Si dubium est merè negativum, utique tenentur, quia in dubio possessio stat pro præcepto, ita *Pal. d. 2. p. 6. n. 1. Salm. de hor. can. cap. 3. p. 3. n. 12. et alii communiter.* Si verò dubium est positivum, ita ut probabiliter iudices dixisse, non tenèris repetere, prout docent communissimè *Pal. l. c. Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 34. n. 3. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 6. v. Sed quid. et Salm. dict. num. 12. cum Pelliz. Trull. Diana, etc. item Laym. Lugo, Ronc., et Viva, quos adduximus l. 1. n. 29. Item dicit Croix l. 4. n. 1255. cum Sanch. l. c. Laym. et Illsung, malè facere, qui habens conjecturam, quòd aliquam partem dixerit, eam repetit, quia viam scrupulis aperit; et docet *Nav. (apud Concin. t. 2. pag. 463. n. 12.)* sic dicens: *Non solum non tenetur repetere id quod probabiliter credit se dixisse, verum etiam malè ageret id faciendo, eò quòd habitum concipiendi scrupulos superfluos sibi quæreret.**

Unde docent *Sanch. l. cit. cum Nav. Major. et Angles, Croix d. n. 1255. cum Azor. Suar. Fill. Bon. Tamb. ac Salm. l. c. cum Ang. Trull. et Pell.* quòd benè excusaris à repetendo, si non memineris dixisse aliquid, et habens justam conjecturam credendi quòd dixeris; putà (ut ajunt *Sanchez cum aliis citatis, et Salm. tr. 20. c. 7. p. 1. n. 7. cum Nav. Suarez, Bardi, etc.*) si recordaris te incèpisse psalmum, lectionem, vel horam,

et postea non datâ operâ distractus, vel non interruptus te invenias in fine horæ, legendo, vel memoriter recitando ea in quibus ordinariè non soles errare; et hoc locum habere dicunt *Gobat. et Tamb. apud Croix num. 1235.* etiamsi habeas rationem probabilem omissionis, quia præsumptio, quòd soleas perficere quòd incæpisti, efficit ut nihil tenearis repetere, nisi sis moraliter certus quòd non dixeris. Si verò dubites an totam horam dixeris, vel non, censent *Salm. dict. n. 7. in med.* quòd si sæpiùs tali dubio labores, non tenéris repetere, quia tunc facilè præsumitur tale dubium oriri à scrupulis; secùs, si rarò. Cæterùm benè ait *Croix d. n. 1235. cum Nav. Az. Suar. Bon. etc.* quòd si ordinariè non soleas dicere horam posteriorem nisi post priorem, prudenter potes credere te nihil omisisse (1).

151. — « Resp. 2. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus » restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui ti- » tulo beneficii ad horas tenetur, si elapsis sex mensibus » post adeptam possessionem (is enim, etsi graviter peccet » omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabi- » liter officium non recitaverit. Patet ex concil. Lateranensi » sub *Leone X.* Sed quia dubium fuit, utrùm hoc concilium » esset receptum, *Pius V.* bullam edidit, quæ est apud » *Navar. c. 25.* quâ hoc decretum confirmat, ac declarat sic, » ut qui uno die totum officium omiserit; teneatur restituere » omnes fructus illi diei respondententes: v. g., qui accipit an- » nuè 365 florenos, teneatur pro uno die restituere unum » florenum; qui autem omiserit Matutinum tantùm, mediam » partem fructuum unius diei; qui reliquas horas, etiam » mediam partem: qui verò unam ex illis, sextam partem: » eaque restitutio facienda est vel fabricæ, vel pauperibus. » *Laym. Fill. Bonac. d. 1. q. 5. p. 2. etc. contra de la Cruz,* » *et Lopez, apud Dian. p. 2. t. 12. res. 54.* qui dicunt, si » beneficiatus intra annum per 8 vel 40 dies tantùm omittat, » non tenéri ad restitutionem, eò quòd sit servus liberalis- » simi Domini, qui multò minùs, quàm domini temporales, » ad pauca attendat.» (*Vide dicta l. 4. n. 663.*)

Unde resolves:

« 1. Clerici majorum ordinum, qui solo titulo ordinis, et.

(1). Confer notam ad l. 1. n. 29 positam.

» quotquot alio titulo, quàm beneficii, ad horas tenentur,
 » non obligantur ad dictam restitutionem, quia nullos per-
 » cipiunt fructus propter onus recitandi officium. *Bon. l. c.*
 » p. 2. num. 3.

« 2. Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, justo
 » impedimento, bonâ fide, invincibili ignorantia, aut aliter
 » absque culpa omiserunt. Ratio est, quia in conscientia non
 » debetur pœna, ubi non est culpa. *Less. Suar. Bon. n. 4.*
 (Ita etiam *Viva cum Sanch. Vide l. 4. n. 665.*)

« 3. Valde probabile est, quòd qui alia onera habent,
 » quàm precum, verbi gratiâ pastores, Episcopi, etc. omit-
 » tentes horas, possint retinere majorem partem fructuum
 » istius diei, ratione dictorum onerum; sufficiatque dare
 » tertiam partem, vel quartam fructuum: eò quòd tantum
 » obligentur ad restitutionem fructuum respondentium oneri
 » divini officii. *Nav. Fill. Bon. p. 5. Dian. p. 2. tom. 12. res.*
 » 8. citans alios multos. » (Ita etiam probabiliter tenet *Croix*
l. 4. num. 1214. cum Sanch. et Gob. Vide dicta l. 4. n. 673.)

« 4. Si talis pastor habeat tenues redditus ad sustentatio-
 » nem, videtur ad nihil obligandus; cùm ob alia onera illi
 » debeatur sustentatio. *Laym. l. 4. tr. 2. cap. 5.* Imò *Dian.*
 » pag. 2. tract. 12. resp. 9. *Mald. tr. 10. cap. 2. dub. 3:* di-
 » cunt eum, qui habet beneficium valde tenue, v. gr. cujus
 » redditus tertiam partem mediocris sustentationis non adæ-
 » quent, non tenèri, ob horas aliquoties neglectas, ad resti-
 » tutionem. » (Et est probabile cum *Less. Sanchez. Pell. Led.*
Rodr. Vide dicta l. 4. n. 674.)

152. — « 5. Restitutio hæc fieri potest vel pauperibus
 » amicis, vel aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est.
 » Item impendi potest in fabricam domûs, vel meliorandos
 » agros beneficii; quia hæc nomine fabricæ etiam intelligun-
 » tur apud *Suar., et Bonac.* » (Vide dicta l. 4. n. 672.)
 « Denique aliquando compensari potest, offerendo suffragia
 » pro defunctis, aliisque precibus, ut vide *Bon. l. cit. p. 4.* »
 (Idem dicunt *Salm. tr. 16. c. 2. n. 60. Sed vide dicta l. 4. n.*
667. et 672. ubi huic non acquievimus) « et sic etiam per
 » alium, seu per officium, aut preces ab alio ad tuam in-
 » tentionem recitatas, et à te defunctis applicatas, satisfieri
 » posse, docet *Quintan. t. 8. sect. 6.* Nec continuo damnan-
 » dum, qui ordinariè recitare solitus, semel, verbi gratiâ,

» vel bis in anno omisit, etsi nihil restituat, docent *Sot.*
 » *Med. Fill. c. 10. num. 316. et 317.* » (*Sed hoc non videtur*
posse sustineri, ut merito dicunt Salm. d. c. 2. n. 55. cum
S. Pius in sua bulla dicat: Ut qui omnes horas uno, vel plu-
ribus diebus intermiserit.)

» 6. Qui pecuniam, quam ob neglectas horas tenetur resti-
 » tuere, sive erogare in usus pios, impendit in alios, quàm
 » vel in pauperes, vel fabricam beneficii, non satisfacit
 » (secundùm jus commune, ubi concilium Lateranense, vel
 » bulla *Pii V.* est recepta) obligationi suæ; nisi aliud
 » ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum; quia di-
 » sertè præcipitur restitui pauperibus, vel fabricæ beneficii.
 » *Vide Bon. qu. 2. p. 2. et 4.* » (*Vide d. l. 4. n. 672.*)

153. — » 7. Posse aliquando beneficiatum excusari à resti-
 » tutione ob horas neglectas, titulo pecuniæ expensæ; intel-
 » lige post omissionem horarum » (*Nam si ante omissionem,*
non excusantur, cum damnata sit propos. 55. ab Alex. VII.
dicens: Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri
potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius
de fructibus sui beneficii fecerit.); « etsi non isto intuitu, in
 » pauperes vel alios usus pios, censet *Dian. p. 3. r. 37. ex Laym.*
 » *l. 3. t. 2. c. 12. n. 9.* esse probabile, tum quòd quidam
 » auctores ita sentiant; tum quòd videatur esse virtualis
 » intentio omnium dantium eleemosynas, satisfacere per illas
 » omnibus obligationibus, quas suis peccatis contraxerunt:
 » tum quòd leges ecclesiasticæ benignè debent explicari. »
 (*Et probabile est juxta sententiam, quam tenent Sanch. Cons.*
l. 2. c. 3. dub. 121. Lugo d. 4. n. 46. Laym. l. 2. tr. 2. c. 12.
n. 9. Salm. tr. 16. c. 2. p. 4. n. 63. cum Pelliz. et Croix l. 4.
n. 1215. cum Suar. Gob. et aliis. Vide dicta l. 4. n. 700. v.
Limitant.) « Addunt Jo. de Salas de leg. d. 15. sess. 2. n. 27.
 » *et Vasq.:* si canonicus grossam, seu corpus sui canonicatus
 » verè, et absolutè lucretur, priùs quàm omittat officium,
 » non tenèri ad restitutionem propter omissionem sequen-
 » tem, eò quòd pœna non sit, ut fructus jam suos factos
 » restituat, sed ut fructus non faciat suos. Sic ille apud
 » *Dian. p. 2. t. 12. r. 8. ut infra art. 4. §. 6. in fine.*
 » 8. Ubi bulla *Pii V.* non est recepta, potest vidèri pro-
 » babile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari,
 » ut habet *Sylv. v. Clericus.* »

ARTICULUS III.

Quæ excusent à recitatione horarum.

- 154 Quomodo excuset infirmitas? Not. I. An excuset gravis molestia? Not. II. An excuset convalescentia? Not. III. Quid in dubio an infirmitas sufficiat ad excusandum? Not. IV. Quid si dubites, an possis recitare partem?
- 155 An excusentur laborantes febris tertianâ, vel quartanâ?
- 156 Quomodo excuset justum impedimentum? Et an idem excusentur concionatores, confessarii, peragentes necessaria in choro?
- 157 Quomodo excuset cæcitas, et carentia Breviarii?
- 158 An impotens recitare totum officium, teneatur ad partem? Quid, si non habeas officium proprium? An tenearis recitare cum socio, si nequis solus? An beneficiarius teneatur conducere socium, si non possit solus recitare?
- 159 Quomodo excuset dispensatio.

154. — **R**ESP. — Hæc sequentia: I. *Infirmitas gravis*, » v. g. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo, vel » incremento morbi legi non possit: dixi, *gravis*, quia *levis*, » v. gr. dolor stomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando » febris tertiana, aut quartana non excusat, cum toto die » non affligat. » (*Vel majore diei parte, ut Sanchez, Trull. Tamb. Pell. etc. cum Salm. de hor. can. c. 3. p. 6. §. 1. num. 33.*) « Ita *Nav. Fill. Laym. Bon. d. 1. q. 6. p. 1.* Porrò totaliter excusatus non tenetur, ut quidam volunt, audire » alium legentem, nec alium substituere. » (*Nec alias preces; est commune apud Salm. ib. n. 33.*) « ut habent *Fill. et Sa, v. Horæ.* Si tamen commodè potest, et solet legere cum » socio, tenetur, ut habent *Less. et Bon. Vide Dian. p. 2. t. 42. r. 43.* » (*Ita veriùs tenendum cum Sanch. Spor. Croix, etc. contra alios. Vide infra n. 158. vers. Item.*)

Plura hic sunt notanda scitu necessaria. Notandum I. ratione infirmitatis excusari ab officio non solum qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo.

Unde satis excusantur, qui prudenter credunt vel timent ob officii recitationem eis fore proventuram notabilem gravitatem capitis, vel cruditatem stomachi aut virium lassitudinem, vel si credant febrim tardiùs esse remittendam. Ita *Sanch. cap. 2. dub. 43. n. 4. Holzm. tom. 1. pag. 430. n. 477. Anacl. de hor. can. n. 77. Conc. tom. 2. p. 307. n. 23. et Salm. de hor. can. c. 3. p. 6. §. 1. n. 33. in med. cum Trull. et Pell. ex c. Clericus 3. dist. 91. ubi dicitur, quòd excusat ab officio inæqualitas corporis, quod non significat morbum gravem, ut benè advertit Croix l. 4. n. 1224. Et hoc probabiliter admititur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem legeret librum ad animum solandum, ut dicunt *Sanch. l. c. num. 4. Holzm. pag. 430. n. 477. Spor. n. 158. Elbel pag. 364. n. 462. et Salm. l. c. in fine cum Trull. Pell. Dian., etc.* Ratio, quia licèt iste posset legere librum recreationis, non tamen sequitur quòd possit, et teneatur officium recitare, ad quod alia quidem major attentio requiritur, quæ majorem affert difficultatem.*

Notandum II. non solùm actu ægrotantes, sed etiam convalescentes ex gravi morbo excusari ab officio per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Ita communiter *Cont. Tourn. de hor. can. sect. 7. v. Quær. 1. Conc. p. 497. n. 3. Elbel p. 364. n. 361. et alii AA. supra cit.* Et hoc admittendum, etiamsi isti missam celebrarent, ut *Salm. dict. n. 33. cum aliis.*

Notandum III. quòd in dubio, an infirmitas sufficiat vel ne ad excusandum, potest se committere judicio medici, ex *c. Fraternalitatis, de frig. et mal.* aut judicio superioris acquiescere, qui in tali dubio etiam dispensare potest; vel denique potest se remittere judicio probabili viri prudentis. Ita *Sotus, Sylvest. Sanch. Tamb. etc. cum Salm. de hor. can. c. 3. p. 6. §. 1. n. 36.* Et etiam stare potest judicio proprio, si tale iudicium ipsemet prudenter ferre possit, ut probabiliter ait *Gobat. ap. Croix n. 1225.*

Sed quid, si his præmissis, adhuc dubium perseveret? Respondetur, si dubium sit, quòd recitatio graviter læderet, tunc certè non tenetur, immò nequit recitare, quia præferendum est jus naturale servandæ valetudinis præcepto Ecclesiæ, ut dicunt *Viva de 1. præc. q. 3. a. 6. n. 3. et Salm. cit. n. 36. cum aliis;* nisi id faceret amore virtutis, secluso peri-

culo mortis, juxta dicta l. 4. n. 371. cum Lugo, Salm. Vill. etc. Si verò dubium tantùm sit, an indispositio pertingat ad excusandum, ut suprà: tunc, cùm lex recitationis possideat, et dubium sit de exemptione, utique lex est implenda. Hoc tamen currit, quando sit purum dubium; secùs, si sit probabile judicium; ita *Cont. Tourn. loc. cit. Ronc. c. 6. q. 2. Elbel t. 2. pag. 356. n. 443. Anacl. n. 77. Holz. pag. 431. n. 480. Viva l. c. et Salm. loc. cit. in fin. cum Sanch. Pell. Trull. et Diana.*

Notandum IV. quòd; si quis ob suam infirmitatem certus est non posse totum officium recitare, et dubitat, an possit partem, probabiliter ad nihil tenetur, ut docent *Laym. l. 4. tr. 1. c. 6. n. 2. Sanch. c. 2. dub. 47. n. 4. cum Nav. Viva in propos. 34. Innoc. IX. n. 16. Ronc. cap. 6. qu. 2. item Suar. Sanch. Card. et alii apud Croix n. 1223.* nam rationabiliter iste à toto officio excusatur, ne valde scrupulis angatur, ne sciens quousque possit et teneatur recitare; hæc enim anxietas magnum illi incommodum afferret; maxime si ex recitatione verisimiliter crederet contrahere capitis gravedinem, virium lassitudinem, aut tardio rem febris remissionem.

133. — Quæritur hic, an excusentur ab officio laborantes feбри tertianâ, vel quartanâ? Absolutè excusat *Leander*; sed veriùs dicunt *Sporer t. 5. pag. 84. n. 193. et Conc. t. 2. pag. 496. n. 2. et 4. cum Nav. Azor. Bon. et Trull.* in hoc spectandas esse circumstantias; quando enim infirmus posset recitare sine grâvi incommodo diebus, quibus est immunis ab infirmitate, non apparet causa cur excusetur. An autem talis infirmus teneatur horas anticipare, vel postponere? Negant *Canus in Prælect. de pœnit. p. 3. dub. 31.* atque *Henr. et alii apud Salm. de hor. can. c. 3. p. 6. §. 2. n. 49.* et probabile id putant *Sanch. dub. 55. n. 6. Less. c. 37. n. 43. et Viva q. 3. art. 6. n. 4.* Ratio, tùm quia quælibet hora suo correspondet tempori, extra quod non currit obligatio; tùm quia anticipatio vel postpositio est privilegium favoris, quo nemo tenetur. Sed meliùs affirmant *Conc. pag. 502. n. 10. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 7. v. Quær. 2.º Less. l. c. Croix l. 4. n. 1226. Ronc. pag. 137. q. 5. v. Cæterum, et Salm. ibid. n. 50. cum Trull. Sanch. Azor. Villal. et Pell.* Ratio, quia officium præcipitur recitari intra latitudinem totius diei, unde, cùm præceptum jam urgeat, tenetur infirmus illud implere tempore

Tom. V.

quo potest: sicut si in die festo non potes circa meridiem missam audire, teneris anticipare, ut ait *Concina*; rectè enim regulam assignat *Busemb. l. 1. num. 157.* quòd, cùm quis manente vi præcepti est impediendus, tenetur prævenire. Hinc meritò *Salm. l. c.* contrariam opinionem laxam vocant. Verumtamen valde probabile est cum *Holz. pag. 451. n. 478. vers. Confirmatur, Sporer tom. 3. pag. 86. n. 172. et Elbel pag. 457. n. 444.* quòd ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, non tenetur in præcedenti anticipare; tunc enim est obligatio anticipandi officium, quando obligatio præcepti jam est incepta; quòd autem Matutinum possit dici præcedenti die, non est ex præcepto, sed ex privilegio à consuetudine introducta, quo nemo tenetur uti.

456. — « 2. *Justum impedimentum*, v. gr. metus prodii-
 » tionis inter hæreticos. Item gravis, vel repentina occu-
 » patio, vel opera charitatis majoris momenti, quàm horæ,
 » quæ sine scandalo, vel gravi incommodo tuo, vel alterius
 » omitti non possint. Quo modo, etsi concionatores, vel con-
 » fessarii aliquando excusari possint, idque ex benigna Ecclesiæ
 » intentione, ut docent *Sylv. Suar. et Laym. etc.* tenentur
 » tamen anticipare, si possint, v. gr. si manè prævideas, te
 » totâ die confessionibus occupandum, quæ differri non pos-
 » sint. Ita ex *Suar. et Azor. Bonac. l. c. p. 2. n. 1. et 2. etc.*
 » communiter.

Excusantur ab horis, qui occupantur totâ die in officiis religionis, aut charitatis, quæ sine scandalo, aut magno detrimento proprio vel alieno omitti non possunt; ita comunissimè *Salm. tr. 16. c. 3. p. 6. §. 1. n. 37. Ronc. c. 6. qu. 5. Elbel t. 2. pag. 557. n. 444. Wigandt pag. 452. n. 96. Holz. t. 1. pag. 450. n. 477. et Spor. tom. 3. pag. 85. n. 161. cum. Sylv. Nav. Tolet. etc.* Hinc excusantur concionatores, si nequeunt omittere concionem sine scandalo, aut nota, ut dicunt *Laym. l. 4. tr. 1. c. 6. n. 1. Salm. cit. n. 37. Viva qu. 3. a. 6. n. 6. et Wigandt l. c.* Item excusantur confessarii, qui per totum diem confessiones excipiunt, quas differre non possint, ut *Concina t. 2. pag. 500. n. 3. Laym. Wigandt et Salm. ibid.* Item qui occupantur in sedandis jurgiis, aut assistendis infirmis, *Sanch. dub. 52. Ronc. tr. 5. q. 2.* Item qui ex officio attendere debent publicis thesibus. *Sanch. Salm. et Ronc.* Item habentes publicam lectionem ad cathedram, aut lauream acquirendam, si

occupatio esset totius diei, nec possit differri sine damno proprio, aut aliorum. *Wigandt l. c. Conc. p. 498, n. 2. cum Suar.* Item scholares, qui debeant in aliquo die actum defendere. *Sanch. d. dub. 52.* Super autem hae materia advertenda est propos. 21. damnata ab *Alexand. VII.* quae dicebat: *Habens capellaniam collativam, vel quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.* Benè autem advertunt *Laym. c. 6. num. 1. Ronc. et Wigandt ll. cc.* quòd si omnes isti sine magna difficultate possint recitationem anticipare vel postponere, ad id utique tenentur, unde benè concludit *P. Wigandt,* quòd rarissimè accidit casus, quòd tales officium sine culpa omittere poterunt.

« Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non tenèri te re-
 » tere quòd neglexisti (nec recitando, nec audiendo), dùm
 » thurificando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros neces-
 » sarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam prae-
 » dendo, vel alia in choro necessaria peragendo occupatus
 » fuisti, quia chorus totus pro eo, qui in re ad officii cele-
 » britatem pertinente occupatur, videtur supplère, et non tan-
 » tùm suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine recitare,
 » aut canere. Ita *Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 7. Henr. Sylv. Azor.*
 » *Sot. Molf. Nald. Arag. Regin.* citati à *Dian. p. 2. t. 12.*
 » *res. 3.* Idem de eo, qui choro, organis, musicis alternis
 » versibus respondet, dicunt *Nav. Sanc. Arag. et Rodr. apud*
 » *Laym. l. c.,* scilicet eum non esse obligatum, ut etiam voce
 » proferat; sed negat *Escob. t. 5. e. 6. Vide Trull. d. 16. »*
 (*Vide dicta de his n. 143. vers. Notandum 3.*)

187. — « 3. Cœcitas, *Bon. p. 2. num. 4. etc. communiter.*

« 4. Carentia Breviarii inculpata. Quòd si tamen memori-
 » ter possis dicere, vel totum officium, vel unam horam,
 » tenèris. Si verò tantùm scias psalmos, vel lectiones vel capi-
 » tula, dicunt *Fill. t. 2. tr. 23. c. 9. n. 187. Nav. et Suarez,*
 » item *Escob. e. 6. ar. 149.* probabile esse, non tenèri: quia
 » psalmi, ut sic, non sunt hora canonica, ad quam tene-
 » tur clericus. Idem dicunt *Garc. de benef. l. 1. part. 2. c. 1.*
 » *n. 221. Mald. in 2. 2. t. 10. c. 2. d. 5. et Jo. Sancius in*
 » *select. d. 15. n. 1.* citati à *Dian.,* eò quòd lectiones et capi-
 » tula sint pars, licèt minor, maximè principalis, ita ut abs-
 » que illis non sit officium canonicum. Idem concedit *Sanch.*

» l. 1. c. 19. in Matutino festi duplicis, vel semiduplicis. Vide
 » Bonac. p. 2. n. 6. Dian. par. 2. tr. 12. r. 50. et 45. Verùm
 » hæc probare non ausim; sed potiùs, quod docet Bonac.
 » d. 1. art. 6. part. 2. impeditum ex aliqua dictarum cau-
 » sarum, si possit dicere partem notabilem, ad id tenèri,
 » aliàs ad nihil. Denique si quis careret Breviario, quo uti
 » solet, v. gr. Romano, tenetur legere aliud, quod habère
 » potest, quia per utrumvis impletur substantia præcepti.
 » Creus. Escob. Dian. p. 9. t. 9. r. 25.

158. — Hinc primò advertenda est propos. 54. damnata ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Hinc certum est, quòd is qui caret Breviario, et nihil aliud scit memoriter, quàm laudes, aut Completorium, illud sub gravi tenetur recitare, ut contra aliquos docent communiter Sporer t. 5. pag. 87. n. 177. Pal. p. 6. n. 11. cum Nav. Suar. Valent. etc. Wigandt pag. 451. n. 90. et Croix l. 4. n. 1230. cum Sanch. Bon. et Carden. Unde secùs tenetur recitare partem, quam scit memoriter, non verò tenetur memoriæ mandare quod nescit. Concina pag. 494. n. 6. Dicunt autem Palaus d. 6. num. 7. cum Torre, et Sanctio; ac Fill. Garc. Tamb. etc. apud Sporer l. c. quòd si haberes psalmos, sed non lectiones Matutini, nihil tenèris dicere, quia tunc deficit forma præscripta à S. Pio V. At meritò Busemb. ut supra, id non approbat, et Sporer d. n. 177. ait omninò in praxi amplectendam sententiam contrariam, quam tenent Croix n. 1220. et Bon. Gob. ac Leand. apud ipsum Sporer. Ratio, quia cùm possis notabilem partem officii recitare, non est cur ab eà excuseris. Unde Bus. cum Bon. Holzm. p. 451. n. 459. cum Ills. et Croix l. c. cum Laym. ac Fill. rectè hanc regulam assignant, quòd si potes recitare quantum est parva hora, tenèris sub graviam dicere, si verò minùs, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars, seorsim sumpta, non censetur æstimabilis ad finem à lege intentum.

Præterea, si haberes officium commune, et non proprium illius diei, tenèris ex communi horas recitare, ut veriùs sentit Croix l. 4. n. 1221. cum Sporer et Gob. contra aliquos. Idem tenent Conc. p. 89. n. 3. et Wigandt p. 450. num. 88. si careres Breviario Romano, et haberes aliud, putà Bene-

dictum, aut simile, tenéris ex illo recitare. Ratio, quia duplex est præceptum officii, unum univérsale de horis persolvendis, aliud de servanda formulâ cujuscumque diei; unde, si non potes servare unum, tenéris ad aliud. Huic verò contradicunt *Salm. de hor. can. c. 1. p. 4. n. 28.* dicentes non tenéri, quia (ut ajunt) præceptum officii est indivisibile, id est illud recitandi, et recitandi sub una formulâ; idque inferunt ex verbis bullæ *S. Pii V.* ubi dicitur: *nisi hac sola forma satisfacere posse.* Hoc tamen non obstante, prima opinio ut magis pia, et rationabilis mihi sequenda videtur. Certum est autem, quòd religiosus factus Episcopus benè potest uti Breviario suæ diœcesis. *Concina pag. 392. n. 9.*

Item, qui non potest solus recitare, tenetur adhibère socium gratuitum, si potest sine magno incommodo, ut veriùs censent cum *Bus. ut supra n. 154. Sanch. c. 2. dub. 48. Ronc. c. 6. q. 4. Holzm. p. 451. n. 478. Sporer n. 181. Croix l. 4. n. 1231. cum Bonac. et Suar. Salm. tr. 16. c. 3. p. 6. §. 2. n. 44. Concina t. 2. p. 493. n. 5. cum Nav. Azor. Less. Pal. Laym. Valent. etc. (contra Leand. Jo. Sanch. Dian. etc. ap. eundem Conc.)* Ratio, quia quodcumque præceptum implèri debet, quod mediis ordinariis impleri potest. Diximus *gratuitum*, quia non tenetur socium adhibère stipendio soluto, ut dicunt *Salm. c. 3. n. 42. et Bon. p. 2. num. 8. cum Suar. Nav. Vill. etc.*

An autem beneficiarius teneatur socium conducere ex fructibus beneficii? Affirmant *Bonac. d. 1. q. 6. p. 2. n. 7. cum Suar. Laym. Molf. etc. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 7. v. Hic quædam, Holz. p. 451. n. 478. Palaus p. 6. n. 14. et consentit Sporer t. 3. p. 88. n. 185.* si beneficium sit pingue. Ratio, quia fructus beneficii dantur propter officium; unde beneficiarius debet illos erogare, ut officium persolvat. Sed contradicunt *Gobat. Tamb. Diana, etc. apud eundem Spor.* qui meritò id probabile putat. Ratio, quia (ut diximus *l. 4. num. 665. cum Less. Innoc. Panorm. Sylvest. Palud. etc.*) obligatio horarum probabiliùs non est de jure naturali, seu ex justitia, sed de jure positivo Ecclesiæ illam præcipientis ex motivo religionis (ut diximus *suprà n. 145. vers. Quær. I.*), fructusque beneficii non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione beneficiarii. Quapropter ipse non tenetur officium persolvere medio extraordinario, quale esset

8..

conducto socii, tantò magis, quia concilium Lateranense (ut videre potes *d. l. 4. n. 665.*) absolutè excusat ab onere officii legitime impeditos. Utraque sententia est probabilis; hinc dico, quòd si talis beneficiarius omisit officium, eò quòd non adhibuit socium, et in bona fide fructus perceperit, potest eos retinere, quia melior est conditio possidentis. Secùs, si ille non adhuc perceperit, sed innixus probabilitati hujus secundæ sententiæ velit percipere: quia non potest inchoari possessio cujuscumque rei, nisi eum certitudine juris, ut pluries diximus. Vide *l. 4. n. 669. et 761. v. Quær. II.* Propterea dico, quòd si hic velit percipere fructus, tenetur socium adhibere.

159. — « 3. *Dispensatio*, quam sine causa solus Papa dat » validè, cum causa Episcopi. Et sic subdiaconum, qui ex » dispensatione pontificia ducit uxorem, hoc ipso liberari ab » onere horarum, contra *Bon. et Azor. docent Sanch. de matr. » l. 8. Dian. p. 8. tr. 3. r. 34.* »

Papa potest dispensare in officio, etiam cum beneficiario, ut rectè ait *Croix l. 4. n. 1233.* asserens esse commune. Probabiliùs enim, ut diximus mox suprà cum *Sylv. Less. Pa-norm.* onus officii non est de jure naturali, sed de præcepto Ecclesiæ; et idèd potest Papa adhuc sine causa validè dispensare. Episcopus autem non potest dispensare, nisi cum causa, et cum aliquo particulari, necnon ad breve tempus, ut dicunt *Wigandt p. 431. n. 94. Holz. p. 481. n. 477. Conc. p. 398. n. 6. et Croix ibid.*, qui cum *Tamb.* inquit sic esse usu receptum. Causa autem dispensandi est, si dubitatur de morali impotentia clerici, ut *Croix l. c. ex D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4.* Dicit autem *Gobatus apud Croix*, idem posse vicarium generalem; sed hoc intelligendum, si habeat speciale mandatum ab Episcopo, juxta dicta *l. 4. n. 1032.*

ARTICULUS IV.

Quomodo recitandæ sint horæ?

- 160 *Requiritur I. Ut recitentur juxta præscriptum Breviarii Romani.*
 161 *Qu. I. An sit obligatio recitandi litanias? Qu. II. An officium defunctorum? Qu. III. An liceat officium in brevius permitt-*

tare? Qu. IV. An possis te conformare cum clerico privilegiato? Qu. V. An errans in officio teneatur repetere?

162 *Requiritur II. Pronuntiatio vocalis.*

163 *Qu. I. An satisfaciat legens, si se non audiat? An autem satisfaciat submissè recitans in choro? Qu. II. An si recites officium in choro, vel cum socio, tenearis repetere quæ non percipis? Qu. III. An satisfaciat surdus, vel surdaster recitans in choro?*

164 *Requiritur III. Pronuntiatio integra.*

165 *Quomodo peccet mutilans verba? Quid, si recites cum socio mutilante?*

166 *Requiritur IV. Pronuntiatio continuata.*

167 *An Matutinum possit separari à Laudibus? Et an tunc sit obligatio terminare horas et Matutinum cum Pater, et oratione officii currentis? Et an nocturni possint ab invicem separari?*

168 *An sit repetenda hora, si magna intercedat interruptio? Quæ sint causæ justæ interrumpendi?*

169 *Requiritur V. Ne invertatur ordo.*

170 *Causæ invertendi ordinem.*

171 *An in choro sit gravis obligatio recitandi horas ordine debito, et statis horis?*

172 *Requiritur VI. Ut dicantur horæ tempore suo.*

173 *Quæ sint causæ justæ anticipandi, vel postponendi? Quo tempore dicendæ sint horæ?*

174 *Qu. I. Quando possit dici Matutinum? Qu. II. An Matutinum defunctorum possit pridie recitari? Qu. III. An in Vespera diei antecedentis possint recitari litanie?*

175 *Requiritur VII. Ut horæ recitentur attentè, et devotè.*

176 *Quanam intentio requiratur? Et quanam attentio? Et I. de attentione externa. An dormitans in officio, vel recitans dum alii fabulantur, vel in platea, etc. satisfaciat? II. de attentione interna.*

177 *An attentio interna sit necessaria ad satisfaciendum? Et an beneficiarius recitans sine attentione interna teneatur ad restitutionem? Regula ad scrupulos abjiciendos.*

178 *An et quomodo peccet recitans officium existens in peccato mortali?*

179 *An liceat officium dicere in loco indecenti? An extra chorum situs recitandi sit de præcepto?*

160. — **R**ESP. In recitatione horarum sequentes circumstantiæ sunt servandæ : I. ut recitentur juxta præscri-

» *ptum Breviarii Romani*, jussu *Pii V.* editi, saltem publicè.
 » Excipe religiosos, qui habent peculiare Breviarium ordinis,
 » et ecclesias, quæ 200 annis ante institutionem Breviarii per
 » *Pium V.* peculiare habuerunt : eæ enim sine consensu
 » Episcopi illud mutare non possunt. Privatim tamen omni-
 » bus etiam regularibus probabile est, licère ex consuetudine
 » uti Romano, ut docent *Less. c. 57. d. 12. Rodr. et Sa, v.*
 » *Horæ, Bon. d. 1. q. 3. p. 1.* Adde, quòd qui eo utitur, ne
 » in choro quidem obligetur ad psalmos pœnitentiales, gra-
 » duales, officium defunctorum, excepto die animarum. Offi-
 » cium tamen B. V. in choro recitari debet, ubi est consuetudo.
 » Ita *Fill. et Bon. ex bulla Pii V. et Clem. VIII.* Item tenetur
 » ad litanias diebus rogationum, tùm quia sunt pars officii eo
 » die; tùm quia peculiaris de ea re est constitutio. Ita *Bon. l.*
 » *c. ex Fil. etsi contrarium probabile esse dicat Diana p. 2.*
 » *t. 12. r. 42. ex Vasq. item Escob. t. 5. e. 6.* Quòd si ex in-
 » advertentia, vel necessitate, v. g. quia lectiones de festo
 » nullas habes, officium mutes, ita ut dicas de feria, quando
 » erat dicendum de Sancto, vel contrà, nullum erit peccatum,
 » nec obligatio repetendi, licèt consultum sit repetere ea,
 » quæ ad proprium officium pertinent: si verò studio idem
 » mutes, aliud sentiendum videtur, cùm ratio non sit eadem.
 » Quamquam, quòd eo casu venialiter tantùm pecces, nec
 » tenearis repetere, vel restituere quidquam, eò quòd sub-
 » stantia præcepti sit impleta, probabile esse censent *Escob.*
 » *t. 5. e. 6. c. 5. Dian. p. 3. t. 12. r. 3.* item *Caj. Sylv. Bins-*
 » *feld, Az. Valent. Less. Fill. etc.* citati à *Bon. d. 1. q. 1. p. 1.*
 » *n. 17. et Dian. l. c. contra alios multos* quos citat, et sequi-
 » tur *Barb. Laym.* verò *l. 4. t. 1. cap. 4. n. 4. cum Suar.* li-
 » mitat, nisi per fraudem, ut si multò longius in multò bre-
 » vius, v. g. paschale, mutetur (licèt *Caram. apud Dian. p.*
 » *7. t. 11. r. 16.* contra communem sentiat, etiam sic præce-
 » ptum implèri, et venialiter tantùm peccari); aut idem pro-
 » libito toto anno dicatur; quia est gravis inordinatio. Vide
 » *Trull. d. 14. n. 11.* ubi docet, eum qui per errorem legit
 » hodie de Sancto, qui cras v. g. colitur, posse cras legere de
 » Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc anno omittatur;
 » imò ita faciendum esse vult *Quintan. t. 8. sing. 10.* Verùm
 » contrariam rectiùs tenet *Vill.* eò quòd præstat semel, quàm
 » bis, errare; idque multis benè confirmat *C. Lugo resp. m.*

» *l. 5. d. 8.* Similiter eum, qui per errorem vel oblivionem in
 » festo duplici vel semiduplici non recitavit de proprio, posse
 » de eo legere primo die non impedito 9 lectionum officio,
 » docet idem *Quintan. t. 9. s. 9.* esse probabile. Verum et hoc
 » merito rejicit *C. Lugo l. c.* et ipse *Quintan.* contrariam sen-
 » tentiam agnoscit probabiliorem. Denique, qui in aliquibus
 » horis erravit, legendo v. g. de feria, quando erat de festo,
 » vel contrà, agnoscens errorem non debet eum continuare,
 » sed reliquas horas legere juxta officium eo die currens, ut
 » in his saltem conformet se toti Ecclesiæ, vel communitati,
 » cujus est pars, et observet legem quantum potest. *C. Lugo l. c.*

161. — Quær. hic I. An sit obligatio sub gravi recitandi litanias in diebus S. Marci, et rogationum?

Prima sententia communior affirmat, eamque tenent *Glossa in c. 5. de consecr. dist. 3. Pal. d. 2. p. 2. n. 13. Bon. q. 3. p. 1. n. 13. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 3. v. Quær. 6. Conc. t. 2. pag. 587. n. 23. Viva q. 1. art. 2. n. 2. Sporer t. 3. pag. 74. n. 95. Croix l. 4. n. 1290. Mazz. t. 1. p. 501. Holzm. p. 450. n. 475. et Salm. de hor. can. c. 1. p. 3. §. 3. n. 23. cum Suar. Bon. Trull. Leand. etc.* Ratio, quia in rubrica (post *Fer. 2. Dom. 5. post Pasch.*) sic dicitur: *Qui non intersunt processioni litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum, cum suis precibus et orationibus.* Verbum autem dicant importat grave præceptum, quando materia est gravis (qualis sine dubio est materia litaniarum), ut docet *Sanch. Dec. l. 6. c. 4. n. 24.* idque confirmatur ex declarat. *S. C. (apud Gavant. Rubr. Brev. sect. 6. c. 16.)* quâ dictum fuit, eos qui interfuerunt processioni, at non cecinerunt, tenèri litanias repetere, vel dicere privatim.

Secunda sententia verò negat, quam tenent *Diana p. 4. tr. 4. r. 243. cum Vasq. Graff. et Homob. item Machad. Pelliz. Molfes. Ant. à Spir. S. Philib. Tancredi, et Marchant. ap. Salm. l. c.* qui probabilem putant, sicut censet etiam *Mazzolt. l. c.* Ratio istorum, quia nullibi adest de hoc præcisum præceptum obligans sub gravi. Nec obstare dicunt rubricam allatam, nam verbum dicant, inquit non continere præceptum, ut tenet *Cajet. 2. 2. q. 166. art. 9. in solut. ad 2.* ubi dicit: *De modo verò loquendi, putà, quia lex utitur imperativo modo, quod non inducit vinculum præcepti; modus enim hujusmodi imperium grammaticè denotat, non juridicè.* Vel

censent saltem non inducere præceptum grave, ut docet *Nav. Man. c. 23 n. 49.* dicens: *Leges autem canonicæ, quæ non habent præceptiva vel prohibitiva, sed solum ordinativa, vel constitutiva, etiamsi sint imperativi modi, qualia sunt illa faciant, dicant, etc. quæ secundum communem intellectum non significant præceptum.* Et hoc videtur esse juxta doctrinam *D. Thomæ*, qui *2. 2. q. 86. a. 9. ad 2.* dicit: *Nec in lege Ecclesie omnes ordinationes obligant ad mortale.* Et idem dicunt *Sa v. Lex, n. 6. et Sayr. l. 3. c. 7. n. 16.* idè hanc secundam sententiam improbabilem dicere non audeo; sed prima mihi magis arridet, quia (ut asserunt *Conc. Tourn. loc. cit. et Anacl. p. 194. n. 36.*) ubique viget consuetudo recitandi litanias, quæ est optima legum interpres.

Quær. II. An sit obligatio gravis recitandi officium defunctorum? Negant aliqui, quorum opinionem putant probabilem *Mazzot. t. 1. p. 301. et Gob. ac Tamb. ap. Croix l. 4. n. 1289.* Sed verius affirmandum cum sententia communi, quam tenent *Cont. Tourn. de hor. can. sect. 3. q. 6. Conc. p. 587. n. 23. Pal. l. c. n. 13. Bon. n. 12. Viva q. 3. art. 2. Spor. p. 74. n. 93. Holz. p. 450. n. 473. cum Anacl. Stoz etc. Salm. tr. 16. c. 1. p. 3. §. 3. n. 22. cum Anton. à Spir. S. et Pelliz. qui ait oppositam opinionem non esse practicè probabilem, at Croix l. c. cum Suar. et Diana, dicit non esse satis tutam. Ratio, quia hæc obligatio jam introducta est ex consuetudine, quæ cum universò et constanter cum gravi incommodo observetur, non est ab ea recedendum, juxta dicta *l. 4. n. 1009. v. Dub. III.* Et ob hanc rationem *Diana p. 4. tr. 4. r. 243.* licèt oppositam sententiam conatus sit patrocinari, tandem dixit non audere à communi sententia recedere.*

Quær. III. An sit peccatum mortale, officium diei in aliud brevius permutare? Ante omnia notanda est prop. 34. damnata ab *Alex. VII.* quæ dicebat: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.* Et sic pariter excluditur officium Pentecostes, ut benè ajunt *Salm. tr. cit. c. 3. p. 4. n. 19. et alii communiter.* E converso, qui ex inadvertentia dicit unum officium pro alio, nihil tenetur repetere, ut communiter docent *Busemb. ut sup. n. 160. Less. l. 2. c. 37. n. 77. Anacl. p. 190. n. 62. Viva art. 2. n. 6. Cont. Tourn. loc. cit. q. 4. Concina t. 2. p. 481. n. 13. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 5. cum Sylv. Caj. Azor. et Less. Abelly Append. pag.*

456. n. 2. *Croix l. 4. n. 1251. et Salm. ibid. n. 21. cum Vill. Trull. etc.* Ratio, quia non præsumitur Ecclesia velle aliquem uno die bis ad tantum onus obligari. Dicit autem *Laym. d. n. 5.* consilium esse (non verò obligationem) subungere propria officii omissi. Imò rationabiliter advertit *Tourn. l. c. cum eod. Laym. Bon. etc.* quòd, si dictum fuerit officium notabiliter breuius, putà officium Sancti loco Dominicæ, debet fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno. Circa verò quæsitum quatuor sunt sententiæ :

Prima sententia absolutè negat esse peccatum mortale, hancque tenent *Lessius l. 2. c. 37. n. 77. Caj. v. Horæ, c. 2. Sylvest. eod. v. n. 15. Az. p. 1. l. 10. c. 10. q. 2. item Vill. Dian. Anton. à Spir. S. etc. apud Salm. de hor. can. c. 3. p. 4. num. 18.* Ratio, quia ad implendum præceptum officii sufficit, ut in substantia impleatur, idque fit cum septem horæ dicuntur. Et hanc sententiam probabilem putant *Salm. ibid. et Carden. ac Gobat. apud Croix. l. 4. n. 1250.* Et hisce olim adhæsi; sed nunc veriùs censeo *cum Ronc. c. 5. q. 6.* eam sustineri non posse, quia cum recitatur officium notabiliter breuius, tum illud non impletur neque in ejus forma, neque in substantia æquivalenti; juxta secundam sententiam, quam mox afferemus.

Secunda sententia igitur, quam tuentur *Bon. q. 3. p. 1. n. 18. cum Suar. et Fill. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 4. et 5.* (quem male citant *Salm.* pro prima sententia) *Anacl. p. 190. n. 61.* et probabilem putant *Pal. d. 2. p. 2. n. 17. ac Holzm. p. 445. v. Sed petes,* tenet non peccare graviter, qui mutat officium in æquale vel ferè æquale. Ratio, quia, ut dicitur in *l. Fin. ff. Mandati: Forma reipsa servatur, si per æquivalens id fiat.* Hinc dicunt AA. citati, quòd Pontifex in assignanda forma specifica pro recitatione Breviarii potiùs respexit ad quantitatem tanquam formam substantialem, quam ad qualitatem officii, quæ est forma accidentalis, sive modus recitandi. Dicitur non peccare graviter; nam mutans officium, adhuc in æquale, sine causa, nequit excusari à veniali. Causa autem excusans potest esse, v. gr. necessitas studendi, concionandi, docendi, itinerandi, ut dicunt *Viva qu. 3. art. 3. n. 4. et Sauch. Nav. ac Tamb. apud Croix l. 4. n. 1252.*

Tertia sententia, quam tenent *Palaeus d. 2. p. 2. n. 18. Conc. t. 2. pag. 480. n. 11. Cont. Tourn. loc. cit. Quær. 4.*

v. Dices. Holz. pag. 444. n. 466. Salm. loc. cit. n. 20. cum Reg. Suar. Bell. Garc. Trull. Rodr. Fill. Led. Machad. etc. docet esse mortale officium mutare, etiam in æquale, etsi semel. Ratio, quia S. Pius V. in sua bulla, *A nobis*, præcipit officium recitandum in specie, et in individuo sub forma unicuique diei assignata, dùm dixit: *Hoc Inostrum Breviarium præcipimus observare quoscumque, qui horas canonicas dicere debent, ad dicendum ex hujus Romani Breviarii præscripto et ratione omninò tenèri, neminemque nisi hæc sola formulâ satisfacere posse.* Unde dicunt auctores hujus sententiæ, præceptum officii non esse de recitando in genere, sed secundùm formam præscriptam, nimirùm tali die, de tali Sancto, de tali Dominica, etc. quod ad substantiam pertinet.

Quarta sententia demùm, quam tenent Sparer. p. 78. n. 624. Ronc. c. 5. q. 6. Viva q. 1. art. 2. n. 4. Elbel p. 536. n. 433. Tamb. c. 5. §. 2. num. 20. et probabilem putat Laym. c. 5. n. 4. cum aliis apud Salm. tr. et c. cit. num. 21. docet peccare graviter, qui frequenter officium mutat; venialiter verò qui mutat rarò, putà ter vel quater in anno; modò mutatio non fiat in officium notabiliter brevius, atque sine causa; nam ex aliqua rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum, nec etiam erit veniale, ut dicunt Viva l. c. et Nav. Carden. ac Tamb. ap. Croix l. 4. n. 1251. Rationem autem, cur frequens mutatio officii sit mortale, alii dicunt esse, quia talis mutatio videtur virtualis contemptus ritûs officii. Sed hæc ratio non convincit; nam verius negatur cum D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. (quem sequuntur Sanch. Dec. l. 1. c. 5. n. 8. et alii) quòd frequentia transgressionum involvat contemptum legis: sic enim ait S. Doctor: *Dicendum, quòd tunc aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem; quando autem è converso propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, non peccat ex contemptu; etiamsi frequenter peccatum iteret.* Ratio aptior est, quia ipsa frequens officii mutatio (ut ait Laymann) evaderet gravis perversio ordinis, nam, licèt quælibet variatio, seorsim sumpta, sit venialis ratione parvitatæ materiæ, omnes tamen intra

annum coalescunt, et graviter perturbant ordinem Breviarii præcepti pro totius anni officiis, quæ simul sumptæ unum complexum faciunt. Ex his sententiis (ut meum proferam judicium) prima, pæce tantorum DD. qui eam tuentur, vix (ut dixi) sustineri potest; secunda et tertia satis probabiles videntur, sed quartam æquiorẽ puto.

Juxta autem omnes prælatas sententias, probabiliter excusant à mutatione officii sequentes causæ, videlicet: I. Si aliò pergis, potes recitare officium illius loci, ut dicunt *Laym. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 5. Holzm. p. 445. n. 466. v. Diximus, cum Stoż et Bon. ac Tamb. apud Croix l. 4. num. 1253.* Excipit verò *Holzm. cum Pal. Tamb. Cherub. etc.* religiosos, quia isti tenentur ad Breviarium sui ordinis ex vi professionis, cujus vinculo obligantur quòcumque ierint. Probabiliter autem dicit *Croix n. 1244. cum Suar. Quintan. et Gobat* quòd si sis alicubi tanquam advena, potes recitare officia tuæ patriæ. Additque *Gobat. ibid.* quòd si mutes domicilium, potes compensare officia ommissa in priori loco. II. Capellanus Episcopi potest illi se conformare in officio. *Holz. l. c. cum communi ex Decr. S. C. Rituum ann. 1605.* Idque magis firmatur ex *Clement. Dignum, de cel. miss.* ubi commensalibus et domesticis Cardinalium, et Episcoporum indulgetur uti officio et Breviario, quo hi utuntur. Idem dicitur de capellano monialium, qui cum possit legere missam de Sancto ordinis, ita etiam potest de eo dicere officium; rubrica enim monet officium cum missa concordandum. *Holzm. l. c. et Croix num. 1254. cum Gob. Stoż, Tamb. Quintanad.* Idem probabiliter dicunt *Laym. l. c. et Gobat. apud Croix n. 1253.* de eo qui obit exercitia apud religiosos. III. Beneficiatus potest recitare sub ritu primæ classis eum octava officium sui tituli, ut *Lugo Resp. Mor. l. 5. dub. 8. n. 10. et Holzm. l. c. cum Tamb. Gob. Clericato, etc.* beneficiarius autem, qui habet duo beneficia, debet recitare officium loci, ubi residet. *Conc. p. 392. n. 10.* IV. Si recites cum socio, cujus ritui potes te conformare ex causa, ut dicunt alii; sed etiam sine causa, ut sentiunt *Viva q. 3. art. 2. num. 8. cum Quintanad. et Henr. Ronc. c. 5. qu. 5. cum Portell. ac Dian. p. 2. tr. 12. r. 35.* Et hoc satis probabile mihi videtur, modò officium permutetur in æquale, vel quasi; juxta enim secundam sententiam circa permutacionem officii, quam supra probabilem diximus, quælibet ratio-

nabilis causa sufficit ad mutandum officium in æquale; satis autem rationabilis causa hic ipsa societas videtur, dum *Clemens Rom. lib. 4. Const. cap. 54. (apud Ben. p. 2. §. 4. n. 7.)* admonet fideles, ut *Saltem duo, vel tres orent, juxta illud Matth. c. 18. §. 20. Ubi... sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Quæritur IV. An possis te conformare cum clerico privilegiato in officio breviori? Absolutè negat *P. Conc. p. 393. num. 12.* Affirmant verò, adhuc nullâ accedente causâ, *Roncaglia l. c. Stoz apud Holzm. p. 445. v. Diximus, Diana p. 2. tr. 12. r. 35. cum Portell. Tamb. dic. n. 27. cum Henr. et aliis; item Trull. Rodriq. et Leand. ap. Conc. loc. cit.* Ratio istorum, quia in correlativis eadem est habenda ratio; unde privilegium unius extenditur ad alium, ex *l. fin. de Acceptis.* Præterea, cum quisque licitè possit in officio socium adhibere, si non posset officium illud brevius cum socio recitare, videretur privilegium aliquo modo juri suo derogare. Alii autem dicunt, ut *Croix n. 1256. Holzm. l. cit. Sporer p. 79. n. 125. et Gob. de hor. can. n. 911.* tunc posse socium conformari cum privilegiato saltem semel vel iterùm, quando iste ob aliquam rationabilem causam, putâ infirmitatem, debilitatem visus, et similem, difficulter posset suo privilegio uti, nisi juvetur à socio. Verumtamen harum opinionum neutra mihi satisfacit; ratio enim correlativorum, ut suprà, non convincit, cum ipsa quidem valeat pro correlativis necessariis, ut sunt viri et uxores, non verò pro voluntariis, nimirùm pro sociis, qui pro eorum libitu socii evadunt. Ratio autem sola infirmitatis, seu difficultatis privilegiati in recitando non videtur sufficiens, ut possit excusare socium ad officium permutandum in aliud notabiliter brevius.

Quæritur V. An qui hodie ex errore recitavit de Sancto, omisso proprio illius diei, possit alia die de officio prætermisso recitare? Dicunt *Pell. tr. 5. c. 8. n. 74. Quintanad. Sing. 9. n. 5. et Salm. tr. 16. cap. 5. p. 4. n. 21. in fin.* meliùs facere se conformando cum communi ritu Ecclesiæ, sed probabiliter posse etiam recitare de officio omisso. Attamen *Lugo Respons. moral. l. 5. dub. 8. n. 2. et Villal. p. 1. tr. 22. n. 5. cum Busemb. ut suprà* tenent omninò recitandum officium diei currentis. Ratio, quia Ecclesia tùm solùm præscribit officium transferri, cum est impeditum à Dominica, vel

officio majori. Hæc quidem sententia est probabilior, sed prima non videtur improbabilis cum *Felice Potesta* p. 55. num. 448. et *Tamb. cap. 5. §. 2. num. 29.* Ratio, quia, sicut ritè transfertur officium de Sancto ob impedimentum diei ad alium diem non impeditum, ita videtur rationabiliter posse officium transferri ob impedimentum morale, quale censetur error, vel ignorantia, ne Sanctus in illo anno suo honore privetur.

Si autem advertas errasse postquam multum processeris in officio indebito, puta si dixeris Matutinum; tunc potes vel proseguere, vel reliquum recitare de officio debito, ut dicunt *Less. l. 2. c. 57. n. 77. Ronc. p. 155. q. 6. et Salm. cit. n. 21. in med. cum Vill. Quintan. Trull. etc.* Sed puto eum *Croix l. 4. n. 1255. et Tamb. d. §. 2. n. 51.* melius esse recitare de proprio, ne errorem proseguaris.

Si verò oblitus es aliquam partem horæ, sufficit illam recitare, quin aliud repetas, ut rectè dicit *Croix lib. 4. n. 1314. cum Nav. Vasq. Sanch. Bon. Fill. Abelly, etc.* Secus tamen probabilius censent *Armilla, et alii ib. (contra Vasq.)* totam horam esse repetendam, si omiseris partem notabilem ex culpa, quia est obligatio (saltem sub levi) ut orationem continuatam secundum ritum præscriptum facias; sed vide infra n. 168.

162. — « II. *Pronuntiatio vocalis exterior*; ea enim est de » substantia præcepti. Et si quidem cum socio legis (quod » rectè fit, et est conforme primæ institutioni Ecclesiæ, ac » publico orandi ritui, estque licitum, etiamsi is ad horas non » obligetur, nec interiùs attendat. *Bonac. qu. 3. p. 2. §. 1.*), » ea pronuntiatio adhibenda est, ut ab eo exaudiri possis, » eumque audire vicissim. Sæ tamen v. *Horæ*, putat satis » fieri, etsi quædam non percipias, quæ à socio dicuntur: » neque ideo aliquid scrupulosè repetendum esse. Si verò » solus legas, ita legendas esse, ut audire te ipsum possis, » docent *Regin. et Suar.* Sed probabile est id non requiri, » cum Ecclesia id non præcipiat, ut docent *Azor. p. 1. l. 10. » c. 11. q. 4. Bonac. et Dian. res. 11. admittitque Fill. tr. » 23. c. 3. n. 117,* pro scrupulosis. Si plures duobus recitent » officium simul, non debet unus unum, alter alterum, » tertius tertium versum recitare, sed alternatim, facto du- » plici tantum choro, sive plures sint ex una parte, sive » pauciores, quia sic habet usus et praxis Ecclesiæ: secus » est de lectionibus, quarum primus primam, secundus se-

» cundam, tertius tertiam recitat, imò alicubi consuetudo
 » permittit, ut omnes ab uno recitentur, aliis audientibus.
 » *Bonac. in disp. 1. q. 5. part. 2. §. 1. ex Suar. Azor. et*
 » *Laymann*, addens etiam satisfacere eum, qui lectiones, vel
 » orationes, vel capitula, vel responsoria tantùm audit, et
 » non recitat. *Vide Bonac. l. cit. Trull. d. 16. n. 17.*

Communis est sententia, ut tradunt cum *Busemb.* mox
 suprâ *Salm. de hor. can. c. 3. p. 1. n. 6. cum Suar. Pell. et*
Croix l. 4. nu. 1298. cum Bonac. Fill. Reg. Stoz, Tamb. etc.
 benè satisfacere, qui audit à socio lectiones, responsoria,
 capitula, et orationes, ac antiphonas, ut benè addit *Croix*
l. c. cum AA. citatis. Et probabiliter sentiunt *Pelliz. et Anton.*
à Spir. S. apud Salm. l. cit. (contra Croix loc. ut suprâ, cum
Gob. et Dian. ac Mazz. adhuc satisfacere eum, qui solus di-
 cit psalmos, et lectiones audit; vel qui partem psalmoreum
 dicit solus, et partem cum socio, quia satis communicat in
 ea parte quam audit, et cui ex recepto usu jam satisfit per
 auditum.

163. — Quæritur autem I. An recitans officium debeat se
 audire, ut satisficiat? Affirmant *Pal. p. 3. n. 6. Suar. l. 4. de*
rel. c. 7. n. 6. item Pelliz. Reg. et Ant. à Spir. S. apud Salm.
ibid. n. 5. quia (ut dicunt) ad hoc, ut oratio sit vocalis, debet
 voce proferri; verba autem, quæ tantùm inter dentes modu-
 lantur, non sunt vox, sed potiùs inchoatio vocis. Sed satis
 probabiliter dicunt satisfacere *Laym. c. 5. n. 8. Azor. p. 1. l.*
40. c. 11. q. 4. Spor. p. 76. n. 110. Cont. Tourn. de hor. can.
sect. 6. in init. Diana 7. p. tr. 11. r. 16. Salm. cit. n. 5.
circa fin. cum Rodr. Trull. Leand. etc. et idem docet doctissi-
 mus *Sylvius (in Res. v. Horæ n. 3.)*, cujus doctrinam noster
SS. P. Bened. XIV. in multis locis suarum bullarum magnè
 æstimat; hic Auctor sic suam sententiam profert, et probat:
Sufficit etiam si te non audias, quia nullo jure probatur reci-
tantem horas tenèri ad se audiendum, cum præceptum obliget
ad dicendum, non ad audiendum horas. Quòd autem sic re-
 citans jam vocaliter oret, hanc rationem subdit: *Quia oratio*
potest ore et voce fieri etiamsi non audiatur. ab ipso recitante,
et ex se sit sonus quidam formatus ex allisione aëris ad dentes
et labia. Ratio igitur est, quia ad satisfaciendum horis non
 præcipitur auditio, sed tantùm recitatio sive pronuntiatio ver-
 borum, quæ dicitur vocalis; ut autem pronuntiatio hæc voca-

his dicatur, et à mentali distinguatur, non certè requiritur elatio sive formatio vocis, aliàs non satisfaceret qui recitaret absque vocis sonitu, sed sufficit quòd formetur aliquis sonitus verborum, licèt modicus et vix sensibilis sit (recitando à *fiato*, ut vulgò dicitur), prout communiter recitant qui privatim officium persolvunt, et sicut dicenda sunt secreta missæ. Hic autem levis sonitus, quando verba proferunt (ut benè ait *Sylvius*) ex se semper fit, cùm prolatio non possit fieri, quin per linguam et labia fiat aëris compressio, ex qua necessariò aliquis sonitus formatur. Per accidens verò se habet, quòd sonitus ille audiatur vel non.

An autem satisfaciant choro, qui submissè recitant psalmos, alteram partem audiendo? Loquendo de choro in generali, probabiliter satisfaciunt, ut docent *Suárez t. 2. l. 4. c. 12. n. 8. Sanchez Cons. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 14. n. 2. Less. l. 2. c. 39. n. 184. Soto de just. l. 10. q. 3. art. 4. Bonac. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 16. et Salm. tr. 16. c. 1. p. 3. n. 25. cum Fill. Arag. Trull. Villal. Philib. etc.* Ratio, quia non requiritur, ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero (quod supponitur ut certum in *Quæst. II. seq. in fin.*), cùm una pars unum corpus cum altera constituat, et invicem communicent. Secùs verò dicendum de canonicis, qui si non canunt, amittunt tam distributiones, quàm fructus præbendæ, juxta dixit *l. 4. n. 675. v. Dub. 4.*

Quæritur II. An si recites officium in choro, vel cum sociis, tenearis repetere ea quæ non satis percipis. Communiter omnes dicunt, quòd si propter strepitum aliorum non audis, benè satisfacis officio. Dubium est, an satisfacias, si non audis propter culpam chori, vel socii?

Prima sententia negat, eamque tenent *Bonac. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 9. Croix l. 4. n. 1294. et Pal. d. 3. p. 4. n. 6.* qui ait te lucrari quidem distributiones chori, sed tenèri ad repetendum; modò (ut dicit *Bonac.*) pars non audita sit notabilis, secùs si modica. Ratio, quia audiens non potest communicare in iis, quæ non percipit.

Secunda sententia verò affirmat, et hanc tenent *Sporer tom. 3. n. 107. Sabinus in sua Luce Mor. p. 2. tr. 54. n. 26. Tamb. l. 2. c. 3. §. 4. n. 12. Felix Pot. tom. 1. qu. 2. c. 3. n. 444. et Salm. tr. 16. c. 1. p. 3. num. 24. cum Trull. Dian. Pasq. et Pelliz: item Sa, et Major apud Laym. c. 3. n. 8. qui non*

reprobant, et probabilem putat *Elbel p. 558. n. 447. cum Pelliz. et Gob.* Idem censent *Ronc. p. 155. q. 8. et Trull.* loquens de recitatione in choro. Hi censent benè te satisfacere, si attendis quantum potes, et ob defectum chori, vel socii non percipis quæ dicunt. Favet non parùm *S. Anton.* qui 2. p. tit. 9. c. 12. sic docet: *Si quis lectionem vel aliud, quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodò conetur intelligere saltem verba.* Ratio, quia tunc per societatem ipsam, et simul per illam tuam applicationem censèris moraliter communicare orationi, dùm intendis Deo exhibère omnes laudes et preces, quas chorus vel socius profert. Hæcque opinio videtur satis probabilis; præceptum enim hoc officii ex benignitate Ecclesiæ benignè est interpretandum; tùm è converso valde erit anxietatibus obnoxium, quòd socii in officio semper solliciti esse debeant, ad quamnam quantitatem pervenerit omissio auditus ut teneantur vel non repetere. Certum autem est cum *Holz. et Ronc. cum Az. et Reg.* quòd non oportet in choro audire omnes, sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius chori, licèt distinctè nequeas audire, ut *Salm. cit. num. 24.* qui testantur hoc docère ferè DD. omnes. Sic pariter est certum ut docet *Innoc. IV. cap. 9. de celeb. miss.* quòd *si in choro omittas aliquod dicere verbum* (intellige non ultrò), *non peccas, chorus enim supplet.*

Quæritur III. An satisfaciat officio surdus, qui ex obligatione choro assistit, et suam recitat partem? Affirmant *Suar. de rel. c. 28. n. 18. Escob. de hor. can. q. 4. n. 6. Ronc. c. 5. q. 8. et Sa, ac Rocafull. apud Dian. p. 9. tract. 9. r. 28.* qui probabile putat. Ratio, quia hic ex una parte tenetur choro assistere, ex alia autem non stat per ipsum, quin audiat; unde sufficit, ut præstat assistentiam quam potest, partem suam recitando; conditio enim, quam aliquis ponere tenetur, censetur implèri, quando per eum non deest, quominus impleatur; et durum est talem ad duplex officium obligare. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum *Palao d. 3. p. 4. n. 6. Sanch. c. 1. d. 13. Salm. tr. 16. c. 3. p. 4. n. 5. et Elbel n. 448.* qui dicunt surdum lucrari quidem distributiones, sed tenèri ad repetendum non audita. Nec verum est quòd ille sic obligabitur ad duplex officium, nam tenetur tantùm ad supplendam partem non auditam. Ultrà quam quòd

benè potest eodem tempore satisfacere, submissè dicendo partem alterius chori. Secùs verò dicunt *Salm. tr. cit. c. 1. n. 24. Elbel l. c. Tamb. c. 5. §. 4. n. 13. cum Suar. de surdastro, qui possit aliquoties audire, et præstet attentionem quam potest. Et hoc probabile est, saltem si advertat in Breviario, quæ in confuso audit, ita ut benè percipiat quæ dicuntur.*

164. — « III. *Pronuntiatio integra, sine syncope, et abbreviatione verborum et syllabarum, absque præcipitantia.*
 » *Bonac. dist. 1. q. 3. p. 4. §. 1.* Ex hoc tamen defectu in publico faciliùs peccari potest mortaliter, ratione scandali, et severioris præcepti Ecclesiæ, quàm in privato. *Azor. et Fill. t. 2. l. 23. c. 2. n. 208. 209. Escob. Dian. p. 2. tr. 12. res. 32. ubi addit 1. eum, qui cum tali, qui ultimas syllabas abscondit, recitat officium, satisfacere suo officio, nec tenèri repetere. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem, et abscissionem syllabarum (vel alia de causa) audientes non possunt verba percipere, et attendere, ordinariè tantùm esse peccatum veniale, neque obligari ad iteratam recitationem officii; nisi adsit contemptus, vel grave scandalum, seu notabilis corruptio, et deformatio verborum, in toto cantu. Vide Diana l. 4. Sylv. et Trull. dist. 15. n. 4. ubi ex Nav. Azor. Less. et Palao, negant satisfacere eos, qui cum sociis recitant ita festinanter; ut, nondum expletis à socio versiculis, ipsi incipiant; quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum socio qui eam audire nequit. Excusant autem ex Nav. Sa, et Suar. surdum, qui alios in choro canentes non intelligit, nec sequi potest.*

165. — Peccas tantùm venialiter, si syllabas ita mutiles, vel syncopes, ut verborum sensus non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate: imò nullo modo peccas, si hoc facias involuntariè ob inadvertentiam, vel balbutiem, vel inveteratam consuetudinem, quæ difficulter vinci possit. E converso non excusaris à mortali, si mutilatio esset magna, et sensus notabiliter variaretur. Ita communiter *Lessius lib. 2. c. 37. n. 52. Palao d. 2. p. 4. n. 2. Loym. c. 5. n. 8. Anacl. p. 197. n. 50. Sporer p. 73. n. 103. Croix l. 4. n. 1502. Salm. de hor. can. c. 3. p. 1. n. 2. cum Trull. Pelliz. et Viva qu. 3. art. 2. n. 4. cum Azor. Fill. etc. quo casu tenèris utique compensare partem, in qua sensus est corruptus, recitando quanti-*

tatem æquivalentem ; ut benè ajunt *Mazzotta et Croix num. 1303.* et hoc etiamsi involuntariè hoc feceris. Cæterùm probabillter dicunt communissimè *Palauus l. c. Sporer. n. 102.* (qui dicit hoc omnes fatèri) *Anacl. l. cit. et Croix n. 1302. cum Suar. Garc. et Gobat.* ac probabile putant *Salm. d. n. 2. in fin. cum Fill. Vill. et Leand.* quòd satis imple obligationem officii , etiamsi verba notabiliter mutiles , quando servatur aliqua significatio verborum.

Hinc probabile est , quòd nec teneris repetere , si recites cum socio , qui obtruncat syllabas , sed ita ut sensus notabiliter non mutetur , ut ait *Viva l. c.* qui benè addit te non tenèri ad repetendum , nisi tibi constet socium notabilem partem omisisse , quia præsumptio stat pro debita recitatione. Putarem tamen te non excusari à veniali , si ultrò recitas cum tali socio mutilante , nisi adsit aliqua causa , nimirùm si invitèris à superiore , vel persona valde gravi , aut simili causa. Certum autem est non satisfacere eos , qui alternatim recitando non expectant versus absolvi , si hoc fiat in magna quantitate. *Vide AA. apud Bus.*

166. — « IV. *Pronuntiatio continuata* unius horæ : si autem interruptio notabili tempore sine causa fiat , erit tamen veniale tantùm , ut ajunt *Fern. Laym. et Less. d. 10.* quia singuli psalmi suam completam significationem habent. Si justa ex causa fiat , nulla culpa erit , nec repetenda priora quod verum est , etiamsi animo repetendi interrupisses : consilium tamen est , si interruptio longa esset , repetere ab initio psalmi , vel nocturni : imò probabile est , nocturnos singulos separatim , saltem intra trium horarum spatium dici posse (quod certum videtur , si justa causa concurrat) ; quia secundùm quosdam antiquitus ita fiebat , ut docent *Vill. t. 23. c. 6. et Bon. q. 3. p. 3. Escob. etc.* (*Idem tenent Salm. de hor. can. c. 3. p. 1. n. 4. sine dubitatione*) « Addit *Quintanad. t. 8. sess. 3. lectiones* , sive tres sint , sive novem , posse absque culpa gravi , sine causa , et cum hac , absque ulla culpa dividi à psalmodia ejusdem Matutini. Divisio autem Matutini à Laudibus non dicit interruptionem officii , unde privatim fieri potest sine causa. *Dian. p. 3. tract. 14. res. 48. ex Bonac. Fill. Sanch. etc.* Item *Trull. l. 1. c. 7. d. 11.* »

167. — Commune est , quòd Matutinum potest à Laudibus

separari sine ulla causa, ut *Salm. dict. n. 4. Bon. p. 3. n. 11. Conc. p. 368. cum Suar. Sanch. Nav. Fill. etc. Croix l. 4. n. 1505. cum Less. et Abelly.* Sed cum separentur, debet adjici *Pater noster*, ut bene ait *Croix* ex rubrica, quæ præcipit dici *Pater* post quaecumque horam, quando terminatur officium. An autem addenda sit etiam oratio? Affirmant *Nav. Bon. Gavant. etc. ap. Croix ibid.* qui probabile putat, cum probabile sit Matutinum et Laudes esse duas horas: et colligunt ex *Rubr. tit. 31. n. 4.* ubi præscribitur, quòd *Te Deum* dicto, *statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur oratio, postea celebratur missa, etc.* Negant verò etiam probabiliter *Salm. tr. 16. c. 3. p. 1. n. 4. cum Sanch. et Az. Viva q. 5. a. 9. n. 5. Mazzot. t. 1. p. 305. et Croix n. 1505. cum Pelliz. Stoz, Gob. etc.,* quia probabile est Matutinum et Laudes unam esse horam. Illud autem quod præcipitur in *Rubr. cit.* currit tantum pro officio illius noctis. An verò possint nocturni invicem separari. Negat *Thomassin, ap. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 4. q. 5.* Sed affirmant probabiliter *Bus. Bon. p. 3. n. 13. Salm. loc. cit. cum Pell. Fill. et Viva l. c. saltem, ut ajunt Bus. et Viva, si quilibet nocturnus non distet ab alio plus quam tribus horis, juxta ritum antiquum, ut refert D. Thomas, idemque tenent D. Th. Henr. à S. Ign. Durand. etc. apud Cont. Tourn. loc. cit.* qui ait tutius esse oppositum, sed non reprehendendos, qui ob justam necessitatem dividunt nocturnos.

468. — Quæritur autem, an si in eadem hora, vel psalmo magna fiat interruptio, tota hora sit repetenda? Affirmant *Vasq. Nav. Suar. Covar. etc. ap. Croix l. 4. n. 1506.* quia tollitur tunc unitas præscripta. Negant verò probabilius et communiùs *Palau. d. 2. p. 3. n. 3. Bon. q. 3. p. 2. §. 4. n. 27. Less. c. 37. n. 57. Sanch. e. 2. d. 19. Laym c. 1. n. 6. Salm. ibid. n. 3. cum Vill. Pell. Mach. et Croix loc. cit. cum Sporer, Barb. Tamb. Arriaga, Quintan. Tannero, Diana, et aliis.* Ratio, quia singuli psalmi, et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per ipsam recitationem adjunctam. Hinc dicunt ibi *Tamb. Gob. Stoz ap. Croix ib.* posse cum, qui hodie incepit Matutinum, illud complere in crastino sine peccato gravi, etsi differat sine causa.

Causæ autem justæ interrumpendi officium sunt (ut dicunt

Croix l. 4. n. 1307. Anacl. p. 197. n. 54. et Salm. tr. 16. c. 3. p. 1. n. 4. cum Nav. Vill. etc.) quælibet utilitas propria, vel aliena, quæ incommodè differretur, item urbanitas, aut devotio, ut dicere missam, exequi mandata superiorum, si excipias confessionem alicujus qui non libenter expectaret, si velis aliquid agere, aut notare, ut tollas distractionem, sive sollicitudinem ne obliviscaris; modò (ut benè advertit *Gobatus*) hoc non fiat frequenter. Licetè etiam potest intermitteri aliqua brevis oratio inter orandum, vel affectus, ut dicunt *Anacl. ac Gob. etc. ap. Croix.*

169. — « V. Ne invertatur ordo horarum absque justa causa: quod si tamen fiat, erit tantùm veniale: quia ordo iste (saltem extra chorum) non est sub præcepto, nisi secundariò, et tanquam circumstantia minoris momenti. Quòd si autem per inadvertentiam, vel ex justa causa mutet, verbi gratià, ut amico, vel ægro, qui tecum legere cupit, satisfacias, nullum erit peccatum: vel si in choro dicantur posteriores horæ, cum tu necdum dixeris priores, vel si inter orandum advertas te aliquid omisisse, vel priorem horam nondum dixisse; perges enim, et supplebis in fine. Similiter, si causa, vel necessitas instet horas dicendi, potes dicere Laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo simili, quod ad manus non est. *Vide Bon. q. 3. p. 4.*

170. — Justæ causæ igitur invertendi ordinem recitationis probabiliter sunt I. Si invitèris ab amico ad recitandum cum ipso, ut *Anacl. p. 197. num. 57. ac Suar. Pal. Bon. Pelliz. Bassæus, et Stoz ap. Croix l. 4. n. 1309.* II. Si non habeas promptè Breviarium, nec possis commodè expectare, ut *Paulus, Gob. et Tamb. ib.* III. Si serò venias ad chorum, officio jam incepto, ut *Sanch. Laym. et Gob. ib. ac Anacl. l. c.* Et sic etiam excusat à veniali quælibet rationabilis causa, ut *Conc. p. 483. n. 5. Salm. ibid. p. 2. n. 8. cum Suar. Pal. Trull. Reg. etc.* Et idem dicendum, si in eadem hora invertatur ordo, *Salm. tr. 16. c. 3. p. 2. n. 10. cum Suar. et Bon.*

Docet autem communis sententia, quòd inversio ordinis non est mortale, ut testantur *Salm. ibid. n. 8. et Conc. p. 483. n. 5.* Ordo enim officii non cadit sub præcepto. Dicit verò *Conc. ib. cum Vasq. (contra Salm. l. c.)* non excusari à culpa gravi, qui frequenter ordinem inverteret, quia hæc frequens inversio videtur gravis inordinatio, juxta dicta *num.*

461. v. *Quarta*. Sed probabilius hoc videtur negandum, cum sit communis sententia, ut asserit ipse *Concina*, præfatum ordinem non cadere sub præcepto, prout aliàs cadit recitatio officii currentis in quolibet die, ut dictum est *loc. cit.*

171. — Quæritur verò, an in choro sit gravis obligatio recitandi officium ordine debito, et statis horis? Affirmant *Conc. t. 2. p. 382. n. 15. et Salm. tr. cit. c. 1. p. 2. n. 11. cum Suar. Azor, Sot. Pal. Fill. Vill. Reg. et Tamb.* modò anticipatio vel postpositio sit notabilis, et desit aliqua legitima causa excusans. Ratio, tum quia canones pluries repetunt horas recitandas esse statutis horis et temporibus, tum quia talis inversio gravem involvit deformitatem. Negant verò *Caj. v. Horæ, Laym. l. 8. tr. 1. c. 3. n. 6. Sanch. Cons. t. 2. l. 7. c. 2. dub. 42. num. 3. Bon. d. 1. q. 3. p. 3. n. 7. Gav. in Rubr. t. 2. c. 3. t. 6. n. 9. ac Trull. Tancr. Diana, etc. ap. Salm. ibid. n. 10. in fin.* Ratio, quia hujusmodi circumstantia temporis, vel ordinis non pertinet ad substantiam præcepti, sed est quædam cæremonia accidentalis. Utraque est probabilis, sed hæc secunda videtur probabilior, eò quòd non constat de gravi præcepto super hac re imposito.

An sit licitum celebrare missam ante recitationem Matutini? Probabilius est esse tantum veniale, si sit sine causa. *Concina t. 2. p. 490. n. 11. cum aliis communissimè. Vide dicenda de sacrif. missæ l. 6. n. 347.*

172. — «VI. Ut, nisi justa causa excuset, dicantur tempore præfixo à jure, vel consuetudine, quæ nunc obtinuit ut Matutinum, et Laudes, absoluto Completorio in Ecclesia, horâ circiter quartâ, et secundum *Bonac.* etiam tertiâ dicantur: et hyeme quidem, mediâ horâ ante solis occasum dici posse, ait *Fill.* ex communi sententia, cum etiam privilegium quibusdam concedatur, ut horas ante occasum dicant. Quod tamen non est signum id sine privilegio fieri non posse, quia talia sæpè dantur ad tollendos scrupulos, et dubia, quæ sequuntur ex varietate opinionum. Juxta eandem sententiam non peccabit, ait *Bonacina*, qui Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam duabus, vel tribus horis post ortum solis dicit; tum quia est moderata, et consueta postpositio: tum quia tempus à jure præscriptum magnam latitudinem, teste consuetudine, habet: erit tamen veniale Matutinum sine causa ad vesperum differre, vel ante pran-

» dium sine causa Vesperas, et Completorium dicere: quia
 » hæc est insueta inversio. In Quadragesima autem Vesperæ
 » legi possunt privatim post prandium, eum rubrica Breviarii
 » feriâ quartâ Cinerum non imponat præceptum. *Nav. Sanch.*
 » *Trull. dist. 18. n. 6.*

» Dixi sine causa: quia, si iter, aliave causa urgeat, secun-
 » dùm *Cajet. et alios*, omnes horæ manè dici possunt, usque
 » ad Vesperas inclusivè. Denique ad vitandum mortale, suf-
 » ficit dici omnes à media nocte usque ad alteram mediam
 » noctem, præterquam quòd Matutinum pridie possit anti-
 » cipari » (*Nota hic prop. 33. damnatam ab Alex. VII. di-*
centem: unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto
pro die præsentì, et crastina). » Quòd si intra dictum tempus
 » quis horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenci-
 » tur postmodum dicere; quia sunt onus affixum diei; etsi
 » supplendo possit secundùm quosdam restitutionem subter-
 » fugere, eò quòd rependat æquale. *Molles. t. 3. tr. 2. item*
 » *Major. Palud. Ledesma, etc. apud; Henriq. l. 12. c. 15.*
 » *Bon. d. 1. q. 3. p. 2. n. 5.* ubi dicit, eam sententiam esse
 » probabilem, citatque pro ea *Suar. et Fill.*, sed malè, quia
 » hi loquuntur tantùm de primo medio anno, vel spectato
 » solo jure naturæ, et secluso jure positivo. Expressè autem
 » eam sequitur *Quintan. t. 8. s. 6.* vocatque veriore con-
 » trariam. *Vide etiam Dian. p. 2. t. 11. res. 24.* » (*Sed huic*
opinionì non acquiesco. Vide dicta lib. 4. num. 667. ubi dixi-
mus eum tenèri ad restitutionem.)

173. — Ut quis licitè possit anticipare vel postponere debi-
 tum tempus horarum, sufficit quævis causa utilis vel honesta,
 nimirùm conceio paranda vel audienda, periculum superven-
 ientis occupationis sive laboris, major devotio sive quies,
 tempus aptius ad studendum, et simile. Ita communiter *P.*
Conc. t. 2. p. 487. n. 3. Anac. p. 200. n. 72. Croix l. 4. n.
1513. Less. l. 2. c. 57. n. 79. qui admittit etiam pro causa
 justa amicorum interpellationem. Meritò tamen ait *Conc. l. c.*
 non sufficere ad excusandum solam majorem commoditatem,
 sine alio motivo honesto, contra *Pelliz.*, qui pro se citat
Sanch., sed non benè; nam *Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 36.*
n. 3. id admittit tantùm gratiâ studendi, ut admittunt etiam
Salm. tr. 16. c. 3. p. 3. num. 14.

Tempus horarum incipit à puncto mediæ noctis anteceden-

tis diei, et terminatur ad punctum mediæ noctis diei sequentis. *Conc. t. 2. p. 486. n. 3. Holz. t. 1. p. 446. vers. Dicitur 6. et alii communiter.* Horæ autem parvæ licitè recitantur à tempore auroræ usque ad meridiem, ut *Salm. ibid. n. 13. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 4. v. Dicendum 3. cum communi.* Nona verò potest diei etiã post meridiem, ut ait *Croix l. 4. n. 1312.* imò juxta alios etiã Sexta, ut asserit *Cont. Tournely.* Meritò tamen *Conc. p. 487. n. 4. et Salm. l. c. cum Nav.* rejiciunt opinionem *Molfesii*, et aliorum dicentium posse horas parvas recitari à Vesperis diei antecedentis; hoc enim nullibi est consuetudine receptum. Vesperæ autem dici possunt à meridie usque ad mediam noctem. *Holz. Cont. Tourn. et Croix ll. cc.*

174. — Matutinum hodie ex consuetudine jam præscripta benè potest recitari horâ Vesperarum diei antecedentis, ita communiter *Salmant. cit. num. 13. Croix lib. 4. num. 1314. cum D. Thom. Quodlib. 5. art. 28. ad 1. ubi ait: Quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatem celebrandi, incipit dies à Vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas, et Completorium dicat Matutinas, jam hoc pertinet ad diem sequentem.* Juxta enim ritum veteris legis, ad novam translatus, dies ecclesiasticus et omnia festa à Vesperis incipiebant, ut patet ex *Lev. c. 23. x. 32.* ubi: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

Hic quæritur. I. an possint recitari Matutinum et Laudes horâ secundâ post meridiem?

Prima sententia affirmat et hanc tenent *Sanch. Cons. l. 7. c. 3. d. 57. n. 3. Dian. 4. p. tr. 4. r. 9. et 10. et probabilem* putat *Tamb. l. 2. c. 5. §. 5. num. 5. ac probabilissimam* vocant *Salm. tr. 16. c. 3. p. 5. num. 13. cum Trull. Quintan. Led. Leand. Anton. à Sp. S. Ratio*, quia (ut dicunt) jam in prædicta hora solent Vesperæ recitari; unde cum dies ecclesiasticus incipiat à primis Vesperis, pariter eo tempore Matutinum recitari potest.

Secunda sententia tamen mihi verior (licet olim oppositæ adhæsi) negat, et hanc tenent *Conc. t. 1. p. 487. n. 6. Holz. p. 445. n. 476. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 4. v. Dic. 3. et Croix l. 4. n. 1314. cum Pal. Fill. Comit. et Pell.* qui dicunt non posse recitari Matutinum, nisi cum sol propior sit ad occasum, quàm ad meridiem. Ratio, quia Matutinum, adhuc

juxta hodiernam consuetudinem, non potest recitari, nisi horâ Vesperarum; hora autem Vesperarum, ut communiter traditur, est illa quæ subsequitur horam nonam, quæ est media intra meridiem et occasum; estque diversa pro diversis temporibus; in æstate enim est hora quarta post meridiem, et in hieme non advenit nisi ad minus post duas horas cum quadrante à meridie. Ergò, nisi terminata sit hora nona, et incepta hora Vesperarum, non potest dici Matutinum. Nec valet dicere, quòd Vesperæ recitari soleant duabus horis post meridiem, ex quo fiat, ut jam inceptus sit posterus dies ecclesiasticus. Nam etiam posito quòd Vesperæ tali horâ soleant communiter dici (de quo adhuc dubito, et *Concina* id penitus negat), non rectè necessariò infertur, quòd sit inceptus sequens dies ecclesiasticus; consuetudo enim potuit quidem introducere, ut in illa hora sine culpa dicerentur Vesperæ; sicut licitè recitantur in Quadragesima ante meridiem; sed non potuit introducere, ut hora nona sit vespertina. Id autem quod contrarii supponunt, nempe quòd consuetudo jam introduxerit, sequentem diem ecclesiasticum horâ secundâ post meridiem jam incipere, hoc probandum esset, cum omne factum sit probandum: sed usque dùm id non certè probatur, possidet lex, quæ vetat recitari Matutinum priusquam incipiat dies ecclesiasticus, qui (ut ipsi adversarii fatentur) non incipit nisi ab hora Vesperarum.

Cæterùm impunè potest privatim recitari Matutinum juxta Directorium Romanum, quod tradunt *Cent. Tournely, et Croix ll. cc.* Hinc tabellæ nostrates dicunt sic posse privatim recitari Matutinum et Laudes, videlicet:

A die 1 Jan.	horâ 21 $\frac{1}{4}$.
A die 1 Febr.	horâ 21.
A die 25 Febr.	horâ 20 $\frac{3}{4}$.
A die 17 Martii	horâ 20 $\frac{1}{2}$.
A die 11 April.	horâ 20 $\frac{1}{4}$.
A die 1 Maji	horâ 20.
A die 1 Junii	horâ 19 $\frac{3}{4}$.
A die 13 Julii	horâ 20.
A die 16 Aug.	horâ 20 $\frac{1}{4}$.
A die 6 Sept.	horâ 20 $\frac{1}{2}$.

A die 28 Sept. horâ 20 $\frac{3}{4}$.
 A die 11 Octobr. horâ 21.
 A die 16 Nov. } horâ 21 $\frac{1}{4}$. (1)
 et Dec. }

Quæritur II. An Matutinum defunctorum possit pridie recitari? Quoad recitationem in choro publicam, omninò quidem negandum, ut benè ait *P. Concina t. 2. p. 386. n. 22.* et patet ex infrâ dicendis. Dubium fit quoad recitationem privatam. Adsunt duæ sententiæ :

Prima negat, quam sequuntur *Holz. de hor. can. t. 1. p. 450. n. 476. et Croix l. 6. p. 2. n. 2066.* licèt ipse priùs in *l. 4. n. 4292.* oppositum tenuerat. Citatur etiam pro hac prima sententia *Gavantus*, sed *Gavantus sect. 9. c. 2. n. 16.* videtur loqui de sola recitatione in choro, prout loqui videtur decretum mox afferendum. Hæc sententia nititur decreto *S. C. Rituum edito 1. Septemb. 1607.* in quo (ut refert *Croix l. 6. p. 2. n. 2033. Decr. ibi n. 33.*) sic dicitur : *Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est manè die secundâ Novembris, non verò pridie vesperi.*

Secunda sententia tamen satis probabilis, quam tenent *Tamb. Dec. l. 2. cap. 8. §. 5. n. 7.* item *Leand. Stoz etc. ap. Croix l. 4. n. 1292.* ac probabilem putat *Viva l. c. q. 3.*

(1) Cùm hæc tabella solùm terris Neapolitanis conveniat, utile duximus tabellas ab ipsis dominis *Pet. Collet et La Croix*, quorum prior Parisiis, alter Colonæ Agrippinæ scripsit, juxta Directorium Romanum anno 1706 typis Cæmæ Apostolicæ editum, confectas, et propriis horologiis accommodatas, referre :

Tabella D. Cont. Tournely.

20 Jan.	Horâ 2 cum $\frac{1}{4}$
13 Feb.	Horâ 2 cum $\frac{1}{2}$
1 Martii.	Horâ 2 cum $\frac{3}{4}$
18 Martii.	Horâ 3
4 April.	Horâ 3 cum $\frac{1}{4}$
20 April.	Horâ 3 cum $\frac{1}{2}$
10 Maii.	Horâ 3 cum $\frac{3}{4}$
8 Junii.	Horâ 4
30 Julii.	Horâ 3 cum $\frac{3}{4}$
28 August.	Horâ 3 cum $\frac{1}{2}$
7 Septemb.	Horâ 3 cum $\frac{1}{4}$
24 Septemb.	Horâ 3
13 Octob.	Horâ 2 cum $\frac{3}{4}$
20 Octob.	Horâ 2 cum $\frac{1}{2}$
18 Novemb.	Horâ 2 cum $\frac{1}{4}$
15 Decemb.	Horâ 2

Tabella D. La Croix.

20 Jan.	Horâ 2 cum $\frac{1}{4}$
13 Feb.	Horâ 2 cum $\frac{1}{2}$
1 Martii.	Horâ 2 cum $\frac{3}{4}$
18 Martii.	Horâ 3
4 April.	Horâ 3 cum $\frac{1}{4}$
20 April.	Horâ 3 cum $\frac{1}{2}$
10 Maii.	Horâ 3 cum $\frac{3}{4}$
8 Junii.	Horâ 4
1 August.	Horâ 3 cum $\frac{3}{4}$
21 August.	Horâ 3 cum $\frac{1}{2}$
7 Septemb.	Horâ 3 cum $\frac{1}{4}$
24 Septemb.	Horâ 3
11 Octob.	Horâ 2 cum $\frac{3}{4}$
20 Octob.	Horâ 2 cum $\frac{1}{2}$
18 Novemb.	Horâ 2 cum $\frac{1}{4}$
15 Decemb.	Horâ 2

Edit.

affirmat; cum enim Rubrica dicat: *Dicto Benedicamus Domino, absolute incipit Matutinum defunctorum*: probabiliter inferitur, quod sicut pridie undique ex consuetudine permittitur privatè recitare Matutinum diei sequentis, ita etiam Matutinum defunctorum. Ad decretum autem oppositum non immeritò respondet *Tamb.* illud intelligi tantum pro choro, cum ibi S. Cong. prohibeat pridie Matutinum cantari, quo verbo videtur prohiberi dumtaxat publica recitatio, non autem privata. Et reverà decretum relatum, ut habetur apud *Merati consultorem S. C. Rit. in Addit. ad Gav. t. 2. p. 651. Decr. n. 28.* (diversè ab eo quod affert *Croix*, ut supra) sic loquitur: *Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie vesperi in festo omnium Sanctorum, sed recitari manè die secundà Novembris post Laudes diei, die 1. Septemb. 1607.* Alterum simile decretum habetur apud eundem *Merati l. c. p. 650. num. 7.* priùs editum die 23 Maji 1603. ubi pariter vetatur Matutinum cantari. Aliud simile affertur *decr. n. 220.* ubi expressa fit mentio de choro: *Matutinum diei commemorationis omnium fidelium defunctorum non potest recitari in choro in die festivitatis omnium Sanctorum post Completorium, sed servandæ sunt Rubricæ, die 22. Jan. 1701.* Certum est autem Rubricas præcipere, ut in choro manè ipsius diei recitetur Matutinum, non autem vesperi diei antecedentis.

Quæritur III. An autem is, qui recitat vesperi Matutinum cum Laudibus, possit etiam recitare litanias. Affirmant *Gavantus sect. 6. c. 16. num. 6. et Arnaud. ac Lohn. apud Croix l. 4. n. 1292.* et hanc sententiam olim tenuit *Gobatus tr. 5. n. 615.* Ratio, quia rubrica conjungit litanias cum Laudibus in quibus idè omittitur versiculus *Fidelium animæ*, et apponitur in fine litaniarum, ut habetur ex *Rubr. tit. 30. n. 3.* Ergò, cum faciant quid unum litanie cum Matutino, accessorium sequitur principale. Sed contrarium communius, et verius sentiunt *Viva, Tamb. Holzm. Croix ll. cc. in q. præc. et Merati l. supra cit. pag. 467. num. 5. cum Stoz, Holden, et Guyeto*: hancque sententiam *Gobatus* in posteriore editione *tract. 5. num. 616.* probabiliorem vocavit. Ratio, quia verum non est, quod litanie jungantur cum Matutino, sed sunt quid distinctum: et hoc patet 1. ex eo quod ipsæ possunt dividi, et de facto separantur, præcipuè in iis Ecclesiis, ubi

litaniam dicuntur vesperi : patet 2. quia illae recitantur loco assistentiae ad processionem, quae assistentia ipsis diebus naturalibus est affixa, et ideo si officium S. Marci transferatur, non transferuntur litaniae, ut praescribitur in *Rubr. tit. 30. num. 3.* Obiter hic notandum cum *Salm. de hor. can. c. 3. p. 3. n. 17. Viva a. 3. n. 3. et communi*, non esse audiendos *Leandrum*, et alios dicentes, quod liceat incipere officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis, et illud prosecui post mediam noctem; tunc enim jam transactum est tempus ad officium praefinitum; nam officium, cum sit pensum diurnum, cum die omnino terminatur.

175. — « VII. Ut devotè, et cum attentione interna, virtuali » saltem, recitentur, sive ea ad Deum sit, sive ad sensum » verborum, sive (ut ait *Caj.*) ad verba solum. Quam postre- » mam sufficere, rectè notat *Less.* supposito tamen animo » orandi, et vacandi Deo. Unde attentionem confusam » (*sive generalem, ut Salm. ib. p. 5. n. 25. in med. cum DD. cit.*) » saltem ad Deum, attentio ad verba includit, cum alioqui » attentio praecise ad sola verba nihil ab externa attentione » differre videatur. Ita communiter, contra *Nav. Sylv. et » Con.* qui nullam attentionem internam requirunt, sed tan- » tum externam, quae excludat omnem actionem incompos- » sibilem cum attentione interna, licet animo voluntarie in- » terea distraharis. Quae sententia, secundum *Laym. et Less.*, » non est improbabilis, et utilis tum scrupulosis, tum con- » fessariis, ne beneficiatis sine attentione horas recitantibus » imperent restitutionem fructuum; partim ob Doctorum » auctoritatem, partim quod hoc praecocepto tantum materia- » les quaedam preces, earumque externa pronuntiatio (per » quam, sicut per hymnos organo cantatos, à Deo aliquid » Ecclesia potest impetrare) praecipere videantur; devotio verò » tanquam finis praecocepti extrinsecus ad ejus substantiam non » pertineat. Verum nostra sententia est communior, et pro- » babilior. Et probatur; sine attentione enim interna nulla » est oratio, ergo hoc ipso, quod sub mortali ad orationem » obligaris, sub mortali item ad aliquam attentionem ex praeco- » dictis obligaberis. Nec refert, quod Ecclesia non possit per » se actus internos praecipere; potest enim eos praecipere, ut » sunt necessarii ad actus externos debite praestandos, ut sunt » actus virtutis: quo modo, cum possit praecipere confessio-

» nem, potest etiam contritionem. Dixi, cum attentione in-
 » terna virtuali saltem: etsi enim melior sit actualis, sufficit
 » tamen virtualis: quam Bon. et alii communiter dicunt ma-
 » nere ex actuali, quamdiu non revocatur expressè, vel tacitè
 » per distractionem voluntariam, vel actionem cum debità
 » attentione impossibilem. Unde licèt involuntariè distra-
 » haris, virtualiter tamen attendis: 1. Si in genere intenderis
 » officium dicere modo consueto, vel animo laudandi Deum,
 » vel satisfaciendi tuo muneri. 2. Si cum confusa aliqua ap-
 » prehensione, et proposito opus consuetum faciendi recites.
 » Vide Bon. d. 1. q. 3. p. 5.

Ex dictis resolves:

« 1. Is, qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid
 » omiserit, si probabilem conjecturam habeat se dixisse, vel
 » quia proposuit initio attendere, vel quia se reperit in fine,
 » v. gr. psalmi, præsumere potest se dixisse, si ex libro,
 » vel memoria, cæteroque non errare solita, dixit » (*Idem*
Salm. tr. 16. c. 5. p. 5. n. 12. cum Sanch. Trull. Pal. etc.
Scrupulosos autem dicunt obligandos esse ad non repetendum
in dubio. Salm. ibid. cum AA. cit. Quoad cæteros autem ajunt
quemquam habentem justam conjecturam, quòd dixerit, non
*teneri aliquid repetere, nisi sciat se non dixisse): « proinde-
 » que meliùs erit, si non repetat, ad vitandas anxias consue-
 » tudines, et scrupulos, et ut totum officium sine perturba-
 » tione decurratur. Ita *Binsfeld. c. 11. d. 13. Laym. c. 5.**

« 2. Qui spontè distractus nullam harum attentionum ha-
 » buit, graviter peccavit, teneturque secundùm sententiam
 » communem horas repetere; nec fructus facit suos, quia
 » non fecit opus præceptum, quod erat, ut devotè oraret.
 » *Sot. Navar. Reg. Fern. Suar. Bon. et Trull. l. 1. c. 7. d.*
 » *17. n. 6.* ubi ex *Nav.* addit non excusari à mortali cum,
 » qui recitationem horarum ita differt, vel ita se componit,
 » ut advertat se somno præoccupandum, v. gr. si Completo-
 » rium vesperi reservet dicendum in lecto, sciens se tunc in
 » co somno solère obrui. Quidam tamen Doctores paulò antè
 » citati negant eo casu necessariam esse repetitionem, eò quòd
 » substantia operis sit impleta, absque circumstantià devotio-
 » nis. Multòque magis, ac probabiliùs iidem negant obliga-
 » tionem restitutionis; eò quòd ad illam tantùm teneantur,

• qui officium omiserunt, non qui distractè dixerunt. Vide
 • *Bon. l. c. Less. Laym. et Dian. tr. de horis, r. 1. et 2. Es-*
 • *cob. t. 5. e. 4. c. 3. n. 62.* » (*Vide l. 4. n. 669.*)

« 3. Cum recitatione officii conjungere actiones, quæ no-
 • tabiliter non impediunt, v. gr. induendi, abluendi, veniale
 » est, si fiat sine causa; aliàs nullum. *Escob. loc. cit. c. 7.*
 » Qui verò advertenter occupat se in aliqua re incompos-
 » sibili cum attentione interna. v. g. in scriptione, et le-
 » tione, etc. » (*Sive si attendat ad spectacula, vel ad fabula-*
tionem. Pal. Bon. Suar. etc. cum Salm. tr. 16. c. 3. p. 3. n.
25. in fin.) « graviter peccat, et præcepto non satisfacit; atque
 » adeo tenetur repetere. *Nav. Suar. Bon. Trull. n. 7.* »

176. — Ad officium igitur persolvendum requiritur *intentio*
 et *attentio*. Circa *intentionem*, certum est non requiri inten-
 tionem actualem explicitam, sed sufficere virtualem implici-
 tam, nimirum si de more Breviarium accipias, ut officium
 impleas, uti soles, ut communiter docent *Sanch. c. 1. dub.*
28. cum Nav. Conc. t. 2. p. 464. n. 2. Cont. Tourn. de hor.
can. sect. 6. in medio. Bon. p. 2. §. 2. num. 22. Croix l. 4.
n. 1526. Anacl. p. 195. n. 41. et alii passim. Imò rectè addit
Croix n. 1529. non esse opus renovare intentionem ad singulas
 horas, etsi aliqua interruptio intercedat, etiam sine causa;
 quia illa resumptio fit ex prima intentione: imò puto semper
 adesse exercitè intentionem actualem implendi officium. Du-
 bitatur autem, an satisfaciatur officio, qui recitat sine inten-
 tione implendi? Negat probabiliter *Conc. l. c. n. 5. cum Nav.*
Azor. Sylv. Prado, Med. Led. Rodriq. etc. Ratio, quia ad
 implenda præcepta requiritur necessariò intentio implendi;
 si enim tu deberes alteri centum, et conscius debiti centum
 illi dones, certè non liberaris à debito. Sed probabilius affir-
 mant *Suarez in 3. p. d. 88. sect. 3.* (licèt ab aliquo citetur
 in contrarium) *Pal. tr. 7. d. 2. p. 3. Sanch. dec. t. 1. l. 1.*
c. 15. n. 16. Less. c. 37. n. 59. Croix n. 1530. cum commu-
rissima, Cont. Tourn. loc. cit. cum Vasq. Val. et Pontas,
Salmant. de horis can. c. 3. p. 3. n. 24. cum Trull. Tamb. Pelliz.
Garc. Henr. etc. Licèt enim utique is peccaret ob voluntatem
 non implendi præceptum, jam tamen actu satisfacit. Ratio,
 quia qui spontè implet opus præceptum, verè exequitur id
 quod à superiore præcipitur; ad implendum enim præceptum
 non requiritur, ut quis habeat animum implendi, sed suffi-

cit, ut actu præceptum ponat. Nec obstat paritas adducta, nam respondetur cum *P. Suarez*, quòd ibi, cùm obligatio pendeat à voluntate propria, benè potest debitor illam de novo sibi imponere, et non obstante solutione debiti, remanère obligatus; at cùm obligatio officii pendeat à voluntate Ecclesiæ, non potest clericus eam spontè sibi imponere, quapropter dùm illam implet, nequit velle non implère.

Circa autem *attentionem*, hæc potest esse externa, et interna: *Externa* habetur, cùm non ponitur actio impossibilis cum attentione interiori, ut esset fabulari, scribere, attentè audire alios loquentes, celeriter se vestire, magnà applicatione aliquid agere: secùs, ait *Croix l. 4. n. 1356.* si actio non exigit magnam animi curam, et si sit aliqua difficultas attendendi cum tali actione, potest compensari per majorem curam attendendi. E conversò benè satisfacit, qui ponit actionem satis compatibilem cum attentione interna, ut esset ambulare, se lavare, induere non omninò properanter (cùm sacerdotes imò teneantur orare, dùm se induunt sacris vestibus); item colligere herbas, flores, aut uvas, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, etc.; ita communiter cum *Bus. Bonac. d. 2. p. 2. §. 2. n. 12. cum Nav. Suar. Fill. etc. Cont. Tourn. de hor. can. sect. 6. v. Quæritur 1. Conc. t. 2. p. 460. n. 7. Croix n. 1357. cum Nav. et Gob.* Idem ait *Sanch. ib.* de similibus actionibus, quæ non fiunt valde festinanter. Non permittit autem *Croix l. c.* aptare calamum ad scribendum, sed non immeritò id permittunt *ibid. Nav. Caj. et Beja*, si recitans possit in eo retinère attentionem: rectè enim advertit *Bonac. l. c.* quòd aliquæ actiones respectu alicujus fortè sunt distractivæ, respectu alterius non. Communiter autem permittitur inter recitandum facere necessaria ad ipsam recitationem, ut perquirere psalmos, lectiones, etc. dùm recitas memoriter, ut *Croix l. c. cum Sanch. Nav. Sylv. et Gob.* Sic pariter satisfacis, si recitas, dùm alii fabulantur, canunt, etc., modò his seriò animum non applices, ut ait *Croix n. 1338.* Item notant *Sotus, Nav. Tolet. Val. Diana, et Gob. apud eundem Croix n. 1339.* quòd si exerceas aliquam actionem externam, et non advertas per illam impediri internam, non tenèris postea repetere: hoc tamen intelligendum, si actio de se sit compossibilis cum attentione interna. Præterea notant *Palaus d. 2. p. 4. n. 7.*

et Bonac. d. 1. q. 3. p. 3. n. 6. cum aliis communiter apud Croix l. c. non excusari saltem à culpa veniali, qui sine aliqua necessitate officium diceret in loco distractioni exposito, ut in foro, platea: imò addit Bonac. cum Nav. Suar. Molfes. etc. ex concil. Basileënsi sess. 21. hunc periculo se exponero non satisfaciendi præcepto: nisi is (adderem) magno conatu mentem applicet ad recitationem. Probabilissimè autem satisfacit, qui recitat dum missam audit. Conc. t. 2. p. 462. n. 10. cum Bus. Suar. Pal. et communissima. Vide l. 4. n. 309. Si quis autem vexetur à somno, sed adeò resistit, ut pronuntiet suam partem, et distinctè audiat versiculos alterius partis, benè satisfacit, ut Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 53. n. 1. cum Nav. et Leand. p. 2. q. 14. cum pluribus theologis. Ait tamen Sanch. cum eod. Nav. non excusari à veniali: modò (intelligendum) possit recitationem differre ad tempus opportunius.

Attentio autem interna habetur, cum attenditur ad verba, ad sensum, et ad Deum. Attentio ad Deum est quidem omnibus perfectior, nimirum cum mens elevatur ad Deum, meditando v. gr. divinam bonitatem, justitiam, etc. aut mysteria Passionis, ut Conc. p. 437. n. 3. Cont. Tourn. l. c. versus fin. et Salm. tr. 16. c. 5. p. 3. n. 25. Croix l. 4. n. 1333. cum communi. Sicut gesta B. Virginis Mariæ, aut Sanctorum (ut ajunt Concina, et Croix), quia hæc proximam habent relationem ad Deum. Ad eam reduci etiam examen conscientie dicunt Salm. ibid. Sed huic non acquiesco. Attentio ad sensum habetur, cum attenditur ad percipiendam intelligentiam verborum. Attentio tandem ad verba est, cum attenditur ad rectè illa proferenda, ne error fiat mutilando, transponendo, etc. Et hæc quidem, licet sit omnibus inferior, tamen benè sufficit, ut dicunt Less. c. 57. n. 69. et 70. Salm. cit. n. 25. Anacl. p. 195. n. 42. Croix l. 4. n. 1344. Holzm. pag. 218. n. 270. Laym. c. 3. n. 9. et alii communiter: quidquid dicat Cont. Tourn. qui ait cum attentione ad verba requiri etiam attentionem ad Deum; sed meliùs dicunt Laym. et Salm. sufficere attentionem ad verba unà cum intentione generali colendi Deum: idque clarè docet D. Th. 4. dist. 15. q. 4. sol. 3. ubi dicit: Primò est attentio ad verba quibus petimus, deinde ad petitionem ipsam... Et quæcumque earum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio; unde etiam illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti

esse possunt. Rectèque addit *Croix d. n. 1544.* non requiri attentionem ad singula verba, sed sufficere moralem et generalem, quâ quis curet benè omnia dicere cum intentione orandi.

177. — Quæritur I. An attentio interna sit necessaria ad implendam rationem divini officii? Adest triplex sententia :

Prima communior et probabilior affirmat omninò requiri, eamque tenent *Sanch. Cons. t. 2. l. 7. c. 2. d. 28. Sotus l. 10. q. 5. concl. 6. Caj. in 2. 2. q. 83. a. 13. Sa, v. Horæ, num. 49. Azor. p. 1. l. 10. c. 16. q. 6. Ronc. c. 9. Wigandt tract. 40. ex. 5. q. 7. Anacl. de hor. can. p. 195. n. 43. P. Conc. t. 2. p. 443. n. 26.* qui fusè et perdoctè hanc sententiam tueretur cum *Navar. Gav. Val. Mald. Led. Med. et aliis innumeris.* Diversè autem auctores hanc primam sententiam probant ex *c. Dolentes, de celeb. miss.* sed ex hoc textu, sapienter ait *Conc. cum Suar.* non benè hanc sententiam probari. Ibi enim nullum fit verbum de attentione interna, sed tantùm præcipitur externa, opposita colloquiis ecclesiasticorum cum laicis in choro, quæ colloquia causam dederant constructioni hujus canonis : unde Pontifex præcepit, quòd recitantes officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, et devotè. Et hunc canonem explicans *S. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7.* dixit : *Præcipimus, ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas; intentionem et devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum : et hunc intellectum teneas, quia benigniorem, et quia non debet Ecclesia alicui laqueum injicere.* Alii probant ex prop. 14. damnata ab *Alexandro VII.* quæ dicebat : *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Ergò (inferunt) benè potest Ecclesia actus internos præcipere. Sed neque præfata sententia hæc ratione satis probatur, nam sic non probatur Ecclesia præcipere actus internos, sed tantùm præcipere confessionem validam, sicut Christus præcepit. Ratio igitur potior est, quia sine attentione interna non constituitur oratio, quæ universè definitur : *Elevatio mentis ad Deum.* Unde, quamvis Ecclesia non imposuerit speciale præceptum positivum attentionis internæ, tamen præcipiendo recitationem officii per modum orationis ad Deum eolendum, veram præcepit orationem, quæ sine attentione interna non est vera oratio ; nec Deus colitur per solam recitationem exter-

nam ab iis, qui voluntariè se distrahunt; imò Deus de his conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Matth. c. 15. x. 8.* Et è converso in *Joan. c. 4. x. 23.* dicitur: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

Secunda sententia, quam tenent *Salm. tr. 16. cap. 3. p. 5. n. 31.* quærit conciliare prædictam primam sententiam cum tertia, quæ tenet (ut infrà dicemus) non requiri attentionem internam; et dicit quòd, posito ex una parte quòd attentio ad sola verba sufficiat ad satisfaciendum officio; et posito ex alia quòd omninò requiratur ad rectam recitationem attentio saltem ad verba cum animo (generali saltem seu confusè) Deum colendi, jam orabit qui tali modo ad verba attendet, cum non sit impossibile aliquem ad alia distrahi, et simul attendere ad verba rectè proferenda: unde is benè satisfacièt semper ac per contrariam voluntatem non retractabit propositum attendendi: sed juxta primam sententiam, quæ requirit attentionem formalem et explicitam, meritò dicit *P. Concina*, quòd qui voluntariè se distrahit, minimè potest attendere ad rectam prolationem verborum; vel ejus attentio erit adeo tenuis, ut nequaquam pertingat ad debitam attentionis rationem.

Tertia sententia tenet ad satisfaciendum substantialiter præcepto officii, non requiri attentionem internam, sed sufficere intentionem recitandi cum attentione extèrna; hanc tueantur *Lugo de Euch. d. 22. n. 25. cum Palud. Ang. Med. Durando, Rosell. item Coninch. de Sacr. 3. p. q. 83. n. 291. Sylvester, v. Missa. Ang. v. Horæ num. 17. Machad. tr. 21. docum. 5. Gob. tract. 5. n. 821. q. 5. Croix l. 4. n. 1542. Tamb. l. 4. c. 2. §. 1. n. 19. Elbel t. 2. pag. 541. n. 405. et probabilem vocant Less. l. 2. c. 57. n. 63. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. Sporer de Sacram. n. 75. Pelliz. tom. 2. tr. 10. c. 6. num. 17. Viva de rest. q. 7. a. 9. n. 6. P. Zachar. l. 4. n. 1541. et 1542. et alii plures, et hanc quoque expressè tenet *D. Anton.*, ut infrà afferetur. Ratio 1. quia oratio, ut definitur à *Damascono l. 3. Fid. orth. c. 24. et à D. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 1. n. 1.* est *petitio decentium à Deo*: non repugnat autem posse à nobis Deo repræsentari nostras petitiones etiam cum actuali mentis evagatione; sicut si quis recitaret coram rege orationem compositam ad aliquam gratiam impetrandam,*

certè quidem oraret, illam coram rege recitando, etiamsi esset tunc ad alia mente distractus; sic etiam recitans officium, non obstante internâ et voluntariâ distractione, adhuc potest Deum orare; attentio enim externa conjuncta cum intentione recitandi efficit, ut recitatio horarum fiat quoad substantiam vera oratio. Et ita non potest negari tenuisse *D. Antoninum l. suprâ cit.* in explicando textum in *c. Dolentes*. Verba *S. Doctoris* opus est hic repetere: *Præcipimus, ut unusquisque die ac nocte dicat horas suas; intentionem, et devotionem in præcepto non ponimus, sed gratiæ Dei, secundum quod ipse dare voluerit, duximus relinquendum. Et hunc intellectum teneas, quia benigniorem, et quia non debet Ecclesia alicui laqueum injicere.* Ex quibus verbis patet, quòd Sanctus non tantum expressit textum intelligendum de solâ externa attentione, sed ex ratione generaliter adducta, etiam probare intendit Ecclesiam non requirere attentionem internam. Immò *D. Ant.* non solum asseruit Ecclesiam hanc attentionem internam non præcipere, sed deinde *eod. loc. §. 8.* docuit nec etiam posse præcipere; ibi enim post relatam doctrinam *D. Thomæ*, quòd attentio in oratione semper debeat manere secundum sui virtutem, sic subdit: *Non tamen requiritur quòd intentio comitetur actualiter totam orationem.... requiritur tamen quòd orans scienter non distrahat mentem ab oratione; hoc enim non potest esse sine culpa mortali vel veniali.* Deinde explicat, quòd recitans tunc peccaret mortaliter, quando per contemptum internæ attentionis voluntariè se distraheret, vel quando recitaret cum externa quoque distractione. En ejus verba: *Sed si evagatio est advertenter, et solum secundum actum interiorem, licet temeraria et gravis foret, non tamen mortalis, nisi per contemptum, quia Ecclesia non habet judicare de actibus merè interioribus, propter quod minister Ecclesiæ, licet dicendo orationem cogitet aliud, non videtur transgressor præcepti ex natura facti. Si autem evagatio mentis sit ex hoc quòd aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiat attentionem, videtur esse mortalis, et directè contra præceptum Ecclesiæ, de celeb. miss. c. Dolentes, ubi præcipitur quòd officium celebretur studiosè pariter et devotè. Hoc non observant, qui occupantes se in actu exteriori scienter sibi attentionem subtrahunt.* Ergo procul dubio supponit *S. Anton.*, attentionem internam ne-

quo ab Ecclesia esse præceptam, neque esse de essentia orationis : sed sufficere attentionem externam unâ cum intentione priùs habita orandi ; nam aliàs, si attentio interna esset de essentia orationis, illam Ecclesia non solum potuisset, sed etiam debuisset præcipere.

Et pro hac sententia clarè videtur esse idem S. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. solut. 4 ad 4. q. ubi primâ fronte videtur stare pro sententia opposita, cùm dicat : *Dicendum, quòd attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad evitandam transgressionem in illa oratione, quòd est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto.* Attamen inferiùs ad 2. explicat, quòd illa attentio actualis, omninò requisita ad orationem, intelligitur de sola attentione externa, en ejus verba : *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, tunc enim sine culpa non est, præcipuè si in aliis spontè se occupat quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera : et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* Ubi nota S. Doctorem utique distinguere culpam in voluntaria distractione interna, quam ait non esse sine culpa (nempe veniali), ab illa culpa quæ est in distractione externa impossibili cum interna attentione, hancque culpam dicit esse mortalem. Et ita in hunc locum D. Th. exponit S. Antonin. l. c. dicens : *Unde S. Thomas (4. p. dist. 15.) dicit ibi quòd in oratione, si in aliis spontè se quis occupat in his quæ mentem distrahunt, sicut sunt opera exteriora, et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit : exponit idem Petrus, et dicit quòd loquendo de oratione, quæ est præcepti humani, illud verbum contrarium non refertur ad orationem, quia bona opera exteriora non sunt contraria orationi, sed est referendum ad attentionem, quando scilicet se exteriùs occupat circa aliquid impossibile attentioni orationis.* Ergò (sicut S. Antoninus explicat) Angelicus supponit tunc tantùm deesse orationem, quando apponitur distractio externa per opus impossibile cum attentione interna, dum tunc solum in transgressionem orationis præceptæ culpam mortalem agnoscit.

Ratio 2. quia, si attentio interna necessariò requireretur ad essentiam orationis, ille qui involuntariè distrahitur, nec etiam officio satisfaceret. Certum autem est apud omnes, quòd per distractionem involuntariam minimè impeditur impletio

præcepti recitandi officium ex *D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3.* ubi docet : *Evagatio mentis, quæ fit præter propositum, fructum non tollit.* Hoc concedunt adhuc auctores primæ sententiæ, sed dicunt quòd ille qui sponte se distrahit, actu revocat primam attentionem, et idèò non satisfacit, cùm ampliùs non oret; qui verò involuntariè distrahitur, manet virtualiter attentus, et propterea orat, et satisfacit. Ego tamen fateor imbecillitatem meam, numquam potuisse intelligere, quomodo possit attentio virtualiter permanere in eo qui distrahitur, licèt involuntariè? Benè quidem intelligo, quòd intentio, cùm pertineat ad voluntatem, quando semel est habita, at non retractatur, virtualiter perseverat in affectu, seu in mediis susceptis, quia hæc media ex illa intentione procedunt: non intelligo autem, quomodo potest dici virtualiter attentus orationi, qui mentem alibi habet occupatam: rectè dicetur, quòd hic involuntariè distractus post intentionem habitam attendendi, et non retractatam, velit attendere; sed non poterit dici, quòd attendat, quando alibi est omninò evagatus; sicut enim repugnat dici virtualiter intelligere, quod legit, eum qui actu non intelligit, licèt habuisset intentionem intelligendi; ita repugnat dici virtualiter attendere, qui actu non attendit. Unde benè concludit *Lugo n. 39.* quòd si ad orationem requireretur attentio interna, is qui esset involuntariè distractus non effectivè, sed tantùm affectivè oraret. In tantùm igitur dicit hunc verè orare, in quantum intentionem internam priùs habitam orandi conjungit cum externa attentione.

Ratio 3. quia sacerdos conferens Extremam Unctionem (cujus forma est deprecatoria) cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, etsi actu mentem divertat, validè confert; ergò sine attentione interna benè stare potest oratio. Ad hanc difficilem objectionem diversè respondent fautores primæ sententiæ. Alii aptud *Concinam* dicunt, quòd eo casu invalidè sacramentum conferretur, quia tunc sacerdos nullam haberet intentionem, nec attentionem; cùm enim quis aliò mentem distrahit, utramque actu tractat. Sed hæc responsio nimis debilis videtur, quia ad rationem universalem sacramentorum exigitur sola prolatio formæ super debitam materiam à ministro habente potestatem, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, juxta illud celebre dictum *D. August. tr. 80 in*

Jean. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Et magis patet ex conc. Florent. in decreto fidei Eugen. IV. §. V. ubi fuit sancitum: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et personâ ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Unde, cum hæc omnia concurrant, debet dici, ministrum verba formæ proferentem cum debita intentione in Extrema Unctione, sacramentum utique validum facere. Aliter respondet *P. Concina*, et ait, quod in sacramentis Deus elevat verba ministri, quæcumque ille perversam habeat intentionem, ad gratiam conferendam; sed huic opponit *Lugo n. 30.* quod, si attentio esset de essentia orationis, hæc ablatâ, deesset oratio, et consequenter evanesceret forma sacramenti Extremæ Unctionis, quæ est deprecatoria. Replicat *Concina*, quod eo casu, licet destruat oratio moralis, remanet tamen physica, scil. illa externa verborum prolatio, quam ex sententia aliquorum asserit sufficere: ad implendam autem obligationem officii, dicit requiri, ut oratio sit moralis; et ut oratio moralis sit, exigit essentialem attentionem. Sed huic respondetur 1. sententiam præfatam illorum improbabilem esse, ut probabimus l. 6. n. 23. ubi dicimus, omninò requiri ad valorem sacramentorum, ut minister saltem intendat facere quod facit Ecclesia. Respondetur 2. et petitur: Estne attentio de essentia orationis genericè sumpta, vel tantùm orationis moralis? Si dicis, est de essentia orationis moralis, non autem physicæ, conceditur, quia talis oratio non esset meritoria; at esset satisfactoria, cum esset vera oratio; ergò recitans officium voluntariè distractus, careret quidem merito, sed jam satisfaceret, cum Ecclesia præcipiat absolutè orationem; non autem orationem meritoriam, saltem non constat hanc præcipere. Si verò dicis, quod attentio est de essentia cujuscumque orationis, debet concedi orationem sine attentione neque moraliter, neque physicè posse dici orationem; attentio enim, si est de essentia cujuscumque orationis, oratio sine attentione erit mera prolatio verborum, non autem oratio, neque moralis, neque physica, cum deficiat constitutivum orationis. Quapropter cum de essentia formæ sacramenti Extremæ Unctionis requiratur, ut sit deprecatoria, juxta illud *S. Jacobi*, quod *Presbyteri orent super infirmum*, Sacramentum crit nullum, si formam sacra-

dos proferret sine attentione; etenim posito, quòd forma hujus sacramenti debet esse vera oratio, et oratio sine attentione non est oratio, non potest Deus elevare ad conferendam gratiam sacramenti, nisi formam aptam, qualis non esset illa mera prolatio verborum; licèt enim possit efficere Deus, quòd res non apta ad producendum aliquem effectum, illud producat, non potest tamen efficere, quòd sit oratio illa, quæ non est oratio.

His tamen non obstantibus, prima sententia probabilior videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omninò ut tutior consulenda; sed secunda tum ob doctorum auctoritatem, quæ non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet; saltem quia non constat adesse præceptum de attentione interna in recitatione divini officii. Unde non auderem ad restitutionem damnare beneficiarium, qui bonâ fide officium recitasset cum distractione voluntaria, et bonâ fide pariter fructus percepisset, prout ab ea excusat *Croix l. 4. n. 1215. et apud ipsum Sotus, Tolet. Azor. B. Med. Garcia, Gobat. etc. Vide dicta l. 4. n. 669.*

Cæterùm ad scrupulos abjiciendos, et ad animum levandum horas recitantium, valde refert hic advertere id quod communiter DD. adhuc primæ sententiæ fautores docent, nempe, quòd ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur, ut voluntariè se distrahat, sed etiam ut plene advertat, se distrahi; nam aliàs iste, licèt sponte se divertat, non tamen sponte se divertit à recitatione. Ita *Sanch. c. 4. dub. 28. n. 10: et 11. cum Suar. Nav. Soto, et Arm. Conc. p. 451. Croix l. 4. n. 1346. cum Fill. Gob. et Salm. tr. 16. c. 3. p. 5. n. 26. et Cajet. Summa, v. Hora, ubi ait: Si quis advertit se cogitare extranea, sed non advertit quòd ab officio divino distrahatur; quamvis voluntariè illa meditetur, non tamen voluntariè ab officio animus distrahitur.* Benè enim ait *Conc.*, has distractiones esse hominibus impossibile omnes vitare, maximè studiosis, quia hujusmodi exercitia sunt intellectûs, qui, cum sit necessaria facultas, ex assiduis occupationibus ita inflectitur, ut veluti calcaribus adjectis in suas controversias abjiciatur. Hinc notant *Sanch. n. 13. Salm. ibid. cum Nav. Caj. et Croix n. 1346. et alii communiter*, quòd si quis advertens se distrahi, habeat mediocrem diligentiam ad atten-

dendum, nullo modo peccat. Additque *Sanch. n. 10. cum Gers. Margar. et pluribus aliis*, non oportere, ut homo semper tota conetur sollicitudine, quin tolerari possit aliqua divagatio ad caput refocillandum.

Dictum est, ut plenè advertat, quia licet recitans semi-plenè adverteret ad distractionem, et venialiter peccaret, adhuc tamen substantialiter officio satisfaceret, cum prima attentio sive intentio attendendi semper perseveret, donec cum plena advertentia non revocetur; intentio enim cum plena deliberatione prius concepta non desinit existere, nisi cum alia plenà advertentià retractatur. Ita *Sanch. Salm. Croix, et Conc. ll. cc.* Unde infert *Sanch. n. 14. cum Nav. et aliis*, quòd tunc recitans graviter peccaret, juxta sensum primæ sententiæ, quando ex contemptu, vel industria se diverteret: *Quamdiu ergò (sic concludit Cajet. loco citato) eis non constiterit evidenter se mutasse propositum, vel advertendo et sciendo circa alia vagatos fuisse, credere possunt suæ obligationi satisfacisse*: subditque *Croix cum Nav.* quòd non rectè faciunt, qui se occupant in cogitando, an advertant, nec ne; nam hoc ipsum est distrahi.

Remedia autem opportuniore ad repellendas animi distractiones sunt: I. Sub initium formare intentionem Deum laudandi. II. Renovare intentionem ad *Gloria Patri*, vel in principio cujuscumque psalmi. III. Mysterium aliquod passionis sibi representare. IV. Sensus sedulò custodire, et alia hujusmodi, quæ videri possunt apud *Anacl. et Elbel ll. cc.*

Pro scrupulosis verò advertit *Croix lib. 4. num. 1330. et 1331.* eos nihil tenèri ad repetendum, nisi certi sint mutasse intentionem orandi. Additque *Gob. ib. n. 1334.* quòd si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, cum magnum incommodum excuset per se à præceptis Ecclesiæ.

178. — Quæritur hic II. An mortaliter peccet, qui recitat horas existens in peccato mortali? *Adrianus apud Sanch. l. 7. c. 2. dub. 9.* absolutè affirmat, quia exercet actum ordinis; licet dicat satisfacere præcepto. Alii, ut *Medina, et Ledesma ap. eundem Sanch.* dicunt tunc peccare mortaliter, quando habet actuale propositum peccandi; quia tunc irrogat Deo magnam irreverentiam, cum eodem tempore, quo petit bene-

ficiam à Deo, intendat illum offendere. *Cont. Tourn. autem de hor. can. sect. 6. in fine*, censet, quòd si recitans habet desiderium exeundi à peccato, tunc jam piè orat, et satisfacit officio; si verò habet actuale propositum peccandi, ad minus ait dubium esse an satisfaciat, cùm dubitetur an verè oret. Verior tamen et communior sententia est, quòd iste satisfacit, et non peccat mortaliter, ut sentiunt *Sanchez num. 3. cum Navarr. et Croix lib. 4. num. 1348. cum Corduba*. Ratio, quia ex una parte recitatio officii non est actus ordinis sacri, quamvis imponatur constitutis in sacris: ex alia quamvis iste nihil sibi impetret, cùm tamen oret nomine Ecclesiæ, benè potest obtinere pro aliis. Quòd autem oret nomine Ecclesiæ cum proposito peccandi, non videtur tanta irreverentia, ut dampnetur de mortali, licèt non videatur posse excusari saltem à veniali, ut dicit *Croix cum Corduba*. Cæterùm non auderem de peccato ullo damnare alium ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccandi haberet. Aliàs teneremur hos hortari, ut ab omni oratione abstinerent.

179. — Quær. III. An sit licitum recitare officium in locis immundis? Alii ut *Sot. de just. l. 10. q. 3. art. 4. in fin. Viva q. 3. art. 5. n. 5. Anacl. p. 191. n. 67. Conc. p. 491. n. 1. et Spor. p. 82. n. 148. cum Tamb. et Gob.* sentiunt id esse veniale, si fiat sine causa, quia videtur hoc non carere aliquâ irreverentiâ. Alii verò, ut *Sanch. Cons. l. 7. c. 2. dub. 44. n. 4. Salm. tr. 16. c. 5. p. 3. num. 11. cum Trull. Angles, Leand. et Diana p. 10. tract. 11. res. 55. cum Escob. Fausto, etc.* nullam in hoc culpam agnoscunt, quia cùm Deus sit ubique, in nullo loco est irreverentia illum orare: aliàs, si esset irreverentia, nec etiam liceret ullo modo orare mente, aut voce in loco indecenti: quod nemo dicit, imò *Apost. ad Tim. 1. c. 2. v. 8.* inquit: *Volo viros in omni loco orare.*

Quær. IV. An sit culpa non servare situm in recitatione officii, scilicet stando, genuflectendo, juxta rubricam? Alii negant, ut *Salm. l. c. in fin. et Sporer p. 82. num. 149. cum Zeroll.* quia (ut dicunt) id non præcipitur, sed consulitur, et ordinatur majoris devotionis gratiâ; et idem tenent *Tol. Bonac. et Fill. apud Croix l. 4. num. 1321.*, qui dicit in hoc potiùs posse peccari ratione scandali, quàm omissionis. Sed probabiliùs affirmant *Viva q. 3. a. 5. n. 7. et Cont. Tourn. de hor. can. sect. 6. v. Quæritur 1.* quia id præscriptum est in Ru-

brica; etsi omissio non excedat veniale, ut dicunt *Nav. et Viva l. c.* cum hæc Rubrica sit tantum directiva. Hoc autem intelligitur de choro, nam extra chorum communiter docent præfati AA. (quidquid aliqui dicant) nullam esse culpam, situm præscriptum omittere; licet laudabile sit illum servare. Censent autem *Concina pag. 491. n. 2. et Viva l. c. n. 6.* non excusari à veniali, qui sine causa officium recitaret decumbendo in lecto.

DUBIUM III.

Quid clerici possint circa dispositionem fructuum suorum beneficiorum?

180 *An beneficiarii sint domini fructuum quoad necessaria sustentationi?*

181 *An quoad non necessaria?*

182 *Quid notandum circa congruam sustentationem clericum?*

183 *Quænam quantitas in vanis expensis censeatur gravis?*

184 *Quæ teneantur clerici erogare in usus pios?*

185 *Quid intelligatur nomine usus pii?*

186 *Vide resolutiones.*

187 *An clerici possint testari de fructibus beneficii?*

De Alienatione bonorum ecclesiasticorum Not. I. De pœnis in alienantes bona Ecclesiæ. Not. II. An possint alienari, si talis facultas data sit à donante? Not. III. Quid veniat nomine bonorum ecclesiasticorum? Not. IV. Quid si alienatio vetita sit à donante? Et quæ sint causæ justæ alienandi? Not. V. Quæ solemnitates requirantur? Et quid, si deficiat causa? Not. VI. Quæ bona possint alienari sine solemnitatibus, et in quibus casibus? Not. VII. Quid de locatione bonorum ecclesiasticorum?

180. — **R**ESP. 1. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum ecclesiasticorum, quæ necessaria est ad congruam sustentationem, et decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint liberè disponere. Ubi rectè notat *Nav.* hanc congruitatem, et decentiam habere latitudinem, et suos gradus, proindeque, si infimum congruæ sustentationis pretium sint floreni 500, medium 400, summum 300, clericus autem infimo vivat, de reliquo liberè posse disponere. Ita commun. quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis præstiti. (Vide l. 4. n. 491. v. III. Idem.)

181. — « Resp. 2. Probabilius etiam est, contra *Nav. et*
 » multos canonistas, beneficiarios non regulares (secus enim
 » est de regularibus, ut ait *Card. Lugo t. 1. d. 4. s. 1. n. 2.*)
 » absolutos esse dominos omnium suorum proventuum, idè-
 » que, etsi in profanos usus expendant, non tenèri ad resti-
 » tutionem. Est communior inter recentiores, apud *Binsfeld.*
 » *Mald. et Bon. t. 1. d. 3. p. 1. ex S. Thom. Sot. Mol. etc.*
 » tùm quia fructus faciunt suos, ut supponit *Trid. sess. 24. c.*
 » *12. de Ref.* tùm quia alioqui non possent fructuum domi-
 » nium in alios transferre (extra pios usus), omnesque eorum
 » donationes, et contractus essent inyalidi, et ut tales à ju-
 » dice declarandi, et bona Ecclesiæ restituenda: quod, cùm
 » nunquam sit factum, præsumi non debet esse faciendum.
 » *Card. Lugo d. 4. n. 1.* » (*Sed vide dicta lib. 4. n. 491.*) « Quo
 » non obstante, tenèri eos bona ecclesiastica, congruæ sus-
 » tentationi superflua, expendere in pios usus, tam est com-
 » munis sententia, ut *Card. Lugo d. 4. n. 10.* dicat nimis sin-
 » gularem esse sententiam *Petri Hurt. et Dian.* dicentium,
 » cos satisfacere, si (seclusis gravibus necessitatibus) erogent
 » in communibus necessitatibus quartam partem reddituum
 » ecclesiasticorum, vel certè dimidium ejus, quod congruæ
 » sustentationi superest. *Vide C. Lugo l. c.* ubi plurimis pro
 » se citatis Auct. ostendit, *Tol. Molin. et Bonac.* malè citari
 » pro contraria sententia, imò ipsemet *Hurt. et Dian.* in ea
 » non perstitisse, atque nullà vel auctoritate, vel ratione
 » fulciri: ac denique suam multis probat, præsertim ex *Trid.*
 » *dent. sess. 21. c. 3. de Ref.* ostenditque istam obligationem
 » nasci ex jure non tantùm humano, sed etiam divino natu-
 » rali. *Vide etiam Bonac. l. c. p. 2.* » (*Vide l. 4. n. 491. vers.*
IV. Major.) « Porrò congrua sustentatio clerici censetur, quæ
 » necessaria est ad statûs, et familiæ sustentationem, secun-
 » dùm conditionem statûs, gradûs, dignitatis, qualitatis et
 » regionis, in qua habitat. *Bon. l. c. Mol. Laym. C. Lugo,*
 » *etc.* » (*Vide l. 4. n. 491. v. Quar. II.*)

Unde resolvuntur hi casus :

182. — « 1. Congrua sustentatio non est æqualis respectu
 » omnium, quia plus requirit Episcopus, quàm decanus;
 » decanus, quàm canonicus; canonicus in Ecclesia principali,

» quàm parochus; debilis, et tener, quàm robustus, et va-
 » lens: et quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio.
 » Quapropter attendi debet ad usum aliorum timoratae con-
 » scientiæ in eodem gradu; etc. nec obstat, quòd beneficia-
 » rius emergerit ex humili, quominus possit statui suo con-
 » venientes sumptus facere, ut ex *Mol.* docet *Card. Lugo l. c.*
 » *Vide Bann. l. c. n. 8.*

« 2. Nomine congruæ sustentationis etiam intelligitur debita
 » hospitalitas, non tantùm in pauperes peregrinos (qui ma-
 » ximè commendantur clericis à *Trid.*), sed etiam urbanos.
 » *Card. Lugo n. 66.*

« 3. Debita, quæ clericus contraxit pro sua sustentatione,
 » vel ob piam causam, potest solvere ex redditibus ecclesiasti-
 » cis: non item quæ contraxit ante beneficium obtentum,
 » nisi sit pauper. *Ib. n. 67.*

« 4. Potest clericus ex bonis superfluis licitè in studiis alere
 » suos consanguineos, si aliunde non habent; eò quòd pa-
 » rentes, vel nolint, vel non possint alere in studiis. *Ib. et*
 » *Bon. p. 2. n. 13.*

« 5. Si habet sorores pauperes, vel filios spurios, ex fru-
 » ctibus beneficii dotare licet, si aliunde non potest. » (*Imò*
tenetur dotare sororem ex parte patris, ut dicunt Nav. et
Burg. cum Croix l. 4. n. 1357. A fortiori tenetur alere matrem,
Croix ibid.) « quia naturali jure debet illis alimenta, in quo-
 » rum locum succedit dos. *Mol. Binsfeld. etc.* Cavendum ta-
 » men sub mortali, ne vel illas notabiliter supra statum exal-
 » tet, vel hos legitimis sequet: etsi nobilis plus possit dare,
 » quàm alius infimæ sortis. *Vide Laym. l. 4. tr. 2. cap. 3. n. 4.* »

183. — « 6. Si bona superflua expendat in usus profanos,
 » v. g. in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones,
 » luxum, in amicos, cognatosque ditandos, etc. (quod intel-
 » lige de quantitate notabili in genere prodigalitati, quæ
 » longè major est, quàm in genere furti) » (*Palauus apud*
Croix l. 4. n. 1358. requirit tertiam, vel quartam partem:
Coninck requirit quartum: sed Croix cum Lugo, et Haun.
hoc reprobant, et dicunt vigesimam partem esse materiam gra-
vem.) « graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad resti-
 » tutionem: quia est dominus fructuum: et consequenter
 » neque is, qui accepit. Ita contra *Nav. etc. communitè*

» *Doctor. alii ex Frid. sess. 25. c. 1. Azor. t. 2. l. 7. cap. 8.*
 » *q. 2. Vide Laym. l. 4. t. 2. c. 5. n. 4. Bon. d. 4. p. 2. n. 9.*
 » *et p. 4. n. 1. etc.* » (Vide l. 4. n. 492.)

184. — « Quæres 1. Quæ teneantur in pios usus expendere?
 » Resp. Ea omnia, quæ acceperunt sive ab Ecclesia, sive ab
 » aliis, tanquam procuratores cultûs divini; non autem illa,
 » quæ vel in cultum divinum oblata non sunt, vel jam ab
 » Ecclesia in cultum divinum sunt expensa. *C. Lugo d. 4.*
 » Ratio est, quia priora habent annexam obligationem reli-
 » gionis, posteriora non: vel si habuerint, ea jam est extin-
 » cta per expansionem in pios usus.

Animadvertite hîc doctrinam *D. Thomæ 2. 2. q. 183. art. 7.*
ad 3. ubi ait: Non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus
largienda, nisi fortè in articulo necessitatis, in quo etiam
pro redemptione captivorum, et aliis necessitatibus pauperum
vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut dicit S. Ambrosius;
et in tali necessitate peccaret clericus, si vellet de rebus Eccle-
siaæ vivere, dummodò haberet patrimonialia bona. Vide dicta
l. 4. n. 491. v. Quær. V. Addit verò S. Doctor ad 4. Necessitate
non imminente providendi pauperibus, de his, quæ super-
fluunt ex proventibus Ecclesiaæ, possessiones emat, vel in the-
sauo reponat in futurum utilitati Ecclesiaæ, etc.

« 1. In profanos usus expendi possunt à clericis bona patri-
 » monialia, eaque quæ hæreditate, industriâ, donatione,
 » aliove modo ut laïci acquirunt, vivendo interim ex bene-
 » ficiis. Item quasi patrimonialia, hoc est, quæ acquirunt
 » quidem clerici, non tamen ut redditus beneficii, sed ut sti-
 » pendia alicujus officii clericalis, v. g. ratione concionis, pro
 » missa, funere, officio defunctorum, administratione sacra-
 » mentorum, anniversariis, etc. *Sanch. C. Lugo l. c. n. 23.*
 » *Bon. p. 2. n. 16.* » (Et hoc vocat longè probabilius *Sanch.*
Conc. l. 2. c. 2. dist. 43. num. 4. (contra Innoc.) cum Sot.
Nav. Host. Sylv. Panorm. et aliis communiter. Vide dicta lib.
4. n. 491.)

« 2. Probabilius est, in profanos usus posse expendi dis-
 » tributiones, sive præsentias (ut vocant) quæ beneficiariis ob
 » præsentiam in choro distribuuntur. Ita *Sylv. C. Lugo num.*
 » *24. Bon. p. 2. num. 17. contra Sanch. etc.* » (Vide l. 4. n. 491.)

« 3. Fructus qui dantur ob capellaniam, vel vicariam non
 » collativam, sed ad nutum amovibilem, possunt expendi in

» usus profanos; quia non sunt fructus beneficii (hoc enim
 » confertur per collationem canonicam) sed bona quasi patri-
 » monialia. Vide *C. Lugo n. 28.*

« 4. Probabiliter etiam pensionarius licite suam pensionem
 » expendit in usus profanos; quia cum Papa extrahit ex redi-
 » tibus beneficii, et dat alteri qui id beneficium non habet.
 » *C. Lugo l. c. contra Bonac. etc.* Secus est de eo, qui bene-
 » ficium habet in commendam, quia substituitur loco benefi-
 » ciarii. *Ib.* » (Vide dict. l. 4. n. 491. vers. Qu. VI.)

« 5. Partem, quam clericus parce vivendo sibi servat ex
 » congrua sustentatione, licite expendit in usus profanos,
 » quia expensa est jam ante in usus pios. *Ibid. et Bon. d. 4.*
 » p. 2. n. 14. ex *Mol.* » (Vide l. 4. n. 491. v. III. *Idem*)

185. — « Quæres 2. Quid intelligatur nomine usus pii?
 » Resp. Qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spi-
 » ritualem, aut corporalem ordinatur, v. gr. ad cultum tem-
 » plorum, necessitatem pauperum, hoc est eorum, qui non
 » habent necessaria sive ad naturam, sive ad statum servan-
 » dum; item in usum religiosorum, in capellaniâ, missas,
 » suffragia pro defunctis, hospitalia, etc. » (Vide l. 4. n. 491.
 v. Qu. II. et n. 672.)

Unde resolvuntur sequentes casus.

186. — « 1. Si clericus superflua expenderit in usus profa-
 » nos, v. g. emerit sibi bona immobilia, non potest hæc re-
 » tinere, quia obligationi bonis iis annexæ non satisfacit; et
 » adhuc potest satisfacere, cum bona empta pretio æquiva-
 » leant. *C. Lugo n. 43. Vide Bon. n. 20.*

« 2. Qui in usum profanum à clerico bona accipit dono,
 » ex superfluis, potest excusari à peccato, si eum non in-
 » duxit ad talem donationem, neque per eam clericus reddi-
 » tur impotens ad superflua expendenda in usus pios. *Card.*
 » *Lugo n. 40.* Quia clericus ex patrimonialibus vel quasi pa-
 » trimonialibus potest substituere. » (Vide l. 4. n. 492. v.
 Qu. VIII.)

187. — « 3. Clerici quidem ex consuetudine, multis locis
 » recepta, licite possunt testari de redditibus beneficiorum,
 » non tamen, nisi ad causas pias: etsi enim, ubi consuetudo

» invaluit, etiam in usus profanos validè testentur, peccant
 » tamen mortaliter. Vide *Less. lib. 2. c. 19. d. 4. n. 41-44.*
 » *Laym. l. c. Bon. d. 4. p. 3. n. 2. et 4. Trid. sess. 25. c. 1.*
 » *de Ref. et sequitur ex dictis; nisi tamen fecerint cum facul-*
 » *tate Papæ; quæ, licèt superveniat testamento jam condito,*
 » *facit tamen illud convallescere. Vide Sanch. Salm. Dian.*
 » *p. 8. t. 3. r. 99. supra l. 4. t. 5. c. 4.* »

De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

Circa hujusmodi alienationem refert hic plura adnotare. Nota I. quòd *Paulus II.* in *Extrav. Ambitosæ, de reb. eccl. non alienand.* prohibet sub gravibus pœnis alienari bona immobilia, et mobilia pretiosa Ecclesiæ quæ servari possunt; atque alienationem omninò irritam declarat; vide *La Croix l. 4. num. 1363.* Et idem declaravit *Urbanus VIII.* anno 1624. apud *Delbene de immun. eccl. c. 17. d. 1. n. 7.* idemque dicitur de loco pio erecto auctoritate Episcopi, ut dicunt *Wadding. de contr. d. 2. dub. 8. s. 74. et Dicast. apud Croix ibid.* Præterea declaravit S. C. religiosos non posse accipere mutuo pecunias cum solutione interesse; vide *Delbene l. c. d. 1. n. 12.* Nomine autem alienationis prohibetur etiam permutatio, et transactio super re possessa, si pars ejus sit dimittenda. *Delbene dicto dub. n. 12.* Potest autem remitti caducitas emphytheusis. *Delbene ib.* Insuper notandum, quòd nomine alienationis venit etiam permutatio, traditio rei in pignus, et transactio, semper ac relaxatur pars rei jam possessæ ab Ecclesia: quia tunc est vera alienatio; si autem Ecclesia non possidebat, benè potest Episcopus transactionem facere, ita *Delbene, et Barbosa cum Rebuff. Quaranta, etc.* Pœnæ autem in alienantes bona ecclesiastica sine debitis solemnitatibus sunt privatio perpetua ab omni officio, et excommunicatio. *Croix n. 1369.* Ibi tamen advertit *Delbene* cum communi DD. quòd præfata bulla *Pauli II.* in *Extrav. Ambitosæ,* quoad has pœnas paucis in locis est recepta; et quoad obligationem attendenda est consuetudo locorum. Notandum verò quòd in *cit. Extrav. Ambitosæ,* dicitur *præsumpsit,* unde excusantur ab his pœnis eas invincibiliter ignorantes.

Nota II. quòd licèt aliquod bonum donatum sit monasterio cum expressa facultate illud alienandi propria auctoritate,

non potest tamen alienari sine assensu pontificio, ut ait *Lugo Resp. mor. l. 3. dub. 10. n. 2. et dub. 12. n. 3.*, quia tunc res acquirit conditionem bonorum ecclesiasticorum. Sed non immeritò *Croix l. 4. num. 1364.* probabilem putat sententiam oppositam quam tenent *Delbene loc. cit. dub. 10. et Bonac. Covarr. Arm. et Quaranta, etc. apud Croix.* Ratio, quia sicut donans poterat de re disponere, ita etiam poterit donatarius ex illius potestate; neque res tunc absolutè acquiritur Ecclesiæ, sed tantùm ad beneplacitum donantis: quod concedit etiam *Lugo*, casu quo donator expressè voluisset, ut res alienaretur, tunc enim certum est nunquam absolutè acquisitam fuisse Ecclesiæ; ita etiam neque res dici debet absolutè acquisita Ecclesiæ, quando donata est cum tali facultate alienandi; sicut contrà, si donator prohibeat posse ullo casu rem alienari, non poterit quidem alienari, etiam eum assensu pontificio, et justà accedente causâ, nisi causa sit talis, ut faciat præsumere consensum donantis, juxta infrà dicenda in *Nota IV.* Pariter videtur licitum esse repudiare rem immobilem nondùm acquisitam, ut dicunt *Croix l. c. cum Sylv. et Abb. ac Delb. d. 3. qui tamen d. 6. cum Mol. Barb. Tamb. etc.* ait prælatum, vel religiosum non posse repudiare legatum, quia illud acquiritur Ecclesiæ, vel monasterio etiam ante traditionem, ut habent jura, saltem acquiritur jus ad illud. Contradicunt verò *Sanch. Bon. Rebell. Abb. Menoch. Gob. et alii apud Croix dict. n. 1364.* quia ante acceptationem Ecclesia nullum jus, aut actionem ad legatum acquirit; sed verior mihi apparet prima sententia, nam ad validitatem donationis requiritur quidem acceptatio, non autem ad legatum, quod statim acquiritur à legatario post mortem legantis. Permittunt autem *Abbas, Covarr. Molina, Delbene, etc. apud Croix loc. cit.* posse sine assensu Pontificis hypothecari bona ecclesiastica, sed probabilius contradicunt *Vasq. Rodr. Quaranta etc. ib.* Ratio, quia hypothecatio est vera alienatio.

— Nota III. quòd nomine *bonorum ecclesiasticorum* veniunt simul jura, et actiones ad immobilia, necnon nomina debitorum, ac servitutes. *Delbene loc. cit. dub. 12. Croix l. 4. num. 1365. cum Wading. et Piasecio.* Nomine autem *rerum pretiosarum* veniunt vasa aurea, vel argentea; gemmæ, bibliothecæ copiosæ. *Delbene dub. 2. sect. 1. et Croix cum Tamb.* Item greges, et armenta totaliter considerata. *Delbene sect. 4.* Item

incisio arborum, et sylvarum, si fiat cum deterioratione, ut *Laym. lib. 3. tr. 9. c. 10. n. 2. Delbene s. 3. et Piasec. Wading. apud Croix*. Venit etiam magna pecuniæ summa donata ac destinata ad emenda immobilia, tunc enim illa censetur quid immobile, *Delbene sect. 1. et Vasq. Fill. Lex. apud Croix contra Wading. et Tiraq.* Etiam demùm pertinent ad immobilia annui redditus perpetui. *Croix ibid. cum Wading.*

Nota IV. quòd alienatio bonorum ecclesiasticorum facta cum causa, et solemnitatibus, valet, etiamsi donans prohibuerit alienationem, quia prohibitio præsumitur facta, si absit causa debita, ut probabiliter ait *Croix lib. 4. n. 1366. cum Delbene, et aliis*. Causæ autem justæ sunt *necessitas, vel utilitas, ex Auth. Hoc jus, can. de sacr. eccl.* Item pietas, putà pro redemptione captivorum, vel alia gravi necessitate sublevanda. Item *incommoditas*, si res alienanda valde distat, etc. Ita *Laym. loc. cit. n. 3. cum Mol. Abb. Sylv. Navarr. etc. communiter*. Item quandoque magna *convenientia*, ut ajunt *Croix, et Delbene dub. 28*. Utrùm alienatio facta sine justa causa à Pontifice sit licita, et valida? Resp. Si alienatio fiat in aliam Ecclesiam, erit valida, sed non licita. Si verò fiat in usus profanos, erit illicita, et invalida; ita rectè *Laym. dict. c. 10. n. 11. cum Nav.* Ratio, quia Papa non est dominus bonorum ecclesiasticorum, sed administrator, juxta dicta *l. 4. n. 931*.

Nota V. quòd debitæ solemnitates sunt videlicet: 1. Communis consultatio. 2. Consensus capituli vel cleri. 3. Consensus Episcopi, vel superioris regularis, et etiam patroni, si alienatur beneficium patronatum, ut censet *Piasecius*, sed huic contradicit *Laym. cum aliis apud Croix n. 1366*. 4. Subscriptio consentientium pro casibus à jure expressis. 5. Consensus Pontificis, sive facultas sacræ Congr. *Vide Croix l. c.*

Si autem alienatio fit sine causa, censet *Delbene dub. 20*. eam esse invalidam, etiamsi fiat ex consensu Pontificis: intellige, si fiat in usus profanos, secùs si in aliam Ecclesiam, prout rectè ait *Laym. l. c.* Si autem alienatio fit cum sufficienti causa, sed sine solemnitatibus, dicunt *Abbas, Sylv. Angel. Fill. Rodriq. et alii apud Croix n. 1366*. (qui probabile putat) valere pro foro conscientiæ, *contra Covar. Mol. Vasq. etc. cum Delbene dub. 21*. qui probabiliùs tenent, jura

irritare hujusmodi alienationes ob damni periculum, si solemnitates omittantur, easque dicunt invalidas esse omnino sine assensu pontificio, cum assensus ad formam prærequiratur. An autem hic assensus præsumatur concessus per prescriptionem 50 vel 40 annorum? Negant *Quartana, Fachin. etc.* Sed *Croix ibid. cum Masc. Dicast. Delb. Ricc. etc.* ajunt probabilius esse consensum præsumendum ex generali axioma, quod omne factum ritè præsumitur factum, si de jure faciendum erat.

Nota VI. sine autem causa speciali, et sine solemnitate licite alienari possunt 1. Res quæ virisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non perdurant, ut fructus, vestes, singularia jumenta. *Laym. d. c. 10. n. 2. et Piasec. apud Croix l. 4. n. 1367.* 2. Res exigui valoris respectivè ad possessorem, nempe si non attingat ad summam ducatorum centum, ut ajunt *Pal. et Zerol. ap. Croix l. c. Attamen Delbene cum aliis communiter* (ut ait *Croix ibid.*) restringunt summam ad 25 scuta aurea, quæ faciunt 40 scuta monetæ Romanæ; et rectè advertit *Dellene* hujusmodi rem debere esse ab aliis disjunctam, ita ut pretium totius rei non excedat præfatam summam, aliàs posset totum prædium per partes modicas alienari. 3. Res academiæ, seminarii, hospitalis, confraternitatis, modò non sint erecta auctoritate Episcopi, ut limitant *Palaus, et Delbene apud Croix ibid.* 4. Res ad quam conservandam ejus reditus non sufficerent, ut *Palaus, Bonasp.* Si verò res sit sterilis, requiritur licentia Pontificis, ut dicunt *Quaranta, Bonac. etc.* Sed *Wading.* dicit sufficere consensum Episcopi cum capitulo. 5. Si oportet vendere ad solvendum debitum, pro quo creditor urget apud judicem. *Abbas, Quaranta, et Bonasp. apud Croix d. n. 1367.* 6. In casu magnæ necessitatis, quæ non permittat expectari consensum superioris, *Delbene dub. 1. n. 26. et Croix l. c. cum Quaranta.* Item in casu notoriæ utilitatis Ecclesiæ, si expectato consensu pontificio transiret occasio. *Delbene dub. 22. n. 2. et Croix ibid. cum Bald. Boss. et Bonasp.* in his tamen duobus casibus necessitatis, et utilitatis, requiritur saltem consensus Episcopi, ut dicunt *Felin. Abb. et alii cum Carden. ibid.* Verùm *Delbene* excipit regulares exemptos, quos ait tunc non tenèri ad Episcopum recurrere. 7. Si donentur bona iis, qui illa retinere non possunt. *Delbene, Barbos. Ricc. et Quaranta.* 8. Si fiat

remuneratio pro aliquo beneficio Ecclesiæ collato. *Barbos. Delbene apud Croix loc. cit.*

Nota VII. Quoad locationem autem honorum ecclesiasticorum pertinet, si res fructificet annuatim, non potest locari ultra triennium; si verò fructificet alternis annis, ultra sexennium; si ternis, ultra novennium, ita *Croix l. 4. num. 1568. cum Less. Azor. Vasq. Cov. Delbene, etc.* Non prohibetur tamen fieri locatio fructuum usque ad vitam beneficiarii, cum successor non teneatur stare tali locationi, ut *Croix ibid. cum Mol. Paul. Sylv. Abb. Cov. et Delbene.* Putant autem *Fill. Mol. Lugo, Guttier. apud Croix l. c.* et probabile censet *Delbene (contra Wading.)* licitè posse beneficiarium se obligare personaliter ad locandum fundum denuò post triennium. Item potest revocari locatio post duos annos, non autem priùs. *Pal. Mol. Delbene, etc. apud Croix ibid.* Hic autem dicta intelliguntur etiam de locatione honorum cujuscumque loci pii, qui auctoritate Episcopi sit erectus. *Croix ibid. cum Pal. et Delbene.*

DUBIUM IV.

Quis sit habitus clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?

188 *Quinam clerici teneantur ad habitum, et tonsuram?*

189 *Quæ artes prohibeantur clericis?*

190 *Quæ officia?*

191 *Quæ actiones?*

188. — « **R**esp. 1. Clericos majoribus ordinibus initiatos, » vel etiam minoribus, si habeant beneficium, quoad habi- » tum obligari ad ferendam tonsuram, et vestem clericalem, » quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ » ducentur, nec partita, seu dissecta. » (*Circa habitum et tonsuram vide dicenda de sacr. ord. lib. 6. n. 825.*)

189. — « Resp. 2. Quoad artes, prohibentur macellario- » rum, tabernariorum, jocularum, quorum etiam ludis, » uti et bastiludis prohibentur interesse. Item medicorum,

» aut chirurgorum , ubi opus est incisione , aut adustione ;
 » nisi , ut habet *Nav.*, erga pauperes , aut propinquos , aut in
 » necessitate. » (*Vide l. 7. n. 384. in fin. ad V. et n. 385.*)

190. — « Resp. 3. Quoad officia , prohibentur (si sint bene-
 » ficiati , vel initiati sacris) officium judicis in causa sangui-
 » nis , advocatorum , patronorum , tabellionum , seu notario-
 » rum , in placitis sæcularibus. Quod addo , quia in speciali-
 » bus quibusdam casibus hæc licent ; v. g. advocare pro
 » Ecclesia , pro personis conjunctis et miserabilibus (1). Ratio
 » autem est , quia clericus non debet se immiscere negotiis
 » sæcularibus. *Sayr. l. 12. c. 25. n. 6.* (qui tamen concedit
 » instrumenta ab eo facta valere) *Bonac. tom. 2. in præc.*
 » *dub. 10. qu. 3. p. ult. Laym. l. 3. t. 4. c. 8. n. 4.* et notat
 » consuetudine inductum esse , ut officio cancellarii , consi-
 » liarii , imò etiam judicis fungi possint in causis civilibus. »
 » (*An autem clericus possit exercere officium administratoris*
 » *bonorum , vulgò fattore ? Vide l. 4. n. 858. vers. Valde refert.*)

191. — « Resp. 4. Quoad actiones prohibentur arma por-
 » tare , nisi in itinere , tabernas intrare , venationi clamorosæ
 » vacare (quod addo , quia venatio sine strepitu , recreationis
 » causâ , permittitur) » (*Vide dicta l. 4. n. 605.*) ; « accipitres ,
 » vel falcones alere pro venatione ; aleis , aut taxillis ludere ;
 » mercaturam , aut negotiationem lucris causâ (non tamen
 » necessitatis) exercere » (*Vide dicta l. 4. num. 831. et seq.*) ;
 » cohabitare mulieri , nisi sit mater , soror , amita , aut certè
 » talis , quacum nullum periculum , aut scandalum imminet.
 » *Less. l. 2. c. 5. d. 9. n. 40. Caj. tamen v. Clericus , contra*
 » *Ang. et Nav.* docet , horum , et similium transgressionem
 » non esse mortalem , si absit temeritas , contumacia , com-
 » temptus , et scandalum. *Vide Laym. l. 3. t. 9. c. 12. num.*
 » *2. et 3.* Nec refert , quòd transgressor sit excommunican-
 » dus , quia hæc pœna est sententiæ ferendæ , quam non nisi
 » contumax post monitionem incurrit. Quod tamen universim
 » *Nav.* putat esse laxius , maximè cum canones utantur verbo ,

(1) Pro causâ propriâ atque defensione orphanorum , viduarum et consan-
 guineorum intra quartum gradum , qui defensorem non inveniunt. Clerici
 tamen in minoribus licitè possunt in quocumque foro causas civiles et etiam
 res in criminalibus patrocinari ; et monachis etiam permissum est ex licen-
 tia prælati monasterii causas tueri. *Ex Hom. Ap. tr. 13. n. 60.*

» præcipio. Unde ait esse mortale, si habitum, vel tonsuram
 » non gestent. Quod restringit *Bonac. d. 8. de sacr. q. 1. p.*
 » *ult. n. 8.* si sint initiati majoribus ordinibus, aut habeant
 » beneficium, et tonsuram, vel habitum longo tempore,
 » absque justa causa, non gestent, tunc enim peccare mor-
 » taliter; citatque pro se *Reg. Nav. Vasq. Negant tamen*
 » *Sylv. et Laym. l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci
 » consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem
 » *Laym. l. 5. t. 5. c. 3. d. 8. et alii commun.* Sed de hoc
 » vide supra lib. 4. cap. 5. d. 7. de emptione, et venditione.

CAPUT III.

DE STATU, ET OFFICIO PERSONARUM SÆCULARIUM QUARUNDAM, ET
 PRÆSENTIM JUDICIALIUM.

DUBIUM I.

Quæ requirantur ad legitimum iudicium?

192. — « **R**ESP. Hæc tria: Primum est *jurisdictio*, sine qua
 » sententia nulla est; » (*Nisi adsit titulus coloratus, et error*
communis, ut communiter Salm. Append. de offic. c. 1. de
judice. p. 2. n. 14. ex l. Barbarius, ff. de offic. prætor.) « et
 » peccatur mortaliter, ut ex *S. Th. 2. 2. q. 60.* habet com-
 » munis: quare peccat iudex sæcularis, si personas, aut cau-
 » sas merè ecclesiasticas ad se trahat; uti et ecclesiasticus,
 » si merè civiles, nisi fortè per accidens, ob defectum justi-
 » tiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium per-
 » sonarum. Porrò, quæ causæ dicantur merè civiles, quæ
 » ecclesiasticæ, quæ mixtæ, nosse oportet iudices, et
 » jurisperitos, potestque vidèri apud *Laym. l. 4. c. 2. Card.*
 » *de Lugo d. 17. sect. 3.*

193. — « Secundum, *rectus processus*, v. g. ut citetur reus,
 » et audiatur, etc. nisi fortè expediat aliquando, cùm delicta
 » sunt atrocita, in flagranti crimine deprehensos subito ple-
 » ctere, vel in criminibus exceptis communem procedendi
 » modum mutare: nam iudici supremo (dummodò crimen sit
 » publicum) aliquando licère, sine citatione, defensione, et

» omni processu, reum morti adjudicare, eò quòd factum
» notorium, et publicum sit loco accusatorum, et testium,
» neque reo jus defendendi se in judicio relinquat, docent
» *Nav. c. 2. n. 10. Less. Fill. Bonac. d. 10. in præcept. q. 2.*
» *p. 2. n. 3. Vide etiam Card. Lugo d. 37. s. 5. Trull. l. 8. c.*
» *1. d. 13.* Ubi tamen benè notandum, quòd, etsi talia cri-
» mina excipiantur à communi dispositione legis positivæ, et
» juris communis, non tamen legis, seu juris naturæ; ideò-
» que graviter peccare judicem, qui in tali processu, v. gr.
» contra sagas, quidvis licère putat. *Vide Cautionem crimina-*
» *lem c. 17. 18. 37. et seq.*

194. — « Tertium, *recta intèntio*, ut scilicet procedatur ex
» intentione justitiæ. Unde, si judex procedat ex odio, aliòve
» fine malo, v. g. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem
» contra justitiam, sed charitatem, aliàmve virtutem morta-
» liter aut venialiter, prout finis illius mortalis, aut venialis
» crit. *Bonac. to. 2. d. 10. q. 2. p. 3.*

DUBIUM II.

DE POTESTATE ET OFFICIO JUDICIS.

ARTICULUS I.

Quid requiratur in judice ?

195. — « **R**ESP. 1. Præter tria dicta superiore dubio, re-
» quiratur scientia, quâ sciat suo munere rectè fungi. Ita
» commun. Doct. et *Bonac. d. 10. q. 2. p. 3.* Ratio est, quia
» quilibet tenetur scire ea, quæ pertinent ad proprium offi-
» cium, et sine quorum cognitione munus suum, et officium
» exercere non potest.

Unde resolvuntur sequentes casus :

« 1. Petens, aut suscipiens officium judicis, *idem est de*
» *medico, et chirurgo, ut vide infra dub. 9.* quo indignus est,
» ita ut probabile sit, inde notabile damnum proximi secatu-
» rum, peccat mortaliter. *Nav. c. 25. S. Anton. C. de Lugo*
» *d. 37. n. 1.*

« 2. Judex carens necessariâ scientiâ non debet absolvi , nisi factâ renuntiatione officii , vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi. Ita *S. Th. 2. 2. q. 67. a. 2. Caj. Clavis reg. l. 12. c. 13. n. 2. Regin. d. 25. n. 675. Nav. c. 25. Farin. 3. part. q. 3. art. 16.* Ratio est , quia nullus potest officium , cujus munia obire non potest , retinere , præsertim cum damno , vel periculo proximi.

« 3. Si judex ex magnâ imperitiâ malè judicet , tenetur ad interesse parti læsæ , et ad expensas litis ; uti etiam , quotiescumque notabile damnum , sive in substantia litis , sive in superfluis expensis , propter ejus culpabilem ignorantiam , partibus litigantibus accidit. *Bonac. Card. Lugo ll. cc.* » (*Est commune cum Salm. de offic. cap. 1. de judice. p. 6. n. 58. quidquid dicant reliqui jurisperiti.*)

« 4. Si judex agnoscat errorem à se (etsi sine gravi culpa) commissum in præjudicium litigantis , tenetur , si potest citra infamiam , impedire errorem , v. g. monendo occultè partem læsam , ut sibi appellatione , vel aliter consulat ; quia id pertinet ad debitam muneris executionem. *De Lugo l. c. num. 3.*

196. — « Resp. 2. judex tenetur causas judicare , et celeriter expedire , quia ex officio tenetur cuique tribuere suum ; quod non facit si sententiam sine justa causa differt.

Unde resolvuntur sequentes casus :

« 1. Judex mortaliter peccat contra officium suum , differendo valde notabiliter causarum expeditionem , sine justa causa. *Sylv. v. Judex , q. 12. Clavis Reg. c. 12. n. 8. Nav. c. 25. n. 14. etc. cum Bon. d. 10. q. 2. p. 3.*

« 2. In casu dicto , idem judex tenetur parti læsæ damna , et expensas , quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt , restituere : quia est earum injusta causa. *Ibid. Auct. ll. cc.* »

An autem judex possit accipere pecuniam ad expediendam causam alicujus præ alia ? Dicit *Laym. l. 3. sect. 5. tr. 4. c. 4. n. 9.* spectato jure naturali , non audere id damnare , quia illa nova obligatio , quam suscipit , est pretio digna. Sed verius contradicunt *Salm. l. cit. n. 66.* quia judex ex justitia tenetur citò expedire causas eorum , qui æquale jus habent a l

expeditionem; nisi extraordinarium susciperet laborem, ad quem ex vi sui muneris non teneretur.

« 3. Si iudex in exequenda causa, et proferenda sententia, » negligens aut iniquus sit, non tantum parti læsæ, sed » interdum etiam fisco tenetur; v. g. si mulctam pecuniariam, » quam ex consuetudine, vel lege communi debebat imponere » reo, sine causa remisit. *S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. ad 3.* » *Sylv. v. Pœna, q. 18. Salm. Laym. l. 3. t. 2. c. 5. n. 8. con-* » *tra Azor.* » (*Et cum Azor. probabiliter sentiunt Lugo de* » *contr. d. 56. n. 97. cum Less. Salas, etc. Salm. de offic. c. 1.* » *de iudice p. 3. n. 31. et de leg. tr. 11. c. 2. p. 3. §. 4. n. 76.* » *cum Gregor. Martin. ad nihil teneri iudicem, si ad mulctam* » *reus nondum sit condemnatus. Ratio, quia ante sententiam* » *nullum fisco jus acquiritur ad pœnam; hinc, si iudex injustè* » *reum absolvit, peccat contra justitiam legalem, non commuta-* » *tivam. Divus autem Thom. l. c. loquitur tantum de pœna cor-* » *porali, et de damno reip. eventuro ex injusta remissione. Vide* » *dicenda de accusatore num. 237.)*

ARTICULUS II.

Quid iudici servandum circa inquisitionem?

197 *Quibus modis possit procedi contra reos?*

198 *In quibus iudex possit instituere inquisitionem generalem? Et in hac ad quid teneantur subditi?*

199 *Quando iudex possit procedere sine accusatore?*

200 *Quando possit iudex inquirere in particulari?*

201 *Plura notanda de iudice procedente per inquisitionem.*

197. — **T**RIBUS modis procedi potest contra criminosos: » 1. Viâ accusationis, cum est aliquis actor, qui spondet se » objecta probaturum. 2. Viâ denuntiationis, cum deferens » crimen non vult suscipere onus probandi. 3. Viâ in- » sitionis, quæ est triplex: 1. Generalis, quando in genere » quæritur, an leges serventur. 2. Specialis, quando de certa » persona, et certo crimine quæritur. 3. Mixta, quando vel » sola persona, vel crimen solum est speciale, ut si quærat » quis *Cajum* occiderit.

198. — « Resp. 1. Judex sine ulla data occasione, ex solo officio suo, potest instituere inquisitionem generalem, in qua tamen ejus potestas non extendit se ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est, quia id necessarium est reip. nec cuiquam fit injuria. Ac, licet quorundam scelera detegantur, id fit per accidens, præter intentionem; cui incommodo bonum commune prævalet. Ratio posterioris est, quia inde maxima sequerentur incommoda. *Farin. Less. lib. 2. tr. 28. dist. 13.*

Unde resolves :

« 1. In hac inquisitione, subditus etiam rogatus sub juramento, non tenetur, imò nec potest prodere criminis occultum. *Laym. l. 3. t. 6. c. 4. n. 9. Less. loc. cit.* » (*Est commune cum Salm. App. de Offic. cap. 1. de judice. p. 11. n. 150. cum Trull. Fill.*)

« 2. Si talem revelet, peccat contra justitiam (nisi fortè cederet non tam in pœnam, quàm certam ejus, qui deliquit, emendationem, vel ad grave malum ab aliis avertendum); cùm enim crimen, ut ponitur, probari non possit, ac proinde ex ejus revelatione non possit aliud sequi, quàm infamia, nullum habet jus revelandi. *Laym. ibid. et l. 3. p. 2. c. 4.*

« 3. Si in hac inquisitione ex revelatione duorum, vel trium apprehendatur alicujus criminis auctor, potest per tales testes contra illum procedi, ut habet praxis communis. *Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 12.*

199. — Reverà judex nullum condemnare potest sine accusatore, ut communiter *S. Th. Caj. Sanch. Sot. Less. etc. cum Salm. ibid. p. 5. n. 47.* Sed dicitur aliquando sufficere accusatorem virtuales, qui adesse censetur: I. Quando adest notorietas criminis, ita ut probabiliter negari haud possit; in quo casu dicitur in *c. Ad nostram 21. de jurejur. Manifesta accusatione non indigent, nec in eis ordo judiciarius observandus. Vide Salm. tr. 29. c. 1. p. 5. n. 48.* II. Quando adest infamia publica judicialiter contestata, saltem per duos testes; vel clamorosa insinuatio, id est rumor multorum de crimine. Hæc tamen infamia sufficit tantùm ad inquirendum. *Salm. ibid. n. 49. in fin.* An autem ad inquirendum sufficiant indicia

occulta: scilicet quæ particularibus personis nota sint, vel an requirantur manifesta, id est nota majori parti populi, sive collegii, aut vicinæ, aut majori parti hominum graviorum illius? Primum tenent *Sot. Azor. Nav. apud Salm. loc. cit. p. 10. §. 1. n. 113.* Secundum tenent *Salm. ibid. §. 2. ex num. 119. cum Less. Suar. Sanch. et communiter.* III. Quando crimen patrat coram iudice, aliis adstantibus; maximè, si iudex sit in actu ministrandi justitiam. *Salm. ibid. p. 5. n. 50. et 51.* IV. Quando delictum est contra remp. vel regem, prout in crimine hæresis, vel læsæ majestatis; quando delinquitur in Ecclesia contra ecclesiasticos; quando intenditur vitari electio indigni, aut impedimentum matrimonii; quando reus confessus sit coram pluribus, aut judicialiter coram duobus testibus; quando quis est accusatus; quando adest semiplena probatio, id est unus testis omni exceptione major; quando crimina sunt connexa; quando invenitur occisus dominus (tunc enim inquiri potest contra famulos); quando crimen pendet in futurum, et quando denuntiat minister fiscalis, ut *Sylv. S. Antonin. Fill. etc. contra Sanch. etc.* et utramque esse probabilem ajunt *Salm. ibid. p. 10. §. 5. n. 143.* In his omnibus casibus potest procedi ad inquirendum sine publica infamia, aut rumore, et aliquando etiam ad sententiam. *Vide Salm. ibid. p. 5. n. 53. et p. 10. §. 3. n. 132.*

200. — « Resp. 2. Quando crimen est manifestum, et ignoratur auctor, licet iudici quærere in genere, quis fecerit; » (*Ut Sanch. Vill. Trull. cum Salm. ibid. p. 11. n. 148. contra Caj. etc.*) « non tamen in particulari, v. g. an Petrus fecerit, » nisi infamia aliqua, aut indicia præcesserint. Pars prior patet, tum ex praxi iudicum, tum ex incommodis contrariis. Ratio posterioris patebit ex sequentibus. *Vide Bon. d. 10. in 8. præcept. q. 3. part. 3.*

Communis est sententia cum *Bus.* quòd, nullâ præcedente infamiâ; aut clamorosa insinuatione ut supra, non possit iudex inquirere in particulari (licet possit in genere). Et tunc, si testis ab eo interrogatur, potest iste, imò debet reum celare, ut *Bus. n. 1. et Salm. de Offic. c. 1. de iudice. p. 11. n. 150. cum aliis communiter.* Si tamen testis sponte reum manifestaret, tunc probabiliter posset iudex per inquisitionem contra reum procedere, ut *Sot. Less. etc.* quia iudex ex vi officii ritè procedit contra reum, qui sine suo dolo jam est juridicè cogni-

tus ; secùs verò , si judex notitiam rei à teste injustè extorsit , ut *Salm. ibid. n. 155. cum Nav. Sanch. Less. c. 1. et communi.*

201. — Notandum I. quòd judex procedens per inquisitionem , etiam crimine probato , pœnam diminuere debet ; intelligitur hoc tamen de giudice ecclesiastico , non sæculari. Ita *Salm. ibid. n. 158.* Et intelligitur , nisi crimen sit tale , quòd per illud incurratur irregularitas , ut *Salm. loc. cit.*

Notandum II. quòd prælati nequeunt inquirere contra religiosos in dubio an adsint indicia sufficientia ut suprà ad inquisitionem ; quia in dubio possidet illorum fama , quæ per inquisitionem inde deturparetur ; intellige tamen , nisi imminet periculum damni communis , tunc enim prævalet jus religionis. Ita *Bon. Rodr. Salm. ibid. n. 157. in fin.*

Notandum III. quòd ad inquisitionem specialem plura requiruntur : I. Probatio corporis delicti , nisi sit crimen difficilis probationis. II. Accusator , saltem virtualis , ut suprà *n. 199.* III. Probatio loci , temporis , etc. IV. Judex competens. V. Ut fiat inquisitio , antequam sint transacti viginti anni à die criminis. *Vide hæc , et alia apud Salm. ibid. p. 12. per totum.*

Notandum IV. quòd processus per inquisitionem (etiam in causis religiosorum) sic efformandus est : I. Eligendus est à superiore secretarius actorum. II. Examinandi sunt per distinctos articulos , præstito juramento. III. Si ex testibus nulla semiplena probatio habeatur , nondùm reus potest legitimè interrogari , nec , si interrogatur , ipse tenetur respondere , nisi (ait *Suar.*) sufficienter infamia sit probata , et alia gravia indicia accedant. IV. Demùm , si reus fatetur delictum , proceditur ad sententiam ; si non , proceditur ad eum convincendum , vel ad torturam , si ille vehementer sit de crimine suspectus. Hæc , et alia apud *Salm. tr. 29. c. 1. de giudice. p. 13. à n. 167. ad 173.*

« Resp. 3. Ut judex faciat inquisitionem specialem , debet » saltem regulariter præcedere infamia , vel quid æquipollens , » quod justam det causam. Ratio est , tùm quia alioqui diffamaret sine causa , tùm quia judex procedere debet ex scientia » publica , quam non habet , nisi per accusationem , vel confessionem rei , vel evidentiam facti , vel per infamiam ; ad » quam non sufficiunt duo testes , qui jurent se vidisse crimen » admitti , quia adhuc est occultum : sed requiritur , ut rumor

- » sit sparsus per majorem partem communitatis, id est civi-
- » tatis, viciniae, vel monasterii, neque à maledicis sit exor-
- » tus, etsi hac in re tutum sit sequi praxim communem bono-
- » rum virorum, et rerumpub. ut habent *Laym. l. c. et Less.*
- » *d. 15. n. 19. ex aliis, Bon. l. c.*

Unde resolves casus :

« 1. Antequam judex procedat ad inquisitionem specialem
» vi infamiae; ipsa infamia prius examinari debet, et probari
» per testes, saltem per duos; qui nominent personas, à qui-
» bus id publicè audiverint. *Navar. Reb. de jud. Trull. l. 8.*
» *c. 1. d. 17.*

« 2. Judex infamatum de uno crimine, v. g. adulterio,
» non potest interrogare de alio, de quo non est infamatus,
» v. g. furto; quia esset inquisitio specialis sine prævia infa-
» mia; *Salon. Caj. Trull. l. 8. c. 1. d. 18.* nisi tamen crimina
» sint connexa, vel unum sit circumstantia alterius. *Ibid. et*
» *Sanch. 2. p. cons. l. 6. c. 3. d. 21.*

« Dixi in resp. *regulariter*, quia ad specialem inquisitionem
» non requiritur infamia prævia in casibus certis, quos *vide*
» *apud Less. l. 2. c. 29. d. 15. Bon. tom. 2. d. 10. p. 5.*
» *Sanch. 2. p. cons. l. 6. d. 19. Trull. l. c.*

ARTICULUS III.

Quid liceat judici circa quæstiones, sive
torturam?

202 Quæ requirantur, ut possit procedi ad torquendum reum?

203 Usquequò possit reus torqueri?

204 An semel tortus possit iterum torqueri?

202. — « **R**ESP. 1. Ad torquendum reum (si tamen tor-
» queri potest) requirantur alicujus gravis criminis ea saltem
» indicia, quæ faciant semiplenam probationem, id est,
» reddant rem plus quam probabilem; qualia habentur, v. gr,
» testis unus omni exceptione major, rei confessio extra judi-
» cium, item probabiliter etiam assertio duorum, vel trium
» *Tom. V.*

» criminis sociorum in criminibus exceptis, præterquam vene-
 » ficii (in quo an ex sola denuntiatione complicum, et quo-
 » modò procedere liceat, vide *Tann. t. 3. d. 4. de just. d.*
 » *2. et 3. Laym. l. 3. t. 6. c. 5.*); item fama publica à viris
 » honestis orta, ac per testes probata; cum alterius iudicii
 » adminiculo (nam fama sola non probat, sed habet se instar
 » accusatoris) *Laym. l. 3. t. 6. c. 5. n. 9. ex variis.* Ratio re-
 » sponsi est, quia tortura instituta est ad subsidium proba-
 » tionis, quando argumenta, et indicia sunt valde efficacia,
 » ut sic plena probatio eliciatur: nam confessio rei (si eam
 » ratificet extra torturam, maneatque in ea usque ad se-
 » quentem diem) ex semiplena probatione facit plenam.
 » *Less. l. 2. c. 29. d. 17. Delr. l. 3. §. 3. Laym. l. c.*

« Dixi in responsione, si tamen torqueri potest, quia quæ-
 » dam personæ prohibentur torqueri, nisi in criminibus ex-
 » ceptis: tales sunt viri in magna dignitate constituti, offi-
 » ciales principum, urbium gubernatores, nobiles equestris
 » ordinis, milites, doctores, eorumque liberi, item impu-
 » beres, senes, memoriâ vacillantes, prægnantes, et non-
 » dum confirmatæ à partu. *Delr. s. 9. Binsf. c. 6. C. de Lug.*
 » *d. 37. s. 14.*

Unde resolves:

« 1. Peccat iudex graviter, si non priùs omnia alia me-
 » dia mitiora detegendæ veritatis tentet, quàm ad torturam
 » descendat.

« 2. Torturâ simpliciter abstinendum est, quando adest
 » plena probatio criminis, quia ad hanc ordinatur tortura.
 » *Nav. Less. l. c.*

« 3. Insufficiëntia ad torturam indicia sunt: si cadaver occisi
 » sanguinet ad præsentiam alicujus, si sagæ non possint la-
 » crymari. Item illicita est probatio per aquas, etc. de quibus
 » vide *Del. l. 3. Less. num. 167. Trull. l. 8. c. 1. d. 21.*

« 4. Peccant iudices, qui in causis criminalibus, aut notabilis
 » infamiæ, reum comprehensum, antequam habeant proba-
 » tionem contra ipsum, juramento astringunt ad dicendam
 » veritatem de omnibus pertinentibus ad casum ob quem
 » comprehensus est. *Nav. c. 18. n. 41. et c. 25. n. 36.* Addit-
 » que idem esse, si (etsi sine juramento) minis, terroribus,
 » tormentorum ostensione hominem turbent, et implicant,

» ut sibi contradicens circumstantiam aliquam revelet, quã
» convincatur, et puniatur. *Vide Card. de Lugo d. 40. n. 1.*

« 5. Si iudex extorserit confessionem per injuriam, v. g.
» si extorserit exemptos; si sine sufficientibus indiciis, si dolo
» malo, mendaciis, fictã impunitatis promissione induxerit
» ad fatendum, vel aliter (sive quoad substantiam, sive quoad
» modum) notabiliter excesserit in tortura, confessio nulla
» est, nec potest ex ea procedi: imò tenetur iudex ad com-
» pensationem damnorum, ut docet *C. de Lugo d. 37. s. 14.*
» *n. 157. Vide Less. c. 19. d. 18. Laym. l. 3. t. 6. c. 5. ubi*
» etiam dolos bonos quos *Del.* suggerit iudici, planè rejicit.
» *Vide Tann. t. 3. d. 2.*

« 6. Licet reus confessionem injustè extortam postridiè ra-
» tificet, nihilominus iudex non potest procedere ad punitio-
» nem rei, vel cõplicitis occulti: quia, cum confessio fuerit
» irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta, ex *l. pe-*
» *nult. ff. de quæst.* atque adè etiam cognitio per illud me-
» dium parta est injusta. *Nav. Salon. Less. Sayr. Trull. loc.*
» *cit. disp. 10.*

203. — « Resp. 2. Gravius torqueri potest, contra quem
» graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit im-
» possibile tormenta sustinere, habitã ratione personarum.
» Unde si hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria,
» et habenda pro nulla; etiamsi extra tormenta coram iudice
» ratificet, metu novæ torturæ. *Laym. c. 5. n. 11.*

204. — « Resp. 3. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum
» torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant:
» quia per torturam priora elisit. Si verò crimen in tortura
» fassus, extra eam revocet coram iudice, repeti tortura potest:
» tùm quia indicia manent in suo vigore, tùm ob inconstan-
» tiam. Si verò tertio tortus, ac confessus tertio retractet,
» absolvendus est: quia præsumendum est, vi tormento-
» rum coactam fuisse confessionem, ideòque nullam. *Less. c.*
» *29. d. 17. n. 168.* Excipiunt quidam, si indicia sint gra-
» vissima, quæ violentam præsumptionem pariant, cri-
» men malitiosè à reo negari. *Laym. l. c. Vide Card. de*
» *Lug. d. 37. n. 156. Dian. t. 3. tr. 6. r. 16. et 23. Trull.*
» *l. c. Vide infra hãc d. 6. et 7.* An, quando, et quomodo
» iudex possit interrogare reum de cõplicitibus. *Vide Trull.*
» *l. 18. c. 1. d. 22.*

ARTICULUS IV.

Quid servandum judici circa sententiam,
et pœnam?

- 203 *Quandonam judex inferior possit pœnam relaxare, vel minuere? Quid, si judex sit supremus?*
 206 *An possit judex judicare in causa, ubi fuit advocatus?*
 207 *An possit damnare nocentem, qui juridicè est innocens?*
 208 *Quid, si sciat innocentem, et probatus sit nocens?*
 209 *Quid facere debeat judex, si utrinque sententiæ sint probabiles?*
 210 *Plura notanda super hac materia.*
 211 *An liceat judici accipere munera à litigantibus?*
 212 *An peccent munera dantes judici, vel ejus ministris?*
 213 *Quibus pœnis puniendus judex ob munera iniquam ferens sententiam?*
 214 *Ad quid teneatur judex ferens injustam sententiam?*
 215 *An sententia injusta obliget in conscientia?*
 216 *Ad quid teneatur judex, qui munera accepit?*
 217 *Quid possint accipere commissarii, sive executores?*

205. — « **R**ESP. 1. Judex debet judicare secundùm leges. » Unde inferior judex ordinariè non potest pœnam relaxare, » vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad » bonum reip. aliud necessarium esse dictaret epikeja; vel » nisi de privata tantùm injuria actoris ageretur. *S. Th. 2. 2. » q. 67. art. 4. Reg. l. 25. n. 634. Bon. etc. Trull. l. 8. c. 1. » d. 12.* » (Vel nisi justè interpretetur judex voluntatem superioris; vel nisi adsit alia justa causa, v. g. si ex diminutione pœnæ speretur correctio; vel si reus sponte fateatur crimen, etc. Vide *Salm. Append. de Offic. c. 1. de judice p. 3. n. 31.*)

« Dixi inferior, quia supremus ob justam causam » (Putà, si reus sit bene meritus, vel sit occasio publicæ lætitiæ, etc. (Excipe, si reus sit nocivus reipublicæ) *S. Thom. Suar. Sanch. cum cum Salm. ibid. n. 29.*) « id potest: sine tamen causa graviter » peccaret, secundùm *Caj. verb. Judex*, quia animaret delinquentes, et concurreret ad peccatum. An autem liceat intercedere apud judicem pro liberatione rei? Vide *Bon. l. c. » Trul. l. c.* » (Resp. affirmativè, maximè in iis quæ judex licitè facere potest. *Sot. Lugo, Trull. Salm. n. 32.*)

206. — « Resp. 2. Si in aliqua causa fuit advocatus, in eadem iudex esse, et sententia ferre non potest, *l. Quisquis, c. de postulando, et l. Prætor, ff. de jurisd.* quia iudicium ejus habetur suspectum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi DD. docet *Sanch. l. c. Consil. c. un. d. 26.* (additque *n. 3.* sententiam non fore validam, quod tamen alii negant, si sit iudex ordinarius) *C. de Lugo de just. d. 41. l. 1. n. 4. Vide etiam Dian. p. 3. t. 5. misc. r. 56.* ubi ex *Corduba* sentit talem iudicem in conscientia non peccare, si sine affectu secundum leges, altera parte inscia, iudicet.

207. — « Resp. 3. Quem iudex privatam scientiam scit esse nocentem, si iudicè sit probatus innocens, non potest condemnare: quia iudicat ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam, ac procedere secundum allegata et probata, præsertim in favorem rei. *S. Th. 2. 2. qu. 67. Nav. cap. 25. Caj. Fill. Less. Bon. d. 10. q. 2. p. 2.*

208. — « Resp. 4. Quem iudex privatim scit esse innocentem, si iudicè probatus sit nocens, tenetur omni modo liberare, si potest, v. g. impediendo accusationem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem (si sine majori malo potest), remittendo causam ad superiorem: et si sic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi doctores tenent cum *S. Th. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.* » (*Cum Sanch. Tamb. Vasq. et Salm. tr. 25. de V. præc. c. 1. p. 3. n. 29.*) « ob rationem paulò antè datam, quòd possit condemnare: verius tamen videtur contrarium, quod cum aliis docent *Less. l. 2. c. 29. d. 10. Sa, verb. Iudex. Petr. Nav. Fill. Bon. d. 10. q. 2. p. 2. n. 2. Tol. etc.* » (*Idque valde probabile est, quia damnare innocentem est intrinsecè malum; sicut esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem privatim scit iudex non esse suum maritum: ita fusè Holzman. t. 1. p. 499. ex n. 668. cum Anacl. Less. lib. 2. cap. 29. n. 78. item Nav. Sylvius, Ang. Panorm. Host. Malder. Corduba, etc. apud Salm. l. c. n. 27.*) *Vide Card. de Lug. d. 57. sect. 14.* « quia directè occidere innocentem est intrinsecè malum; ergò quomocumque sciatur esse innocens, erit peccatum. *Less. l. c.* In causis tamen civilibus, et criminalibus minoribus, ubi tantùm agitur de pœnis pecuniariis, potest etiam iudex secundum hos auctores, simpliciter procedere secundum

» allegata, et probata, tum quia innocens per appellationem
 » potest restitui in integrum: tum quia respublica habet po-
 » testatem in bonum suorum civium, quando bonum pu-
 » blicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum
 » judiciorum cum populi scandalo evertatur. » (*Cum Lugo*,
Less. Viva, Bann. Bon. ibid. n. 28. Ambæ hæ sententiæ
probabiles sunt.) « Vide Laym. c. 2. n. 8. Less. dist. 10. Bo-
nac. l. c. n. 4.

209. — « Quæres 1. Quid faciendum judici, cum utrinque
 » sunt sententiæ probabiles in quæstione juris, v. g. an ex
 » testamento minus solemniter debeat hereditas?

« Resp. Debet ferre sententiam secundum opinionem de
 » jure probabiliorē, saltem si sit iudex supremus. Neque
 » tunc videtur tenendum, quod quidam docent, eum satis-
 » facere conscientiæ, si causam adjudicet defendenti se pro-
 » babiliter, licet altera probabilius. Ratio est, quia iudex
 » est constitutus, ut secundum merita causæ, et sententiam,
 » quæ ei maximè videtur rationi consona, causam decidat,
 » quia alioquin esset acceptor personarum.

« Dixi, si supremus sit: quia, si sententia aliqua com-
 » munitè sit accepta in tribunali superiore, iudex inferior
 » videtur secundum eam posse judicare, licet minus proba-
 » bilem: quia videt probabiliorē cum honoris sui præjudi-
 » cio revocandam in superiore tribunali. *Laym. l. 1. t. 1. c.*
3. §. 3. n. 16. ex Sylv. Vasq. etc. Vide tamen C. de Lugo
d. 37. s. 10. »

210. — Adverte hic prop. 2. damnatam ab *Innoc. XI.* quæ
 dicebat: *Probabiliter existimo iudicem posse judicare juxta*
opinionem etiam minus probabilem. Ratio damnationis est,
 quia iudex à republica cum hoc pacto constituitur, ut uni-
 cuique jus suum tribuat, et quidem jus majus habet is, cui
 probabilior opinio favet.

Sed notant DD. I. quod attendenda est illa opinio, quæ
 probabilior est secundum allegata et probata. Hinc dicunt non
 posse iudicem aperire alteri parti, quod ipsa posset pro se
 allegare; quia hoc esset agere munus advocati, quod iudici
 non licet. Ita *Salm. App. de Offic. c. 1. de iudice p. 4. n. 40.*
cum Vasq. Suar. Pal. contra Dicast. Notant II. propositionem
 damnatam loqui præcisè de sententia, quare dicunt, ex illa
 non vetari iudici opinionem minus probabilem sequi quoad

actus, prout examinare testes, etc. sententiam præcedentes. *Salm. ibid. in fin. cum Tap. et aliis cit.*

Quæritur autem hic I. An in causis civilibus paræ probabilitatis possit iudex ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit? In æquali probabilitate facti si jus æquè faveat partibus, communiter dicunt DD. tunc omninò rem esse dividendam. Ita *Lugo de just. d. 37. n. 115. Sanch. de matr. l. 2. d. 41. n. 16. Pal. t. 1. tr. 1. d. 2. p. 10. n. 2. cum Suar. Con. Salon. Bon. etc. contra paucos.* Dubium fit, quando sub opinione est, cui partium jus magis faveat?

Prima sententia tenet in eo casu posse iudicem rem adjudicare cui voluerit, quia cum utraque pars tunc habeat juxta diversas DD. probabiles sententias integrum jus ad rem, benè poterit iudex uni ex iis sententiis se conformare, et tunc nullam alteri parti injuriam infert. Ita *Lugo l. c. Sanch. num. 45. cum Sot. Valent. Salas, Led. Man. Metin. item Palauis*, qui vocat communem (sed immeritò, ut videbimus.)

Secunda sententia verò, quam probabiliorem putant *Salmant. ibid. n. 42. cum Suar. Ban. Conc. Fill. Pradó, Sayr. etc.* et rectius omninò tenendam censent *Ronc. tr. 15. qu. 2. c. 1. q. 9. et Anacl. tr. 1. d. 3. §. 3. n. 62.* docet adhuc in eo casu rem esse dividendam. Ratio, quia iudex non est rerum dominus, sed distributor juxta jura partium; et idè, si jura sunt æqualia, æqualiter inter eas rem dividere debet.

Quoniam tamen jus cæteris paribus magis favet possessori, propterea excipitur I. Si eo casu, quo probationes sunt æquales, vel utrinque adsint opiniones æquè probabiles, una pars bonâ fide possideat; tunc enim ipsi favendum, ut rectè ajunt *Pal. l. c. Salm. tr. 29. c. 1. p. 4. n. 44. et Sporer de Conc. l. 1. n. 69.* et probatur ex *c. Litteris, de probat.* ubi dicitur, quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferuntur. Excipitur II. si agatur de causis matrimonii, dotis, viduæ, pupilli, et aliis causis piis; nam tunc pro iis judicandum, cum jura sunt æqualia, etiamsi sint actores, ex *c. Fin. de sent. et re jud.* Secus verò, si pars opposita jus potius habeat, ex *lib. Si pars, ff. de inoff. test.* Excipitur III. si agitur de causis criminalibus maximè capitalibus, quia tunc omninò judicandum pro reo, etiamsi pro ipso stet opinio minùs probabilis. Ratio, quia

nemo condemnandus, nisi constet de ejus crimine, ex *l. Absentem*, ff. de pœnis, et *l. Sciant. c. de prob.* ubi ad profereandam sententiam sanguinis probationes debent esse luce clariores. Et hanc fuisse mentem Pontificis, cum prædictam prop. 2. damnavit, dicunt *Lumb. Filguer. et alii ap. Salm. ib. n. 43.*

Quær. II. An in causis civilibus debeat judex judicare contra legitimum possessorem, si actori faveat opinio probabilior? Certum est 1. quòd si rationes sint æquales, judicandum pro legitimo possessore, ut probat *Sanch. de matr. l. 2. d. 41. n. 12. cum Soto, Cov. Sylv. Mol. et aliis innumeris, reg. 63. de reg. jur. in 6.* ubi dicitur: *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* Ratio, quia licet in dubio jus sit æquale quoad proprietatem, potius tamen est jus possidentis, qui certus est juris possidendi. Certum est 2. quòd in dubio possessionis, et proprietatis judicandum est pro eo, qui habet rationes probabiliores, id patet ex prop. 2. damnata ab *Innoc. XI.* quæ dicebat: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Ratio, quia judex est constitutus à republica, ut unicuique jus suum reddat secundum merita causæ; unde ipse debet rem adjudicare ei qui pro se jus potius habeat. *Vide Sanch. Dec. l. 1. c. 9. n. 47. Lugo d. 37. n. 116. et Salm. ibid. n. 39.* Dubium fit, si pro actore sint rationes probabiliores, pro quo tunc judicandum? *Tamb. Dec. l. 1. c. 3. §. 4. n. 6.* respondet eo casu judicem tenèri rem adjudicare actori ob eandem rationem mox allatam, quia jus possessionis prævalet in pari causa, non autem in causa minùs probabili. Cardinalis autem *de Lugo, de just. d. 16. n. 99.* dicit, quòd judex non tenetur, sed potest pro actore ferre sententiam, eò quòd potest sequi opinionem probabilem, nempe quòd actor, rationes pro se probabiliores adducendo, satis jus suum probet. Alii verò communiter, ut *Cardenas 1. Crisi d. 16. c. 9. n. 156. et 192. cum Diana, etc. et in dicta prop. 2. diss. 3. c. 4. n. 33. et 59. item Croix l. 4. n. 1485. Elbel t. 1. pag. 70. n. 198. Holzm. t. 1. p. 37. n. 172.* et alius doctus scriptor neotericus, qui (cum *Filguera* in eadem prop. 2.) hanc sententiam vocat communem, satis probabiliter tenent, quòd judex non potest reum legitimè possidentem re exspoliare, si pro ipso stent rationes probabiles, etiamsi pro actore stent probabiliores. Ratio, quia possessio dat jus certum possi-

denti ad rem retinendam, donec constet de jure alterius, ut loquitur *Roncaglia*, dicens: *Titulus possessionis ex communi theologorum sententia elidit rationes probabiliore*s. Idque dicit *Cardenas l. c. n. 143.* probari auctoritate communissimâ Doctorum cum *Bartolo, Innoc. Abb. Jason, Felin, etc.* et pluribus textibus. Unde doctissimus *Cardinalis Sfondratus in Reg. sac. lib. 1. §. 20. n. 11.* scripsit, non esse procedendum contra possessionem, nisi ex certitudine. Cùm enim jus possessionis sit jus certum, non potest elidi nisi ab alio jure certo actoris, et jam probato. Nequit autem dici actor jus suum probare, qui rationes probabiliore

s, non autem convincentes, adducit contra possessorem, qui probabile jus habet. Huic sententiæ se adjungit *Bon. de rest. d. 1. q. 2. p. 2. n. 6.* ubi loquens de obligatione restitutionis, dicit, quòd possessor habens pro se rationem probabilem non tenetur ad ullam restitutionem, etiamsi jus alterius ipsi videatur probabilius, has rationes adducens: *Tùm quia in foro externo non obligaretur ad ullam restitutionem, ergò nec obligandus est in foro conscientiæ, cùm idem esse debeat judicium fori interni et externi; quando forum exterius non nititur falsâ præsumptione; tùm quia possessio certa prævalet rationibus inducentibus in partem oppositam, sed non generantibus assensum.* Ergò ut certum habet hic auctor, quòd etiamsi actor habet pro se rationes probabiliore

s, sed non convincentes, possessor non est judicio exspoliandus re possessâ. Nec obstat textus suprâ oppositus: *In pari causa potior est conditio possidentis.* Ergò (ut ait *Tamb.*) non est potior in causa non pari. Nam respondèri potest, quòd ex textu illo non necessariò inferitur, quòd sententia ferenda sit pro actore habente rationes probabiliore

s contra possessorem legitimum, qui pro se rationem probabilem habet, hoc enim casu potiùs attendi debet illa alia regula juris 11. nimirum: *Cùm sunt partium jura obscura, potiùs favendum est reo, quàm actori.* Dixi *possessorum legitimum*, quia alioquin (ut suprâ diximus) si possessio non esset certa, aut non certè legitima, tunc judex debet jus dicere secundùm opinionem probabiliorem de proprietate, ut omnes docent cum ipso *Cardin. loc. cit. in d. prop. 2.* Et ideò judices communiter res adjudicant habentibus jus probabilius, quia in foro externo difficulter bona fides possessoris probari potest.

211. — Quæritur III. An sit licitum judici accipere aliqua munera à litigantibus? Certum est non licere accipere munera magna, quæ vocant *sportulas*, scilicet pecunias, vestes, et alias res pretiosas. Dubium est, an liceat accipere munera parva quæ vocantur *xenia*, id est esculenta et poculenta? Affirmant Azor. Cajet. Sylvest. Angel. et Menoch. apud Salm. tr. 29. c. 1. p. 7. n. 73. et 74. ex l. Solent, §. Non verò, ff. de Off. procons. ubi dicitur, nomine munerum non venire *xenia*. Probant insuper ex c. Statutum, §. Insuper. de rescript. in 6. ubi Bonif. VIII. sic ait: *Insuper, ut gratis...judicium...procedat, nullum munus... (nisi forsitan esculentum, vel poculentum merè liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi, cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab iisdem partibus qualitercumque præsumat.* Verumtamen contradicunt Salm. ibid. n. 79. et 80. cum Navar. Spt. Cord. et aliis et ajunt prædictam l. Solent, correctam fuisse ex Auth. 2. c. Scriptum et c. Jusjurandum, etc. Textum autem in §. Insuper ut suprâ, ajunt loqui tantum de judice delegato apostolico, non de aliis, ut constat ex c. Cum ab omni, de vita, et honest. cler. et c. Romanæ, de censibus in 6. Excipi tantum dicunt Episcopum dum visitat diocesim, aut Ecclesiam consecrat, qui tantum expensas victus moderatas accipere potest, ex c. Romana. §. Procuraciones, de cens. in 6. Vide Salm. tr. 29. c. 1. p. 7. n. 86. His verò non obstantibus, primam sententiam cum Glossa in cit. §. Insuper nescimus reprobare, dummodò esculenta illa à judice nec directè, nec indirectè postulentur (1), nescimus enim agnoscere, in quo differant judices delegati ab aliis. Sicut autem (ait præfata Glossa) non reputatur simonia: si prælatus regularis gratis aliquid recipit ab eo, qui petit religionem ingredi, ut habetur in cap. Dilectus 30. de simon. in fin. cum nequeat supponi prælatum propter aliquod tenue donum gratis oblatum admissionem ad religionem vendere velle; ita nec supponi potest ob simile munus judicem velle injustam ferre sententiam.

212. — Quæritur IV. Utrum peccet, qui munera dat judici, aut ejus ministris? Distingue, si det sine justa causa, siqui-

(1) = Saltem in hoc, ut ait Lugo, non debet reprobari consuetudo, ubi reperitur legitime præscripta. Hom Ap. tr. 13. n. 66.

dem peccat, coöperando injustæ receptioni; secùs, si cum causa, nempe ad redimendam injustam vexationem; modò periculum sit probabile, quòd aliàs manifesta injustitia sibi inferretur; tunc enim hæc non est corruptio, sed cautio, ut jus suum sibi tribuatur. Ita communiter *Sanch. Cons. l. 3. c. un. d. 3. n. 3. Lugo d. 3. n. 156. Mol. Cord. Pal. etc. as Salm. ibid. n. 89. contra Ledesm. etc. ib. n. 90.* Nec obstant huic leges prohibentes, nam leges intendunt vitare, ne dantes muneribus judices corrumpant, non autem ut justam sententiam obtineant. Notandum autem, quòd dans munera posset post sententiam repetere in judicio, quod dedit, et judex certè ante sententiam illud restituere tenetur, ex *c. Non sanè, caus. 14. quæst. 5.*

213. — Notandum deniquè, quòd judex sæcularis baratriam committens (id est pecuniã corruptus iniquam ferens sententiam) ex legibus dignitate privatur, inhabilis redditur ad ampliùs judicandum, et relegatione punitur: insuper reputatur infamis, et tenetur restituere triplum pro pœna, et omnia damna parti læsæ. Hoc in causa civili. Sed in causa criminali, ubi innocentem damnasset ad mortem, capitis pœnã mulctatur. Judex autem ecclesiasticus suspenditur ab officio per annum, et potest aliã pœnã puniri. *Vide Salm. tr. 29. c. 1. p. 7. n. 94.* Corruptens autem judicem, ut iniquam sententiam proferat, punitur eadem pœnã, quã judex ut suprã. Ita communiter DD. eum *Sanch. de matr. l. 1. d. 54. n. 1.* Addunt *Farinac. et Menoch.* quòd corruptens amittit etiam actionem ad datum repetendum. Dantes autem, aut recipientes pro obtinenda gratia, aut justitia apud Sedem apostolicam incurrunt præterea excommunicationem ipso facto reservatam, et accipientes ad restitutionem tenentur; atque clerici omni officio, aut beneficio privantur. *Vide Salm. l. c. n. 88.*

* Resp. 2. Si opiniones oppositæ æquè probabiles videantur, non licebit uni eorum adjudicare totum pro suo arbitrio, cùm uterque æquale jus habeat, sed suadebit compositionem: imò etiam imperabit, in casu nimis intricato (aliàs enim non licet); vel uni dimidium, et alteri alterum dimidium juris, aut rei, de qua lis est, adjudicabit, memor interim axiomatis, quòd, *si partium jura sint obscura potius favendum sit reo, quàm actori.* *Ib. Bon. de peccatis. d. 2. q. 4. p. 9.*

214. — « Quæres 2. Ad quid teneatur iudex, qui sententiam
» injustam tulit?

« Resp. I. Si dolo, vel (ut dixi *d. 1. art. 1.*) magnâ impe-
» ritiâ id fecit, litem fecit suam, id est damnum partis læsæ
» in se transtulit, cui tenetur restituere. *Bon. d. 10. qu. 2.*
» *p. 4. ex S. Th. etc. Vide supra num. 195.*

« Resp. 2. Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens
» impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem,
» ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscien-
» tia ad restitutionem ex propriis, cùm injuriam formalem
» non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acce-
» perit, vel potius (secundùm alios) cùm culpam theologi-
» cam non commiserit: debet tamen revocare sententiam,
» si potest sine gravi incommodo. *Laym. lib. 3. t. 6. c. 2. n. 11.*

215. — « Quæres 3. An sententia iudicis injusta obliget
» in foro conscientiæ?

« Resp. Sententia injusta ex natura rei, aut ex omissione
» ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falsò
» allegata, et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum
» habet robur in foro conscientiæ; manetque parti læsæ,
» tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absque scan-
» dalo possit, recuperare bona. *S. Th. Sayr. Bonac. d. 10.*
» *q. 2. p. 4. Trull. lib. 8. c. 1. d. 7.* Ratio est, quia sententia
» eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem
» iudicii, hoc est, ut est determinatio juris, et definitio iusti.

« Dixi, *in foro conscientiæ*: quia in foro externo, ubi non
» tam veritas facti, quàm probatio juridica spectatur, sen-
» tentia prolata servanda est, ad evitanda scandala, et incom-
» moda, neque elapso termino (intra quem appellare lice-
» bat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tùm in pœnam
» pigritiæ, tùm ob bonum publicum, ut litium sit finis.
» *Trull. l. 8. c. 4. d. 7. ex Sayr. etc.*

Unde resolves:

« 1. Is, cujus bona per sententiam manifestè injustam adju-
» dicata sunt alteri, potest (nisi alter justè præscripserit)
» per occultam compensationem ea recipere: quia recuperat
» jus suum. *ib.*

« 2. Qui sciens per injustam sententiam malâ fide accipit bona, tenetur ea semper restituere, neque unquam præscribere potest, quia sunt aliena, et possessor malæ fidei nunquam præscribit: imo tenetur expensas restituere, et compensare damna, etiamsi pars læsa non appellaverit, cum non renuntiet ideò juri suo.

« 3. Qui bonâ fide rem postulavit à judice, et bonâ fide accipit, intelligitque ante tempus præscriptionis finitum, fuisse sententiam injustam, tenetur eam, non tamen expensas restituere. Si verò possedit rem bonâ fide, tempore ad præscribendum necessario, non tenetur restituere, quia legitimè præscripsit. *Salon. Sayr. Trull. l. c.*

216. — « Quæres 4. Quid liceat judici circa munera?

« Respond. 1. Etsi à partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet, vel ob scandalum, vel ob periculum pervertendi justitiam, acceptorum tamen dominium comparat, spectato jure naturæ. » (*Hoc est commune, et certum. Salm. de rest. c. 1. p. 7. n. 170.*)

« Resp. 2. Etsi lex positiva munerum acceptionem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis, nisi lex exprimat, quòd non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. *Vide Bon. in 8. pr. q. 2. p. 8. Laym. l. 3. tr. 4. c. 4. n. 9. et 10.*

Quæritur hic, an judex teneatur restituere accepta ante sententiam judicis?

Prima opinio, quam tenent *Sotus l. 4. q. 7. art. 1. ad 2. et Tapia, Cord. Rodriq. Arag. etc. apud Salm. ibid. n. 172.* affirmat, ex *leg. Jurisgentium. ff. de pactis, leg. Si plagii. ff. de verb. oblig. etc.* ubi tales conventiones nullæ declarantur. Et favet huic sententiæ *D. Th. qui 2. 2. q. 62. art. 3. ad 2.* dicit: *Et quia etiam ille, qui accipit, contra legem accipit, non debet sibi retinere.*

Secunda opinio verò negat, et hanc tenent *Lugo d. 18. n. 34. Less. l. 2. c. 14. n. 56. et S. Antonin. Pal. Bon. Nav. Azor. Trull. et alii apud Salm. ibid. n. 170.* qui æquè probabilem vocant. Ratio, quia hæc restitutio non debetur de jure naturæ, juxta dicta *libro 4. num. 712.* nec de jure positivo, quia leges præfatæ, et aliæ vel intelliguntur pro foro tantum externo, vel de restitutione in pœnam criminis, pro qua sem-

per requiritur sententia, etsi non inflictiva pœnæ, saltem declaratoria criminis. Utraque sententia est satis probabilis.

« Resp. 3. Si iudex injustè extorqueat munera, nolens facere quod justum est et debet, nisi ea dentur, tenetur restituere: ut etiam, si quid datum sit ad redimendam vexationem, v. g. ne injustè faveat parti adversæ, ne causam nimis differat. Quamquam hoc casu interdum præsumi possit, datorem remittere obligationem restituendâ. *Laym. l. c. ex Gab. et Reb. etc.*

Certum est igitur, et commune inter DD. quòd quicumque accipit aliquid, ut faciat, aut omittat id quod ex justitia facere, vel omittere tenebatur, acceptum restituere debet. Ita *S. Th. Pal. Lug. Bon. etc. cum Salm. de rest. cap. 1. p. 8. n. 177.* Dixi ex justitia, nam qui non tenetur ad aliquid ex justitia, sed ex charitate, aut alia virtute, benè potest pro eo pretium accipere, quandoquidem quod promittit, est pretio æstimabile, ut rectè censent *Sot. Bon. Lugo d. 18. n. 67.* atque *Salm. ibid. n. 185. in fin. contra Less. Trull. etc. ib.* Iudex igitur, qui ex justitia tenetur justas ferre sententias, certè restituere tenetur pretium acceptum pro justa sententia ferenda; et hoc etiamsi acceperit, non ab una ex partibus, sed ab extraneo, putà illius amico, familiari, ut veriùs sentiunt *Lugo d. 37. n. 126. Tap. Reb. et Salm. ibid. n. 183. contra Sot. Bann. Led. Dic. Vill.* An autem iudex teneatur restituere acceptum pro ferenda injusta sententia? *Vide dicta l. 4. n. 712.*

Sed hinc quæritur, an, cùm justitia est dubia, sive paris probabilitatis, ita ut iudex possit ferre sententiam pro parte, pro qua maluerit (juxta opinionem aliquorum quos retulimus *n. 210. v. Quæritur autem;* quam verò opinionem ut probabilem non admisimus), teneatur iudex restituere quod accepit ab una ex partibus, ut pro ea sententiam proferret? Certum est talem acceptionem esse illicitam ex *propos. 26. damnata ab Alex. VII.* quæ dicebat: *Quando litigantes pro se habent opiniones æquè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia, in favorem unius præ alio.*

Sed *prima sententia* negat acceptionem esse invalidam de jure naturali, quia iudex accipit, ut faciat id, ad quod ex justitia non tenebatur. Ita *Less. lib. 2. c. 14. n. 64.* et probabilem vocant *Trull. Fagund. etc.* Et idè dicunt, si non adsit lex particularis, non debèri restitutionem.

Secunda sententia verò, cui subscribo, contradicit; quia *judex*, sèmpèr ac sententiam fert, exercet actum, ad quem ex *justitia* tenetur; nihil igitur accipere potest pro sententia, quam profert, cùm ad id ex *justitia* teneatur. Ita *Dian. Pal. Mol. Cov. cum Salm. de rest. cap. 1. p. 8. n. 181.*

217. — Circa autem stipendium commissarii, seu executoris, quæritur, an si commissarius mittitur ad plures executiones faciendas, possit à singulis debitoribus integrum stipendium diarium exigere? Affirmant *Lugo disp. 37. n. 138. et Less. lib. 2. c. 24. n. 28.* eodem modo, quo quis locans operam suam alicubi pro alicujus negotio, tantumdem ab alio pro alio negotio posset exigere. Sed negant *Sanch. Cons. l. 3. c. unic. d. 23. Tann. Dian. etc. cum Salm. de offic. c. 1. de judice. p. 8. n. 96.* qui veriùs dicunt omninò tenendum oppositum, quia, ut ajunt, salarium diurnum non datur commissario pro numero executionum, sed pro opere cujusque diei, ideò solum salarium ordinarium exigere potest et aliquid ampliùs quidem, si labor ob numerum executionum sit extraordinarius, ut benè notant *Salm. cit. n. 96. in fin. cum aliis (1).*

Certum autem videtur cum *Sanch. l. c. d. 24. n. 1. Arag. Salon. Sol. ac Salm. ibid. n. 98. et 99.* non posse judicem dividere stipendium cum executeore (et tantò minùs posse executeorem dividere cum alio, ut dicunt; sed hoc non placet): quia *judex* de officio tenetur eligere commissarium; idcirco pro tali electione nullum pretium recipere potest.

DUBIUM III.

Quid sit officium advocati?

218 *Quæ requirantur in avvocato?*

219 *Quibus prohibeatur officium advocati exercere?*

- (1) « Sed tamen hic oportet distinguere, quia *Sanch. et Salm.* loquuntur, cum commissario taxatum est pretium pro occupatione sua cujusque diei et tunc certè, ut concedit *Lugo*, non potest ille plus eo exigere. Sed
- cum commissiones essent disparatæ et assignatum esset salarium speciale
- pro qualibet procuratione, rectè dicit *Lugo*, posse commissarium exigere
- plura salaria pro qualitate executionum, et hoc est quod sentit etiam
- *Lessius, Hom. Ap. tr. 13. n. 68.*

Edit.

14.

220 Quid licitum sit advocato?

221 Quos pauperes teneatur advocatus tueri?

222 An possit advocatus tueri causam minùs probabilem?

223 Quando advocatus teneatur ad restitutionem?

224 An liceat advocato convenire de pretio, incæptâ lite? An de quota litis?

225 Plura notanda circa advocati salarium.

226 Quando peccet advocatus contra suum officium?

218. — «**S**UPPONO secundùm omnes, in advocato quatuor requiri, scilicet scientiam convenientem, justitiam causæ, fidelitatem et pretium justum: quod si taxatum est, non licet ultra hoc accipere: ubi non est taxatum, sufficit justum naturale, ut vide apud Bon.

219. — Sed ante omnia notandum est, vetitum esse munus advocati exercere impotentibus, infamibus, item monachis, nisi interveniat utilitas monasterii, et licentia prælati, ex c. *Ex parte, de postulando*. Item sacerdotibus, sive in foro laicali, sive ecclesiastico, ex c. *Sacerdotibus, ne cler. vel mon.* nisi sit causa propria, vel propriæ Ecclesiæ, vel pauperum, vel consanguineorum infra 4. gradum, modò isti alium advocatum ita idoneum non inveniant. In causa tamen criminali non licet unquam sacerdotibus advocare coram iudice sæculari. *Sanch. Sylv. etc. cum Salm. de Offic. c. 4. de advocat. p. 1. n. 5.* Idem dicitur de clericis in sacris constitutis, sive in minoribus si sint beneficiati, nisi careant patrimonio sufficienti ad victum, ut *Sanch. c. 1. d. 4. n. 7. Panor. Lancell. Sylv. et Salm. ibid. n. 7. et 8.* Si quis autem ex his semel, vel bis causas advocaret contra prohibitionem, non peccaret graviter; secùs, si ex professo, ut *Sanch. etc. cum Salm. ibid. num. 10.*

Sed notandum I. ex communi sententia non esse vetitum clericis non sacerdotibus advocare pro negotiis ecclesiasticis (ratione vel personæ vel rei Ecclesiæ) in quocumque foro. Ita iidem *AA. ibid. n. 7.* Et constat ex *cap. 1. de Postulat. §. Cumque*, ubi clericis tantùm prohibetur advocare in foro laicali pro causis sæcularibus. Notandum II. quòd clerici in minoribus sine beneficio, possunt quascumque causas civiles in quolibet foro advocare. An verò possint in causa criminali? Affirmant alii apud *Salm. ibid. n. 9.* Sed tutiùs negandum ex c. *9. ne cler. vel mon. et c. 1. dist. 51.* Probabiliter tamen licet

reum tueri, ut *Sanch. l. 6. c. 7. d. 3. cum Nav. cum textus loquantur de tuendo actore.*

220. — « Resp. 1. Non potest sub gravi peccato suscipere
 » causam quam scit esse injustam : ex causis autem civilibus,
 » in utramque partem probabilibus, et dubiis potest utram-
 » vis, etiam minus probabilem tueri : dummodò cliens de
 » minore probabilitate moneatur. *Vasq. Salas, Card. de Lugo,*
 » *Dian. t. 4. p. 2. r. 4.* quia utraque pars habet jus profe-
 » rendi suas rationes in iudicio : ergò etiam advocatus patro-
 » cinandi ; neque semper est verius quod videtur probabilius :
 » et fortè aliud erit iudicium iudicis : *Bon. de pecc. d. 2. q. 4.*
 » *p. 9. et in præcepta d. 10. q. 2. p. 4.*

« Dixi, civilibus ; quia in causa criminali dubia non licet
 » tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra
 » reum, ergò etiam advocatus. *Fill. l. 40. c. 1.* neque quando
 » actor contra possessorem agens scit, se nihil posse evin-
 » cere, sed rem mansuram semper dubiam ; quia tunc injustè
 » vexatur possessor ; pro quo tandem iudex debet iudicare,
 » ut vide *Cardinal. de Lugo de just. d. 41. n. 7. Salas in t. 2.*
 » *d. 1. sect. ult. num. 108.*

« Resp. 2. In causa criminali potest reum etiam sotentem
 » defendere, ut mortem, aliamve pœnam evadat, quia reus
 » non tenetur ad pœnam, nisi convictus, ergò potest per se,
 » vel alium, eam avertere, donec convincatur. *Bonac. d. 10.*
 » *q. 3. p. 4. n. 7.*

221. — « Resp. 3. Advocatus tenetur pauperibus in extrema »
 (*Etiam cum suo incommodo gravi non autem gravissimo*), ut
S. Thom. 2. 2. qu. 71. art. 1. quando non apparet in promptu,
quomodo possit pauperi aliter subveniri, item Sanch. Pal. et
Salm. de offic. c. 4. de advocat. p. 2. n. 20. et 21. communi-
 » *ter) « vel gravi necessitate gratis patrocinari ; sine notabili*
 » *tamen suo incommodo. Ratio est lex charitatis. Nav. Cajet.*
 » *Less. Fill. Bonac. l. c. » (An autem in necessitate gravi teneatur*
pauperes tueri sub mortali? Negant Nav. et Caj. Sed verius
affirmant Sotus, Val. Tol. etc. cum Salm. tr. 29. c. 1. de ad-
voocat. p. 2. n. 23. et 24. quando advocatus superfluum habet
suo statui. Tenetur etiam advocatus causas pauperum advo-
 » *care in necessitatibus communibus ; sufficit tamen, si ipse in*
 » *hoc aliquid largiatur ex superfluis, intellige temporis, et divi-*
 » *tiarum.)*

222. — Magna est quæstio, an possit advocatus tuèri causam minùs probabilem. Quòd possit tunc reum tuèri, commune est; dicunt tamen *Val. Sylv. Marin. etc. apud Salm. ib. p. 3. n. 37.* non posse cum opinione minùs probabili defendere actorem. Alii tamen communiùs cum *Bus. ut Lugod. 41. sect. 1. num. 8. Sanch. dec. 1. c. 9. num. 53. Azor. Vill. Lorca, etc.* indistinctè concedunt advocatis tuèri tam actorem, quàm reum in causa minùs probabili, quia, si potest quisque cum jure probabili litigare, potest etiam alius eum tuèri, modò moneat suum clientem de minori probabilitate suæ causæ. Utramque sententiam *Salm. ibid. n. 48. in fine* vocant satis probabilem, sed reverà huic secundæ sententiæ adhærent, sicut et ego. Ratio, tùm quia opinio minùs probabilis decursu temporis potest probabiliior evadere, tùm quia multoties opinio, quæ advocato minùs probabilis apparet, ipsa judicii videtur probabiliior. Notant tamen I. *Lugo, Malder. Diana, et Lorca apud Salm. ibid. n. 36. in fin.* quòd hoc currit, si probabilitas sit juris; nam, si sit facti, etiam in pari probabilitate (quia tunc omninò savendum est reo) communitè dicunt non licère advocato actorem tuèri. Notant II. *Salm. cit. n. 36. in med. cum Lugo l. c.* quòd in causa paris probabilitatis juris commune est inter DD. licitum esse advocare sive pro reo, sive actore.

223. — « 1. Advocatus, qui sciens patrocinator causæ in » justæ » (*Sive qui culpabiliter ignorat causam esse injustam Salm. ibid. n. 32.*) « tenetur ad compensationem omnium da- » mnorum inde consequentium. Unde parti contrariæ resti- » tuere debet ex peccato commissionis, quia fuit illi causa » positiva damni (similiterque, si causam dubiam tueatur, » eamque obtineat fraude; quia intercedit injustitia ratione » partis adversæ): clienti verò suo tenetur restituere ex pec- » cato omissionis; quia ex officio tenebatur monère ignoran- » tem causæ injustitiam. Quod addo, quia, si clienti consta- » bat de causæ injustitia, non tenetur illi restituere. *Bonac. » d. 10. q. 3. p. 4. Less. l. 2. c. 31. d. 8. Fill. Layn. Tann. q. » 4. d. 6. num. 127*

« 2. Similiter peccare, et ad restitutionem tenèri, quando » descendit articulum justum causæ injustæ, ut sic adversa- » rium vexet, impediatur, differatur, aut pervertatur, docet *Trull.*

» l. 8. c. 8. dist. 3. ex Cajet. Sayr. etc. quia censetur defendere causam injustam.

« 3. Quando causa nihil ferè habet probabilitatis, ita ut vix moraliter sit spes obtinendi, eò quòd apud judices semper rejiciatur, regulariter non licet suscipere; tùm quia facit, ut cliens sine fructu tempus, et pecuniam perdat; tùm quia talis communiter non habetur probabilis. *Card. Lugo de just. d. 41.* Quando autem cliens habet bonum jus in causa possessionis, non tamen in proprietate, an liceat advocato eum defendere in causa possessoria (dùm de proprietate non agitur)? Quidam affirmant, negant alii. *Vide Fag. in p. 8. c. 47. n. 13. Mol. t. 1. tract. 2. d. 81. Card. de Lugo l. c. n. 10.*

Alii igitur dicunt licère advocato talem clientem defendere, quia tunc solùm permissivè coöperatur ad peccatum clientis, cum eo casu exercent munus consultoris apud judicem. Sed veriùs contradicit *Lugo d. 41. n. 10. cum Mol. Fagund. Med. etc.* Ratio, quia sicut peccat cliens rem retinendo, sic advocatus in tali retentione ei coöperando; advocatus autem non se habeat ex parte judicis, sed clientis.

« 4. Advocatus, antequam patrocinium causæ suscipiat, tenetur examinare ejus æquitatem, et probabilitatem, eamque clienti indicare sincerè: si enim falsâ promissione, vel inani spe victoriæ, sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem. *Bonac. de pecc. d. 2. q. 4. p. 9.* uti etsi qualitatem, ac statum causæ, seu periculum ejus perdendæ indicare neglexerit, et cliens, eo cognito, litigaturus non fuisset. Quòd si dubium sit, an eo casu litem prosecuturus fuisset, neque id ullâ diligentia cognosci possit, non tenèri advocatum ad damna resarcienda, docet *Bard. d. 4. c. 29.* quòd melior sit conditio possidentis, dùm de damno illato non constat.

« 5. Si clientis causam minùs probabilem, dicat esse omninò justam, tenetur de damno, si cliens, cognito causæ dubio, non fuisset litigaturus. *Bon. l. c.*

« 6. Si in progressu causæ iniquitatem videt, tenetur mox monère clientem, et suadère, ut desistat; aliàs ad restitutionem damnorum obligabitur; quia, cum stipendio sit conductus, tenetur ex justitia monère. *Tann. l. c.* neque potest, vel ipse, vel judex suadère compositionem cum

» damno partis; quia compositio non habet locum, nisi
 » quando res est dubia. Si verò inducat ad transactionem,
 » sine damno, deceptione, vi, et metu, non tenetur, quia
 » nulli facit injuriam. *Val. Azor. Less. Laym. Bon. loc. cit.*

« 7. Non potest absolvi, qui paratus est quasvis causas defendendas suscipere. *Sayr. l. 12. c. 23. n. 18.*

224. — « 8. Non licet cum cliente convenire de pretio, post
 » inchoatam litem, sed vel ante cœptam, vel post finitam,
 » ex *can. Infames, caus. 3. quæst. 7.* quia cliens, postquam
 » sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare,
 » ne prodatur. » (*Si tamen advocatus procedat sine dolo et pretium sit justum, non peccat conveniendo de illo, etiam in medio litis, ita Salm. tr. 29. c. 4. de advoc. p. 3. n. 57. in fin. cum Nav.*)

« Nec licet pacisci de parte aliquota, v. gr. dimidiâ, tertiâ
 » vel quartâ litis, pro pretio, si victoria obtigerit, quia id
 » graviter prohibetur *leg. Sumptus, ff. de pactis, L. Litem, c. de procur. ex can. Infames, §. Arcentur, caus. 3. qu. 7. L. Si qui, cod. de post.* Ratio est, ne præbeatur occasio,
 » per fas, et nefas, procurandi victoriam. Hoc tamen casu
 » non obligatur ad restitutionem, si justum pretium non ex-
 » cedat, et dolus, ac fraus absit. *Vide Sylv. v. Advocatus. Nav. c. 15. Fill. Laym. Bon. Sanch. lib. 3. consil. c. 7. d. 9. et lib. 37. C. de Lug. l. c.*

225. — Notandum est I. quòd advocatus non potest exigere pretium, quantum vult, sed debet exigere moderatè, et respectivè ad gravitatem, et difficultatem causæ, ad scientiam, et dignitatem advocati, atque usum regionis. Si autem pretium sit taxatum à lege recepta, et non abrogata, illi standum; aliàs advocatus, qui pretium notabiliter excedens recipit, peccat, et restituere tenetur. *Vide Salm. tr. 29. c. 4. de advoc. p. 3. n. 53. et 54.*

Notandum II. quòd, si de pretio conveniatur, et cliens deserat causam, advocatus potest totum pretium petere, si per ipsum non stet, quominùs litem prosequatur; pari modo ac locans operam suam pro aliqua mercede, illam bene exigere potest, si per conductorem stat, ne opera compleatur, ut ex *leg. Si uno, ff. de locat.* Ita *Salm. ibid. num. 58. cum Sayr. Vide dicta lib. 4. num. 542. v. Peccant.* Hoc tamen intelligendum dico, si nulla supervenit justa causa litem de-

serendi; hæc enim conditio semper subintelligitur apposita in conventionem facta.

Notandum III. esse valde probabile, quòd si advocatus conveniat de salario cum aliquo per totum annum pro omnibus suis causis tuendis possit salarium exigere, etiamsi nullis in illo anno occurrat. Ratio, quia, si altero anno plures concurrant lites, quæ majus salarium merentur, nequit postea majus salarium exigere: ita *Guttier, et Corellacum Salm. ibid. n. 55.* Hoc autem currit in litibus, et laboribus ordinariis; nam, si occurrat extraordinaria lis, vel labor, non vetatur advocato majus salarium exigere. Benè tamen advertunt è converso *Azòr et Corell. Salm. ibid. n. 56.* quòd si, dum agitur lis, advocatus in infirmitatem incidat, pro rata temporis debet salarium remittere: intellige si infirmitas fuerit longa.

226. — « 9. Peccat advocatus 1. Si, cum non sit idoneus, » officium advocati exercent, et patrocinetur, *l. Nemini, c. de advoc. S. Th. 2. 2. q. 71.* estque peccatum ex genere suo » mortale. 2. Si defendat causam injustam secundum dicta » *cap. 1. 3.* Si ob nimias dilationes, illicitas subornationes » testium, etc. notabiliter officiat parti adversæ, habenti aliàs » justam causam, etc. *Vide Nav. c. 25. Fill. q. 3. 4.* Si utri- » que parti patrocinetur, quia repugnat ut utramque partem » æquè defendat. *Sylv. Sanch. cons. p. 2. l. 6. c. 7. d. 7.* In » diversis tamen causis, secluso scandalo, non repugnat. » 5. Si in eadem causa, in qua est iudex, vel assessor, agat » advocatum; quia duo officia contraria in eadem causa exer- » cere non licet. *Sylv. v. Advocatus, q. 2. 6.* Si, tametsi de- » fendat causam justam, producat scripturas, vel testes fal- » sos; aut instrumenta; non tamen peccat, si in causa ma- » nifestè justa adversarium decipiat, dummodò nulla utatur » falsitate, v. g. allegando falsa, etc. *S. Th. 2. 2. q. 71. art. 7. Sylv. Sanch. cons. p. 2. l. 6. c. 7. d. 7. Trull. l. c. 7.* Si » adducat leges falsas, vel abrogatas, vel doctrinam repro- » batam, vel leges bonas in falsos sensus sciens prudens de- » torqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quærat dilationes » ad rem non facientes. *Vide Fill. Trull. l. c. 9.* Si accipiat » mercedem injustam. Quando autem à lege pretium nullum » taxatum est, censetur illud justum, quod habetur tale ju- » dicio prudentum, attentâ qualitate negotii, dignitate,

» scientiâ, et peritiâ advocati, et labore, quem impendit,
 » ac demùm consuetudine approbatâ. *Vide Trull. l. c. d. 3.*
 » 10. Si contractum usurarium, vel aliter iniquum suadeat,
 » aut probet. 11. Si leges, statuta et consuetudines patriæ igno-
 » ret (unde, si grave damnum clienti obveniat, tenetur com-
 » pensare), vel intelligere non studeat.

• 10. Peccat advocatus contra justitiam, si rationes, et
 » fundamenta clientis, quem justè defendit, vel secreta causæ
 » detegat adversario: ut ex aliis probat *Fag. in p. 8. c. 47.*
 » n. 15. *Vide etiam C. de Lug. l. c. n. 6.* teneturque ad restitu-
 » tionem, si eam ob causam cliens causam perdidit, victurus
 » aliàs; quia fecit contra officium, nec adhibuit diligentiam
 » ad causam obtinendam in favorem clientis. *Az. Fill. etc.*
 » ll. cc. Limitant tamen aliqui, nisi periculum sit, ne pars
 » adversa grave damnum iniquè patiat; quia, ajunt, quili-
 » bet potest sine suo damno grave damnum alterius prohi-
 » bere. *Vide Less. l. 2. c. 31. Azor, Reg. Fill. Laym. l. 1. t.*
 » 1. c. 3. n. 18. Verùm hanc limitationem cum *S. Thom.*
 » alii non admittunt, nisi fortè reus capite plectendus esset,
 » et accusator injustè procederet; tunc enim, ajunt, advo-
 » catus accusatoris deberet falsitatem prodere, si tamen spes
 » esset profuturum, accusatore priùs monito, ut desistat.
 » *Vide C. de Lugo l. c.*

• 11. Advocatus, si causarum expeditiones cum præjudicio
 » clientum differat, postponat, vel plures acceptet, quàm
 » expedire possit, peccat, ac tenetur ad restitutionem, uti
 » et omnium damnorum, quæ per ejus imperitiam, malitiam
 » vel negligentiam cliens, aut actor incurrit; non tamen tene-
 » tur in omnibus causis adhibere eandem diligentiam, sed ma-
 » jorem, vel minorem pro causæ qualitate. *Vide Bon. t. 2. in*
 » *præc. 8. d. 10. q. 3. Less. l. 2. c. 59. d. 9. Laym. t. 1. c. 3.*

DUBIUM IV.

Quæ sit obligatio referentis, secretarii, notarii,
 et procuratoris.

227 *Ad quid teneantur referentes, etc.*

228 *Quando peccent referentes?*

229 *Quando secretarii?*

229 Quando tabelliones, sive notarii?

231 Plura notanda circa notarios, et tabelliones?

232 Quando peccent procuratores?

233 Plura notanda de stipendio procuratoris?

227. — « **R**ESP. Tenentur ii omnes justè, fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantùm, sive etiam ex juramento. Item tenentur scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, præstando omnia necessaria, terminos justos petendo, appellando, cum fuerit necessarium. *Bon. Escob. et comm.*

Unde resolves sequentes casus :

« 1. Peccant, si odio, vel amore, spe, vel timore abstantur officiis suis; si secreta servanda non servant, si partibus, vel earum sollicitatoribus, aliisque tradant processus, vel scripturas originales, quas non debent, accipiant stipendium majus justo, vel ultra pretium taxatum: si lites iniquas suadeant, etc.

228. — « 2. Referens peccat: 1. Si defectu studii, vel per incuriam malè referat, vel aliquid substantiale prætermittat. 2. Si sit partialis, coneturque magis unius partis justitiam, quàm alterius, explicare. 3. Si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. g. judex recusari, etc. *Vide Esc.*

229. — « 3. Secretarius peccat: 1. Si juramentum violet. 2. Si arcanum prodatur. 3. Si sententiam nondum publicatam manifestet. 4. Si processus, aut sententias non custodiat, vel partibus, sine præscripto judicis, ostendat. 5. Si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, vel imminuendo, sive immutando, aut invertendo. *Escob.*

230. — « 4. Tabellio, sive notarius publicus peccat: 1. Si sine sufficienti peritia (v. g. clausulas communes, etc. ignorans) suscipiat officium. 2. Si juramentum violet. 3. Si in depositione testium aliquid addat, vel detrahat non levis momenti. 4. Si ministro transcriptori (cum erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla, et acta negligenter custodiat cum damno partium. 6. Si differat causarum expe-

» ditionem , ut pecuniam extorqueat. 7. Si testamentum scri-
 » bat hominis rationis usu destituti. 8. Si testes falsos admit-
 » tat, 9. Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili ,
 » vel malitia prætermittat. 10. Si testimonium aliquod ne-
 » cessarium , unius rogatu , et alterius damno , non exhibeat ;
 » si conficiat instrumentum usurarium , vel falsum , præser-
 » tim in damnum tertii ; si faciat , ut processus , et causæ
 » veniant ad alios iudices , vel referentes , etc. quàm ordo
 » illius tribunalis postulat : quia multùm interest habere
 » hunc vel illum iudicem. *Escob. Vide Laym. l. 3. t. 6. c. 2.*
 » *Bonac. in pr. d. ult. p. ult.* 11. Si secretum violet , v. g.
 » aperiendo parti adversæ dicta testium ante eorum publica-
 » tionem ; quod esse mortale contra justitiam docet *Trull. l.*
 » *8. c. 7. n. 3. ex Navar. c. 25. n. 52.* 12. Si parti petenti
 » instrumenta occultet , præsertim quæ continent legata. *Nav.*
 » *l. cit. n. 35. Sylv. v. Tabellio , Trull. l. cit. 13.* Si acta oc-
 » cultet , vel parti petenti transumptum processûs neget. 14.
 » Peccat graviter , si amisso instrumento antiquo publico , vel
 » testamento , aliud simile confingat.

231. — Quoad notarios notandum I. quòd infames infamiâ
 juris aut facti , nulliter instrumenta conficiunt. *Salm. de*
offic. c. 3. p. 1. num. 2. Nota II. clericos in sacris , vel
 beneficium habentes non posse exercere munus notarii , nec
 etiam in foro ecclesiastico publico. *Salm. cum aliis ibid. n. 5.*
 Nota III. quòd tabelliones nequeunt recipere aliquid à liti-
 gantibus ultra pretium justum. Sed dubium est , an lex taxam
 ipsis statuens obliget in conscientia ? Affirmant *Nav. Trull.*
etc. apud Salm. ibid. p. 3. n. 18. cùm sit lex justa. Sed negant
Machad. et Fagund. , quia hæc lex est pœnalis , vel saltem
 mixta , ideòque non obligat in conscientia (ut de lege mixta
 tenent *Vill. Dian. et alii*). Negat etiam *Lugo cum Turrian.*
et aliis ap. Salm. ibid. n. 19. sed aliâ ratione ductus , nempe
 quia , cùm tabelliones , et alii ministri justitiæ vivere debeant
 ex stipendijs proprii officii , et tractu temporis augentur pre-
 tia rerum , ac expensæ , juxta morem circa victum et vesti-
 tum , ideò non injustè ipsi aliquid exigunt supra taxam ; ma-
 ximè si attendantur circumstantiæ laboris , et peritiæ. Et hanc
 sententiam *Lugonis* dicunt *Salm. ibid. n. 20.* vidèrè hisce
 temporibus conformiorem æquitati. Cæterùm , communiter
 loquendo , docent DD. hos tabelliones peccare , si ultra justum

pretium, aliud, etiam per modum doni, à partibus accipiant, quia talia munera coactè, non spontè præstantur. Ita *Navar. Rodr. etc. cum Salm. ibid. n. 22.* Advertunt tamen *Salm. ibid. n. 24. et 25. cum Lop. et Mercad. Rodr. P. Nav.* quòd benè tabellio extraordinarium stipendium recipere potest, si extraordinarium præstet laborem, nempe, si cogatur celerius, quàm par sit, tradere transumptum, adire longinquum locum, vel laborare noctu, etc.

252. — « 5. Procurator peccat, si litem procuret injustam. » 2. Si plures causas suscipiat, quàm possit expedire » (*Ita Panorm. et Caj. cum Salm. de offic. c. 6. p. unic. n. 4.*) « 3. Si » plùs mercedis accipiat, quàm justum. 4. Si suadet reo, vel » parti, ut injustè veritatem neget. 5. Si suà incurià, negli- » gentià, aliàve culpà, causa sit, ut lis perdatur. 6. Si nomine » partis juret, sine particulari ejus informatione, cum peri- » culo pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adsit, futuri » incommodi metu, etc. *Vide Escob. Laym. l. c. Bonac. q. 3. » p. 4. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si dif- » ferat causam, vel pervertat judicem, petat terminos im- » pertinentes, aut dilationes superfluas. 10. Si falsos testes » inducat. Vide Sayr. l. 12. c. 14. Fill. t. 40. c. 10. n. 294. » Trull. l. 8. c. 6. dub. 1. » (Vide *Salm. loc. cit.*)*

253. — Quær. I. An procurator, si habeat advocatum, aut tabellionem, qui gratis inserviat, possit justum pretium illis debitum sibi retinère? Resp. negativè: si advocatus, aut tabellio serviant magis in gratiam clientis, ut *Bon. Panorm. etc. cum Salm. ibid. n. 6.* Si autem serviant in gratiam simul procuratoris, et clientis, dicunt *Bon. et Bass. ibid.* quòd tunc nihil etiam retinère possit, quia in dubio melior est conditio clientis, qui possidet. Sed (addo) hoc currit in dubio; nam, si verè fiat remissio etiam intuitu procuratoris, cur ille retinère non poterit saltem partem pretii juxta prudentum arbitrium? modò, intellige, nisi donatio absolutè fiat clienti, etsi in gratiam procuratoris.

Quæritur II. An, si procurator alium substituat procuratorem, possit partem salarii illi tradere, et partem retinère? Affirmant probabiliter *Salm. ibid. n. 7. cum Sayr. Ripa, Ang.* modò illum admoneat de agendis, et insuper suscipiat ipse in se periculum causæ, si fortè ob negligentiam substituti causa amittatur: procurator enim tenetur etiam ex culpa levi circa

causæ defensionem : hic enim intervenit duplex contractus justus , unus cum cliente , alter cum substituto.

Quæritur III. An , si procurator ipse se offerat ad causam tuendam , possit justum pretium exigere ? Alii negant ; *Bassæus* verò affirmat , nisi ab initio animum habuerit suam opus donandi , vel nisi cliens sit amicus , vel consanguineus , et procurator causam suscipiens , nihil de pretio cogitaverit , tunc enim dicunt DD. censeri voluisse gratis defendere. Sed ego tanquam minus sapiens dico , quòd procurator , nisi certè sciat donasse suum laborem , semper justum pretium recipere potest , nemo enim præsumitur donasse , nisi constet , quia donare est perdere. Immò , etiamsi internè donasset , nisi talis donatio ab alio fuerit acceptata , adhuc posset salarium exigere , juxta dicta *de contract. l. 4. n. 725*. Cliens autem , si procurator est amicus , vel consanguineus , potest tunc justè præsumere donationem , ut dicunt *Trull. et Bass. apud Salm. tr. 29. c. 6. p. unic. n. 10*. Et huic doctrinæ nec etiam acquiescerem , nisi aliæ circumstantiæ concurrerent , quæ præsumptionem certam facerent donationis factæ.

Quæritur IV. Si quis litigans mittat procuratorem ad advocatum , ut iste efformet aliquam petitionem , aut consilium , sed quia res est facilis , procurator ipse scripturam conficit , et advocatus tantùm eam subscribit , utrùm procurator possit inde ex pretio , quod cliens mittit ad advocatum , partem sibi retinere ? Affirmant *Bon. et Trull.* quia , ut dicunt , tunc nemini fit injuria , non advocato , quia pars illa jam ei sufficit pro sua mercede ; non parti , quæ jam habet , quod quærit. Negant tamen *Salm. ibid. n. 11. cum Tol.* quia procurator ageret contra voluntatem clientis , qui , si scivisset scripturam à solo procuratore confectam esse , minus pretium dedisset , quàm tradidit : sed hæc ratio non aliud probat , nisi quòd procurator minorem pensionem sibi retinere debet , non autem nullam.

DUBIUM V.

Quod sit officium accusatoris ?

234 Quæ sint cavenda ad servandam justitiam accusatoris ?

235 Quæ requirantur ad legitimam accusationem ?

236 An , et quis teneatur alterum accusare , vel denuntiare ?

- 237 *An teneantur ad restitutionem pœnæ, obstricti ex officio ad denuntiandum, prout custodes gabellarum, si non denuntient?*
- 238 *Qui prohibeantur accusare?*
- 239 *Quando illicitum est crimen denuntiare?*
- 240 *An correctio fraterna debeat præcedere accusationem?*
- 241 *Quando verò liceat accusare sine prævia monitione?*
- 242 *Quid notandum circa denuntiationem evangelicam?*
- 243 *Qu. I. An liceat deferre prælato ut patri crimen occultum, omissâ correctione?*
- 244 *Qu. II. An crimen possit prælato denuntiari, si reus sit emendatus?*
- 245 *Qu. III. Quid in dubio, an correctio melius fiat per prælatum?*
- Qu. IV. An liceat renuntiare juri fraternæ correctionis?*
- 246 *Quid notandum circa denuntiationem judicialem?*
- 247 *An possint cogi à prælato denuntiatores evangelici ad faciendam denuntiationem judicialem?*
- 248 *Quid notandum de monitoriis?*
- 249 *An sit obligatio denuntiandi hæreticos cum periculo gravis damni?*
- 250 *An teneamur denuntiare hæreticos nobis conjunctos?*
- 251 *Quæ crimina denuntiandi tanquam de hæresi suspecta?*
- 252 *An, et quando denuntiandi blasphemî?*
- 253 *An denuntiandi superstitiosi?*
- 254 *An denuntiandi sint negligentes denuntiare?*

234. — « **R**ESP. Ut in accusatione servetur justitia, ca-
 » vanda sunt tria: Primum est calumnia, id est impositio
 » falsi criminis, vel ejus, quod sufficienter probari nequit.
 » Et hæc inducit obligationem restituendi, et subeundi vel
 » pœnam talionis, » (*Sed hæc pœna ex generali consuetudine*
vim amisit, ut dicunt Covarr. et Gomez apud Salm. de offic.
c. 2. p. 1. §. 1. n. 4.) « vel aliam, arbitrio judicis. Secundum
 » est prævaricatio, id est, collusio cum reo, et simulata tan-
 » tum accusatio: quæ in criminalibus, si reipublicæ damnum
 » sequatur, obligationem restitutionis inducit. Tertium est
 » tergiversatio accusationis inchoatæ, absque justa causa. Quod
 » addo, quia cum causa, v. g. ob imperium principis, vel
 » judicis, quòd intersit reip. talem personam non puniri,
 » vel infamari, vel quòd in accusatione defectus substantialis
 » sit commissus, potest desistere, imò tenetur, si in pro-
 » gressu causæ cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de
 » crimine, si videat, se non posse probare. *Fill. t. 40. c. 7. n. 705.*

235. — Notandum I. quòd ad legitimam accusationem quinque requiruntur: 1. Ut fiat in scriptis, vel saltem scribatur à tabellone. 2. Ut ibi exprimat nomen accusatoris, et rei. 3. Ut exprimat species delicti, et etiam nomen socii, si sit crimen adulterii, sodomie, et simile. 4. Ut exprimat tempus, locus delicti, et etiam hora, si reus id postulet. 5. Ut accusator accusationem subscribat, ut sic obligatus sit ad crimen probandum, aliàs ad pœnam subeundam. Et hinc notanda est differentia, quæ est inter denuntiationem fraternam, denuntiationem judicialem, et accusationem. *Denuntiatione fraterna* fit superiori tanquam *patri*, ut reus emendetur. *Denuntiatione juridica* fit superiori tanquam *judici*, ut reus puniatur, sed sine obligatione crimen probandi. *Accusatio* autem fit *judici*, ut reus mulctetur, cum obligatione delictum probandi, et ideò hæc omninò fieri debent in scriptis. Ita *DD. comm. Vide Salm. ibid. n. 5.*

236. — « Quæres, an, et quis teneatur alterum accusare?

« Resp. 1. Privatum rarò ad id tenèri; tùm ex praxi timoratorum; tùm quia aliàs tribunalia essent plena accusationibus, cum perturbatione reip.

« Dixi 1. *privatum*; quia si quis à republica stipendium ob hoc accipiat, v. g. fiscalis, etc. tenetur ex justitia, et consequenter ad damna, omissione accusationis secuta. *Fill. Bon. in 8. pr. d. 10. q. 3. p. 1.*

« Dixi 2. *rarò*; quia, si exigat bonum publicum, v. gr. si proditio imminens, vel grave damnum vitæ innocentis aliter averti non possit, et crimen facilè probari possit, tenetur etiam privatus accusare, vel saltem denuntiare; id tamen ex charitate tantùm, quæ restitutionem non importat. *Fill. Bon. l. c.*

Sed hæc omnia fusiùs examinanda. Quæritur an aliquando teneamur alium accusare, vel denuntiare? Affirma in sequentibus casibus:

Et I. Quando agitur de communi damno vitando, et possit crimen probari; tunc enim docet *S. Thomas 2. 2. q. 68. art. 1.* obligationem esse accusandi. Crimina autem contra bonum commune sunt hæresis, rebellio, falsificatio monetarum, homicidia, et furta ab assassinis, aut viarum grassatoribus: addunt alii subornationem suffragiorum in cathedris, et in aliis electionibus. Et *Lugo* addit peccatum religiosi, quod pro-

labiliter damnum religioni afferret. Si verò crimen probari nequeat, sufficit ut reus denuntietur. Et communiter videntur DD. concludere satis esse in hisce temporibus delictum denuntiari; ne ob metum pœnæ incurrendæ, si illud non probetur, deterreantur homines à denuntiatione criminum cum gravi damno communi. Ita *Lugo de just. d. 38. s. 1. n. 2. Sanch. cons. l. 6. c. 2. d. 2. n. 2. Caj. Sot. Bann. Trull. Villal. etc. apud Salm. tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 10.* Et sic servi, ac filii denuntiare tenentur etiam delicta domini, et patris in commune detrimentum vergentia, ut *Salm. ibid. cum eisdem.* Si verò crimen jam sit patratum, nec ullum damnum exinde immincat, quia delinquentem jam constet esse emendatum, (excepto crimine hæresis) non est obligatio denuntiandi, ut *Tol. Fill. etc. apud Salm. tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 11.*

II. Tenemur denuntiare delictum, si immineat grave damnum innocenti. Quòd autem tunc teneamur etiam reum accusare, si crimen probare possumus, ut dicunt *Tol. Sot. etc. apud Salm. ibid. n. 12.* hoc difficilè accidere posse censeo, cum hæc obligatio sit tantùm ex charitate, quæ non obligat cum gravi incommodo: hoc enim accusantes ordinariè subire solent; tantò magis si denuntiatio, pariter ac accusatio, damnum satis impedire potest. Immò addo, quòd nec etiam denuntiare teneretur is qui ex denuntiatione grave incommodum subire prudenter timeret; nisi commune damnum immineret.

III. Tenentur crimen denuntiare, vel accusare, qui ad id à rep. vel à dominis stipendium accipiunt, ut sunt fiscales, aut custodes agrorum, gabellarum, etc. Aliàs tenentur ad restitutionem damnorum, quæ recip. vel dominis ob omissionem accusationis obveniunt. Ita *Busemb. hic cum Fill. Nav. Bann. etc. communiter apud Salm. ibid. n. 13.*

237. — An autem hi teneantur restituere valorem pœnæ, si non denuntiant? Affirmant valde probabiliter *Sotus l. 1. de just. qu. 6. art. 6. vel 9. Laym. l. 3. s. 5. tr. 2. c. 7. num. 4. Mol. tom. 1. tr. 2. d. 95. n. 36. Sporer t. 1. c. 3. n. 59. cum P. Nav. Med. et Salon.* Ratio, quia omittendo denuntiationem, ad quam tenebantur ratione officii, sunt causa, ut fiscus, vel dominus non exigat pœnam, ad quam jus habet. Sed satis probabiliter negant *Lessius l. 2. c. 13. num. 73. Lugo de contr. d. 37. n. 102. Salm. de rest. c. 1. p. 5. §. 3. n. 136. Sanch. de*
15.

matr. lib. 10. d. 8. n. 14. cum Nav. Met. Angles, Salon. Bann. Lop. Manuel, Graff. item Diana 3. p. tr. 6. r. 33. cum Vasq. Tann. Az. Arag. Ratio, quia lex pœnalis non intendit, ut fiscus, vel domini mulctis ditentur, sed ut ipsi serventur indemnes et transgressores puniantur. Indirectè autem et per accidens lex præbet jus, ut inde mulctæ exigantur, sed post sententiam; nam ante illam neque fiscus, neque domini ad pœnam jus ullum habent. Unde, licèt fiscales non denuntiando peccent contra justitiam legalem, non autem peccant contra commutativam respectu ad mulctam, et idè tantùm tenentur resarcire damnum vectigalium, quæ mercatores solvere debuissent. Idem dicunt *Less. loc. cit.* et probabile putant *Sporer loc. cit. ac Lugo de just. d. 37. n. 97. cum Salas, etc. (contra Suar. Ang. Sylv. etc. ibid.)* de iudice non ferente sententiam de mulcta contra reos convictos. Idem tenent *Salm. tr. 11. cap. 2. p. 3. §. 4. num. 76.*

IV. Tenetur aliquando aliquis denunciare, immò etiam accusare delinquentem, si hoc sit necessarium ad vitandum, seu resarciendum damnum propriæ familiæ, quæ aliàs remaneret dehonora, vel destituta alimentis. Ita *Sanch. Cons. 1. 6. c. 3. dub. 26. n. 4. et 7. Sol. Bann. Nav. etc. ap. Salm. tr. 29. c. 2. p. 1. §. 2. n. 14.* Et notat *Sanch. cum Gom. ib.* quòd iudex aliquando ob bonum commune compellere potest offensum, ut talem declaret, quis eum læserit, ut inde procedere possit ad inquirendum; intellige quando reverà aliàs damnum commune imminet, putà conjurationis, erroris in fide, et similium.

Sed exceptis his casibus, nemo tenetur alium accusare; et quamvis possit, si sine odio accuset, sed zelo justitiæ; attamen difficilè expers erit affectu vindictæ is qui contra suum offensorem accusationem proferret, cùm accusatio de se intendat punitionem rei, ut diximus *de præc. char. l. 5. n. 29. v. Licet.*

238. — « Resp. 2. Accusare prohibentur 1. Excommunicati, » proditores, infames; idque in pœnam criminis. 2. Filii, » servi, suos parentes, vel dominos, ob reverentiam. 3. Clerici in causa sanguinis, ob indecentiam. *Less. l. 2. c. 30. d. 5.*

Quæritur, quinam prohibeantur accusare? I. Prohibentur excommunicati, infames, publici concubinarij, aut usurarii, de majoribus criminibus accusati, nisi prius innocentes se de-

monstrent : item fœminæ , impuberes. Excipe tamen 1. Si isti prosequantur causam propriam , vel suorum usque ad 6 gradum. 2. Si crimen sit contra legem divinam , aut humanam , cujus violatio cedat in damnum tertii. 3. Si crimen sit contra bonum commune. Quicumque autem , etsi non possit accusare , potest tamen denunciare. *Vide Salm. de offic. c. 2, p. 2. n. 26.* II. Filii non possunt accusare parentes , nec è converso ; neque servi dominos , nisi crimen sit læsæ Majestatis , vel hæresis. *Salm. ibid. n. 27.* III. Laïci nequeunt accusare clericos , nisi clericus sit dilapidator bonorum Ecclesiæ , aut hæreticus , simoniacus , sacrilegus , etc. Vel nisi laïcus causam suam , vel suorum prosequatur. Item nec clerici accusare possunt laïcos , aut religiosos , qui tantùm à religionis ejusdem ordinis accusari possunt. *Salm. ibid. n. 28.*

Sed hic quæritur , an religiosus possit accusare suum prælatum ? *Affirmat. ex c. Ex parte tua , de accus.* Tria enim ibi habentur : 1. Quòd monachi nonsunt repellendi ab accusatione prælati eorum judicè regulari , aut competenti. 2. Quòd tunc expensæ pro lite de bonis monasterii eis sunt subministrandæ , si peculium ipsi non habeant. 3. Quòd monachi nequeunt accusare laicos sine licentia abbatis. *Vide Salm. ibid. n. 50. et 51.*

IV. Inimicus repellitur ab accusando delinquentem ex c. *Cùm oporteat , de accus.* Et hoc valet etiam in criminibus exceptis ; ut suprà , præter hæresim. Est commune cum *Salm. ibid. n. 55.* Ratio , quia tunc præsumitur accusatio semper procedere ex affectu vindictæ. V. Pariter repellitur socius criminis , ex *leg. fin. c. de accus.* Excipiuntur tamen , quoad hoc , crimina hæresis , læsæ Majestatis , falsificationis monetæ , sodomix , furti famosi , et omnia alia , quæ sine socio fieri possunt. *Vide Salm. ibid. n. 57.* VI. Nequeunt clerici accusare in causa sanguinis , ex *can. Sacerdotes , caus. 2. qu. 7.* Sed dubium est , an valeant accusare ad resarciendam injuriam propriam , vel suorum , vel suæ Ecclesiæ. Affirma , dummodò clericus (si sit causa sanguinis) præmittat expressam protestationem , se non intendere , ut judex ad pœnam sanguinis procedat ; tunc enim , etiamsi reus ad mortem damnetur , irregularitatem effugiet. Hoc habetur ex c. 2. *de homic. in 6.* *Vide Salm. ibid. n. 59. et 40. et vide l. 7. num. 468.* Nominè autem suorum , quinam veniant ? Alii censent venire consanguineos usque ad 10 gradum. Alii usque ad 7 vel 6.

Alii usque ad 4. Sed *Salm. tr. 29. c. 2. p. 2. n. 42.* tenent nomine suorum tantum servos venire, quia textus, ut supra, concedit clericos accusare tantum *suos malefactores*; per to suos igitur non venire inferunt malefactores propinquorum. Attamen ipsi *Salm. alibi, et alii cum P. Conc.* probabiliter permittunt accusare, ad reparandum damnum cognatorum usque ad 4 gradum. *Vide d. l. 7. n. 468. ad III.*

239. — « Resp. 3. Non tenèris imò nec debes, etiam po-
 » sito superioris præcepto, denuntiare crimen: I. Si delin-
 » quens emendatus est, sine periculo recidendi, et parti læsæ
 » est satisfactum, nec periculum imminet aliis: nec crimen
 » est notorium; quia sine causa proximi infamia sequeretur.
 » *Vide supra l. 3. t. 3. c. 2. d. 4.* II. Si crimen nosti sub
 » secreto naturali, tamquam consultor, advocatus, etc. nisi
 » tamen is, qui secretam commisit, innocentem, vel remp.
 » injustè vexaret, nec vellet desistere. *C. de Lug. de just. d.*
 » *14. n. 242.* III. Si inde immineat grave periculum honoris,
 » vitæ, et rerum tuarum. IV. Si etiam probare cogereris,
 » nec posses. *Vide C. de Lugo dist. 38. sect. 2.*

240. — Quær. hic, an accusationem præcedere debeat correctio fraterna? Plura hic sunt distinguenda:

Et I. Si crimen est publicum, quia de eo adest infamia, vel notorietas, nempe coram pluribus in platea, tunc nulla correctio est præmittenda. Ita *S. Thom. 2. 2. q. 53. a. 7. Sanch. c. 2. d. 28. n. 3. Sot. Palud. et Salm. ibid. p. 1. §. 3. n. 20. cum communi.* Ratio, quia tunc *non est tantum* (verba *S. Thom.*) *adhibendum remedium ei, qui peccavit; sed etiam aliis, in quorum notitiam* (crimen) *devenit.* Et ideò crimen publicè est puniendum.

II. Si crimen non est publicum, etsi paucis notum, tunc correctio est præmittenda, si speratur fructus: quia tunc non respiciendum est bonum commune, sed peccantis, qui faciliùs emendabitur per secretam monitionem, quàm per publicam punitionem, ut *ex c. Si peccaverit, caus. 2. qu. 1.* Ita *Sot. Caj. Pal. Less. cum Salm. ibid. n. 24.* Advertit tamen *Less. l. 2. c. 30. n. 10. 11. et 12.* et consentit *Palauz*, quòd, si crimen probare possis in iudicio (putà per duos testes), licèt tunc tenearis ex charitate proximum monèrè ante accusationem, ut à crimine desistat, non peccas tamen contra justitiam, si accuses; quia semper prodest ad commune bo-

num crimina puniri. Et tunc tenetur judex accusationem recipere, et in causa procedere, si aliàs timeat scandalum in republica eventurum. Secùs, si scandalum absit, quia judex tunc teneretur ex præcepto naturali charitatis accusationem non admittere. Ita *Salm. tr. 29. c. 2. p. 2. n. 47. et 48.*

241. — Non peccas verò neque contra justitiam, neque contra charitatem, si accuses sine prævia monitione, in duobus casibus: I. Quando crimen est in damnum reipublicæ, ut conjuratio, delictum læsæ Majestatis, etc. si signanter hæresis, pro qua maximè est notanda prop. 5. damnata ab *Alex. VII.* quæ dicebat: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Ratio, quia in his criminibus nunquam, aut rarissimè ex correctione speratur fructus, et mora valde nocere potest. Ita *Less. l. c. n. 13. Pal. Sanch. Vill. Trull. Bon. et Salm. ibid. p. 1. §. 3. n. 22. cum communi.* II. Quando alià viâ non possis damnum passum tibi resarcire, nisi invasorem accuses; tunc enim potes accusare, ut saltem per pœnam rei tibi injuria reparetur: modò absit affectus vindictæ (quod autem difficilimum esse reputo). *Salm. ibid. num. 25. Sanch. Trull. Salon. etc.*

Hic operæ pretium est aliqua adnotare de *denuntiatione*, quæ est duplex, ut suprâ dictum est. Alia *evangelica*, quæ defertur superiori, ut *patri*, ad rei emendationem; alia *judicialis*, quæ defertur superiori, ut *judici*.

242. — Et primò quoad denuntiationem *evangelicam* sive *paternam*, notandum I. Quòd si crimen proximi est reipub. vel communitati perniciosum, quamvis sit occultum, statim prælato denuntiari debet, nullâ fraternâ correctione præmissâ, ut communiter docent DD. *cum S. Th. 2. 2. q. 33. art. 7. et Laym. l. 3. tract. 3. p. 2. c. 4. n. 4.* Si verò crimen non est communitati damnosum, sed tantùm ipsi delinquenti, tunc servandus est ordo correctionis traditus in Evangelio *Matth. c. 18. v. 15.* ubi legitur: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Notandum II. Quòd si post secretam correctionem frater non emendatur, tunc crimen, antequam aliis ma-

nifestetur, denuntiandum est prælato tanquam patri, ut paternè corrigat. Ita *S. Th. d. q. 33. a. 8. ad 4. cum S. Aug. in Epist. 109. ad Mon.* cujus verba affert *Laym. l. c. n. 6.* Ratio, quia superior, ut spiritualis pater, magis idoneus est ad juvandum fratrem, quàm alii; nec decet in congregatione, ut alii crimen sciant priùs quàm prælatus, qui salubriùs medelam afferre potest.

243. — Sed quæritur I. An liceat deferre prælato ut patri crimen occultum, communitati non perniciosum, secretâ correctione omissâ? Tres adsunt sententiæ:

Prima generatim affirmat cum *Angel. v. Denuntiatio, n. 10. et Gabr. Rosel. Turrian. apud Laym. l. 3. de just. tr. 3. c. 4. n. 3.* qui dicunt hoc saltem in religionibus permissum esse ob bonum observantiæ commune.

Secunda sententia huic omninò opposita cum *Adrian. Cordub. Sot. etc. apud Sanch. Dec. l. 6. c. 18. n. 46.* tenet necessariò præmittendam esse correctionem secretam.

Tertia sententia longè communior, et longè probabilior docet, benè posse denuntiari crimen occultum prælato prudenti tanquam patri, nullâ præmissâ correctione, si speretur sic meliùs emendatio fratris obtinèri. Ratio patet, quia finis hujus præcepti fraternæ correctionis, ut dicunt *S. Th. et alii ut infra*, alius non est quàm charitas erga fratrem; sed hic finis charitatis duplex est, alter principalis; alter minùs principalis. Finis principalis est, ut frater emendetur, et idèò præcipitur correctio: finis minùs principalis est, ut servetur, quantum fieri potest, fama fratris, et idèò præscribitur ordo secretæ correctionis præmittendæ; quare, cum creditur magis expedire ad finem principalem, scilicet ad emendationem fratris, ut correctio fiat immediatè à prælato, cessare debet finis minùs principalis, et idèò rectè omittendus ordo secretæ correctionis. Ita *S. Th. Quodlib. 11. art. 13.* ubi S. Doctor distinguit inquisitionem, accusationem, et denuntiationem, in quâ dicit observandum esse finem ejus, nempe ut frater emendetur: *Utrum autem (addit) statim, cum quis scit fratrem suum peccasse, debeat denuntiare prælato, dico quòd in his distinguendum est de conditionibus subditi, et prælati; nam, si ego scio quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare prælato; si autem videtur quòd hoc meliùs fiat per prælatum, et prælatus nihilominùs sit pius, discre-*

tus, et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licitè potest hoc denunciare sibi: et tunc non dicit Ecclesiæ, quia non ei sicut prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et emendam. Et paulò post subjungit: *Idèò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper servanda est charitas, et quòd melius et magis expedire videtur. Et si hoc intendat, scilicet emendam proximi, servet quantum potest bonum charitatis, tunc denunciando non peccat.* Idem docet S. Bonav. in illud S. Lucæ: *Si peccaverit, etc. c. 17. v. 3.* et ita dicunt Sanch. Dec. l. 6. c. 18. n. 46. cum S. Antonin. Gers. Abulens. Salmer. Sa, Sylv. Tabien. Ricc. Ang. Waldens. Armill. Graff. Arag. Manuel. Philiarth. etc. ac Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. num. 5. cum Sot. Henr. Pal. Navar.

244. — Quær. II. An, si reus sit emendatus, possit crimen prælato denunciari? Affirmant Angelus v. *Denuntiatio n. 10. Gabr. Ricc. Turrecr. apud Laym. d. n. 3.* quia dicunt semper præstare, ut prælatus sciat vitia subditorum. Sed negandum cum S. Th. *Quodlib. 11. art. 13. Laym. cit. c. 4. Sanch. cit. c. 18. n. 49. et aliis.* Secùs verò dicendum (ait Sanch. *ib.*) si dubium sit, an frater sit plenè emendatus, vel an frater sit in probabili periculo relabendi, aut an planè cessarit periculum relapsus: quia tunc benè potest crimen prælato ut patri deferri, cum priùs consulendum sit profectui fratris, et bono religionis, quàm modico detrimento famæ illius.

245. — Quæritur III. Quid, si dubium sit, an correctio meliùs fiat per prælatum, vel an prælatus prudenter procedat? Respondet Sanch. *cit. c. 18. n. 47.* quòd, nisi crimen vertat in damnum commune, vel alterius privati, præmitti debet secreta correctio. Sed hìc advertendum I. Quòd in dubio, nisi constet de imprudentia prælati, in religionibus benè institutis (ut notat Laym. *cit. c. 4. n. 3. v. Fateor tamen*) prælati præsumuntur prudentes. Advertendum II. id quod notat *ib. idem Laym.*, nempe quòd in talibus ordinibus crimina occulta fratrum, si nondùm emendata sint, vel relapsus timeatur, frequentiùs sine secreta monitione deferri possunt ad prælatum tamquam patrem: tùm quia prælati sunt viri pii et prudentes, qui admonitione magis prodesse possunt; tùm quia ipsi magis idonei sunt ad crimen emendandum, et ad occasiones relapsus amovendas: nam, ut rectè dicunt Suar.

de charit. disp. 8. sect. 6. n. 12. et Sanch. l. 6. c. 18. n. 50. vel peccatum religiosi est leve, et tunc, cum infamatio levis sit, major plerumque utilitas ex denuntiatione proveniet, quam damnum fratris erit: præterquam quòd hujusmodi consuetudo denuntiandi prælato levia delicta, ut ait *Suarez*, est quasi necessaria ad religionis statum conservandum: vel crimen fratris est grave, et tunc aut frater peccavit ex fragilitate; et melius occurreret superior, occasiones auferendo, quod alius nequit præstare; aut ex malitia, et tunc rarissimè ex monitione fratris speratur emenda, ut dicit *Sanch. ibid. cum Cajet.* qui asserit rectiùs dubitandum, quòd reus ex correctione secreta potiùs fingat se emendatum, quam emendetur. Addunt rectè *Suar. et Sanch.* vix fieri posse, quòd crimina religiosorum non redundant in maximum religionis damnum, tum ob scandalum fratrum, tum ob religionis infamiam. Hinc dicit *Suarez*, omnia crimina gravia benè denuntiari posse prælato, tanquam communitati pernicioso; imò sæpè obligationem esse denuntiandi, præsertim si prælatus interroget; saltem, inquit *Sanchez*, valde expedire, quòd prælatus sciat vitia fratrum, ut melius amoveantur lapsuum pericula. Addo et ego, quòd maximum inconveniens facillè eveniret, si prælatis crimina denuntiari non possent ante secretam monitionem; nam, si ex illa delinquens non emendetur (quod ut plurimum timendum est, uti suprà notavimus cum *Sanch.*), aut crimen deferres ad prælatum, et tunc reus, facillè suspicans tuam denuntiationem, sæpè odium adversus te conservabit; aut tu ob hujusmodi timorem omittes denuntiare, et sic crimen non emendabitur, scandala augebuntur, et sic deinde bonum communitatis corruet. Quare ex his omnibus rectè concludit *Laym. loc. cit. n. 5. in fin.* rarum esse in congregatione religiosorum, ut subditi sint æquè idonei, quam prælati ad corripiendum: et ideò in *cap. Qualiter, et Quando 24. de accus.* relato ordine servando in inquisitione, accusatione, et denuntiatione, sic concluditur: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum.*

Quæritur IV. An liceat renuntiare juri fraternæ correctionis, ita ut possit deferri crimen ad superiorem, nulla præmissa correctione? Tres adsunt sententiæ:

Prima sententia communior affirmat, et hanc docent *Sanch.*

Dec. l. 6. c. 18. n. 45. Cont. Tourn. de præc. Dec. de charit. sect. 6. in fin. Palaus tr. 6. dub. 9. n. 4. Suar. d. 8. sect. 6. num. 12. Item Valent. Hurt. Diana et alii plures apud Salm. tr. 21. c. 7. p. 4. §. 5. n. 87. Ratio, quia ob honestum finem quisque potest juri suo renunciare, et ideò plurimi sancti viri suæ famæ cesserunt. Confirmatur ex D. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 4. ad 1. qui ait: Sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc œrgat in periculum aliorum.

Secunda sententia autem absolutè negat, eamquæ tenent *Philiarch. de Offic. Sac. l. 4. c. 14. item Rodriq. Lorca, Lopez, etc. apud Salm. ibid. n. 85. Ratio, quia nemo potest prodigere jus quod habet ad suam famam.*

Tertia sententia verò, quam tenent *Salm. ibid. n. 88. cum Arauso, et Prado, censet, quòd licèt unusquisque possit ob honestum finem renunciare ordini correctionis, ab alio tamen nequit talis ordo prætermitti, nisi prudenter credatur efficacius per prælatum correptio fieri; sed huic sententiæ rectè contradicit Concina t. 2. p. 139. n. 23. Si enim potest quisque isti juri cedere, benè poterit alter suâ cessione uti. His tamen non obstantibus, prima sententia omninò ut vera tenenda mihi videtur; ratio quæ mihi sufficit, est, quia in Societate Jesu adest constitutio hujusmodi renuntiationis, et ipsa fuit approbata à *Paulo III. et Julio III.* (ut testatur *Palaus l. c.*) qui approbârunt, et confirmârunt Institutum, et omnes constitutiones præfatæ Societatis; et præcipuè eas quæ contradictionem patiebantur; imò *Gregorius XIII.* in bulla *Ascendente Domino*, addidit excommunicationem contra tales constitutiones impugnantes. Unde insipienter puto locutum fuisse *Philiarchum*, qui notam impietatis inurit huic constitutioni renuntiationis Societatis Jesu, cùm Ecclesia non possit errare in approbatione religionum, et suarum regularum, ut docent *Bellarm. Val. etc. ap. Viva in Q. Prodroma ad propos. damn. n. 42. Earum enim approbatio spectat ad materiam morum, in qua saltem impium, et temerarium est dicere Pontificem posse errare, juxta nostram dissertationem adductam l. 1. n. 110. Advertit tamen Palaus n. 6. quòd talis renuntiatio non dat potestatem manifestandi delictum alterius, nisi in casu dubio de emendatione, id est (ut explicat punct. 12. n. 4.) si dubitetur, an delinquens fuerit emendatus, vel an sit relapsurus; quia è converso, si constet de emendatione, et**

nullum sit periculum relabendi, rectè probabilius censet non posse crimen deferri ad superiorem, dùm ex declaratione in congreg. 7. ipsiusmet Societatis dicitur revelatio facienda esse tantùm iis qui remedium adhibere potuerunt; ergò, cessante necessitate remedii, non poterit crimen manifestari. Præterea advertit idem Palaus q. 9. n. 7. cum Suar. et Sanch., quòd prædicta cessio fit, ut crimen reveletur prælato, tanquam patri, non verò tanquam judici.

246. — Hæc quoad denuntiationem evangelicam; quoad autem denuntiationem judicialem pertinet, hæc ad triplicem finem fit: 1. Ob publicam criminis punitionem. 2. Ut damnum læso resarciatur. 3. Ut quis tanquam indignus officio privetur, aut ne indignus eligatur, aut ad ordines promoveatur, aut ne matrimonium contrahat. Et de hac denuntiatione juridica præcipuè hic tractandum.

Et notandum I. quòd fraterna monitio non est necessariò semper præmittenda ad denuntiationem judicialem, juxta dicta mox supra n. 259. Notandum II. quòd denuntiatio evangelica transire potest in judicialem ex communi sententia, quando post evangelicam reus non corrigitur. Azor. Abb. cum Salm. tr. 29. c. 2. p. 5. §. 1. n. 54. Notandum III. quòd si prælatus aut per denuntiationem evangelicam, aut per se, aut per indicia sufficientia noverit subditi delictum, primò poterit clam eum monere, pœnitentiam secretam ei injungendo, et etiam illum ab officio, et à conventu amovendo; modò ex hoc nulla ei obveniat infamia. Deinde poterit ad alia remedia devenire; sed, licèt ista nec etiam profuerint, et crimen vertat in damnum solius rei, tunc non poterit judicialiter procedere, nisi crimen probari possit saltem per duos testes. Vide Salm. ibid. n. 55. Notandum IV. quòd, qui fraternam fecerit denuntiationem, potest inde ut testis adhiberi post denuntiationem judicialiter factam, ut tenent Salm. n. 58. cum Sot. etc. quia alius est processus denuntiationis fraternæ, alius denuntiationis judicialis.

247. — Sed quæritur I. Utrùm, si crimen sit occultum, nec laboret infamiâ, et fraternaliter denunciatus non corrigatur, possit prælatus cogere denuntiatores evangelicos, ut faciant denuntiationem judicialem, et inde juxta illam reum pœnis juris punire?

Prima sententia affirmat cum Sylv. Cordub. etc. apud Salm.

ibid. §. 2. n. 59. quotiescumque crimen saltem per duos testes posset probari; et huic sententiæ consentiunt *Sanch. Cons. l. 6. c. 2. d. 11. n. 332. et Nav. Sot. apud Salm. ibid. n. 60.* casu, quo adsit spes, quòd delinquens ob pœnas emendabitur, secùs autem, isti dicunt, si talis spes non effulgeat, tunc enim vix permittunt posse reum clam excommunicari.

Secunda sententia probabilior tamen contradicit omninò cum *Suar. Pal. Led. Bann. et Salm. tr. 29. c. 2. p. 3. §. 2. n. 61. et 62.* semper ac ex crimine nullum immineat damnum communitati, aut particularibus. Ratio, quia tunc delinquens adhuc possidet famam; nec punitio est necessaria ob bonum commune, quando crimen non est publicum.

Sed hęc notandum 1. cum *Salm. ibid. n. 68. Palao, Torres, et aliis*, quòd in tali casu poterit quidem prælatus aliquibus viris prudentibus crimen manifestare, si hoc iudicet necessarium ad remedium subito adhibendum. Notandum 2. quòd prælatus inferior, si ipse possit per se subditum corrigere, peccabit, si crimen superiori manifestabit. Ita *Salm. ibid. cum Pal. n. 21.*

248. — Quær. II. utrùm, si per publicum edictum, seu monitorium præcipiatur omnibus aliqua delicta denunciare, teneamur? Resp. quando crimina sunt notoria, præcul dubio quilibet ea denunciare tenetur; secùs verò, si sint occulta, etiamsi probari possint per duos testes; nisi crimina vergant in damnum communitatis, aut tertii; cum hac tamen differentia, quòd in criminibus in damnum tertii, tenemur fraternam monitionem præmittere, et correctione obtentâ, denuntiatio judicialis est omittenda; si autem reus non corrigatur, tunc judicialiter tenemur eum denunciare; dummodò possimus sine gravi nostro incommodo, ut *Salm. ibid. §. 4. n. 82.* In criminalibus autem in damnum commune, nullâ præviâ monitione, et etiam cum gravi nostro damno, denuntiationem judicalem proferre tenemur. Quamvis etiam in his *S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7.* sic doceat: *Nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam monitionem possit hujusmodi mala impedire.* Sed hoc rarò accidit. Hęc ferè communiter à DD. docentur. Vide *Salm. ibid. §. 5. n. 79.*

Notandum hęc autem I. quòd, qui delictum sub secreti sigillo noverit, ut remedium, aut consilium delinquenti præberet; nunquam tenetur illud denunciare, quia jus positivum

non potest juri naturæ derogare. Ita *S. Th.* 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. *Sanch. c.* 2. d. 20. et *Salm. ibid.* §. 4. n. 83. cum *Nav. etc. contra Sotum.*

Notandum II. quòd, si quis rem aliquam acceperit in compensationem sui certi crediti, non tenetur manifestare, quia edictum imponens denuntiationem intelligit loqui tantum de rebus injustè acceptis. Ita *Sanch. c.* 24. et *Salm. tr.* 29. c. 2. p. 3. §. 4. n. 84. cum *Sylv.* Idem dicunt *Sanch. d. dub.* 24. n. 3. et *Salm. ibid.* n. 85. cum *Nav.* de debitore rei furtivæ, qui ob inopiam à restitutione excusetur.

Notandum III. quòd nemo, ut suprà dictum est, tenetur denuntiare cum gravi suo incommodo, nisi crimen redundet in damnum commune reipublicæ, aut religionis, ut crimen læsæ Majestatis, hæresis, etc.

249. — Sed hinc quæ. III. An sit obligatio denuntiandi hæreticos cum periculo gravis damni? Distinguendam, si denuntiandi sunt tantum suspecti de hæresi, ut sunt sortilegi, blasphemii, confessarii sollicitantes, abutentes sacramentis, commune est non esse tunc obligationem. Ita *Salm. tr.* 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 87. et 89. *Potestà de denunt.* n. 267. nisi (dicunt *Salm. ibid.* n. 91.) adesset damnum commune, nempe, si sacerdos magnæ auctoritatis frequenter pœnitentes sollicitaret, etc. Si verò denuntiandi sint hæretici formales, etiam excusare periculum gravis damni, nisi illi dogmatizent, tenent *Mazz. t.* 1. p. 278. *Less. Nav. Fill. etc. apud Salm. tr. cit.* c. 3. p. 9. §. 2. n. 108. Sed veriùs oppositum est tenendum cum *Potestà d.* n. 267. et *Salm. ibid.* n. 109. cum *Suar. et Farinac.* Ratio, quia hæresis formalis de se serpit ut cancer, et ideò semper in damnum commune vergit.

250. — Quæ. IV. An teneamur denuntiare conjunctos, quos hæreticos formales noverimus? Fratres sine ullo dubio tenemur denuntiare; filios verò à denuntiandis parentibus excusant *Abul. et Simancho apud Salm. ibid.* n. 105. Sicut ibidem *Bon. Fill. Barb. etc.* excusant etiam uxores à denuntiando viros suos. Sed dicendum omnes ad denuntiationem tenèri, ex eadem ratione, ut suprà; quia hæresis est pestis ita noxia, quòd difficilè habet remedium, et facilè in damnum vergit commune. Ita *Roncag. p.* 169. q. 1. r. 3. *Bon. de oblig. denunt.* t. 2. d. 6. p. 2. n. 3. cum *Farin. Azor. Salm. ibid.*

n. 106. cum Caj. Pal. Sanch. Dian. etc. cum communi, ut testatur Potestà n. 268. et Viva super prop. 5. Alex. VII. n. 13.

Hoc tamen dicitur, quoad hæreticos formales. Si verò denuntiandi sint tantum suspecti de hæresi. Salm. tr. 21. c. 4. p. 4. §. 2. n. 83. pariter obligant etiam filios ad parentes denuntiandos; sed nimis rigorosè, satis enim probabiliter tunc à denuntiatione excusantur, non solum filii, sed etiam conjuncti usque ad 4 gradum, ut tenent Diana, Bordon. Lez. Homob. et alii apud Potestà n. 221. Ratio quia denunciare conjunctum, idem est ac grave damnum sive incommodum subire; quod rationabiliter excusat (quando periculum abest damni communis) ut diximus mox n. 249. et dicunt ipsi Salm. tr. 29. de offic. c. 2. p. 3. §. 4. n. 82.

251. — Quær. V. Quænam sint crimina denuncianda tanquam de hæresi suspecta? Sunt I. nuptiæ contractæ, vivente conjuge, ut Salm. tr. 21. c. 4. p. 2. n. 6. cum communi. II. Nuptiæ clerici in sacris constituti, vel religiosi professi; etiam communiter Salm. ibid. n. 7. III. Si quis sine sacerdotio Missam celebrat, aut aliud Sacramentum conficit: ita ex constitutionibus Pontificis; vide Salm. ibid. n. 8. qui extendunt ad sacerdotem celebrantem pluries in die, vel non jejunum, sine justa causa. IV. Alii pariter censent suspectum esse de hæresi confessarium sigillum violantem, ut Viva, de Leone, et Quintan. At hoc negant probabiliter Salm. ibid. n. 9. cum Lugo, Bonac. Mol. et communiori, nisi ille per errorem teneat non adesse hanc obligationem sigilli, vel istud non ita rigorosè obstringere. V. Extendunt etiam Salm. ibid. n. 10. et 11. cum pluribus ad crimen sodomie, et bestialitatis, sed ipsi loquuntur pro regnis Hispaniarum; hoc tamen non viget in nostris partibus. Hic tamen obiter advertendum, quod clerici, et regulares sodomitæ ex Constit. S. Pii V. privantur omni officio, et beneficio; modò I. crimen sit consummatum. II. Adsit hujus criminis exercitium: ideò non sufficit, si patratum sit bis, vel ter. Salm. cum Bon. cit. n. 11. in fin. III. Adsit insuper sententia judicis; nam licèt bulla dicat: *Præsentis canonis auctoritate privamus*, attamen sic videtur recepta, ut dicunt Bon. Sanch. Henr. etc. apud Salm. l. c.

252. — Quæritur hinc VI. An sint denunciandi blasphemi? Distinguendum: Qui proferunt blasphemiam hæreticalem, certò denunciandi sunt. Sed hic advertit Potestà n. 219. quòd

prorumpens in blasphemiam hæreticalem, non advertendo ad significationem, non peccat graviter, ideòque nec denuntiandus. Secùs verò, si blasphemet advertens, quamvis ex ira: quia tunc jam fit saltem suspectus de levi. Cæterùm probabiliter *Bon. l. c. part. 1. §. 8. n. 5. in fine, et Ronc. p. 170. q. 4. resp. 3. cum Navarr. etc.* dicunt non esse denuntianos, quos constet per lapsum linguæ errorem protulisse, et huic videntur expressè adhærere *Salm. tr. 21. c. 3. p. 9. §. 2. n. 107.* ubi ajunt ad obligationem denuntiationis requiri pertinaciam hominis denuntiandi. Imò *Sanch. Trull. etc. contra Salm. ibid. p. 10. §. 2. n. 129.* universè excusant ab obligatione denuntiandi blasphemos hæreticales, semper ac ipsi per correctionem respiciant.

Quoad autem simplices blasphemos, advertendum, quòd olim duæ adcrant obligationes: una increpandi, et hæc abiit in desuetudinem ejusque in loco successit obligatio correctionis, si fructus speratur, ut docent *Sanch. lib. 2. c. 32. n. 46. Palaus, Bonac. etc.* Altera denuntiandi judici ecclesiastico, vel sæculari, et hæc etiam per desuetudinem non videtur ampliùs obligare, ut dicit *Viva de 2. præcept. quæst. 6. art. 2. in fine cum Tamb. et Mazz. Vide dicta l. 4. n. 123.*

Rogabis autem, infra quantum temporis blasphemî hæreticales denuntiandi sint? Loquendo genericè de criminibus suspectis de hæresi, juxta edictum Inquisitionis Generalis Romanæ, tempus assignatum ad denuntiationes est mensis à die scientiæ legis, et cessantis impedimenti, ut asserunt *Felix Potestà de denunt. num. 258. Mazzotta t. 1. pag. 276. quæst. 5.* et auctor libri *Istruz. per li novelli confess. tom. 2. c. 14. n. 284.* Loquendo verò præcipuè de tempore requisito ad denuntianos blasphemos hæreticales, dicunt *Sporer de 1. præcept. Decal. c. 10. n. 12.* ex decreto *Alexand. VII. de Suspectis de hær. et Salm. eod. titul. tr. 21. cap. 3. p. 10. §. 2. n. 129.* (sed fortè hi loquuntur juxta edictum Hispaniarum) esse denuntianos infra sex dies; ita etiam *Viva de 1. præc. qu. 6. art. 2. n. 11.* qui idem ait de denuntiatione confessarii sollicitantis; sed auctor præfatus (*Istruz. ut supra*) pro hac denuntiatione assignat mensem.

255. — Quær. VII. An superstitiosi sint denuntiandi? Affirmant DD. generaliter loquendo, si superstitio fiat cum conscientia peccati, et suspicionem fundet de hæresi. Et hæc acci-

dere dicunt: 1. Quando intercedit pactum expressum cum dæmone. 2. Quando miscentur in ea res sacræ ut chrisma, oleum sanctum, hostia sacrata. 3. Si dæmon adoretur, vel ei porrigantur preces nefariæ, vel aliqui psalmi, qui in ejus honorem proferri videntur, ut psalm. 108. *Deus laudem meam ne tacueris, etc.* 4. Quando dæmon rogatur de his, quæ naturaliter nequit ipse scire. 5. Quando ex superstitione provenit effectus. 6. Quando quis ex professo alios instrueret. 7. Quando intervenit expressa dæmonis invocatio (etsi, hæc tantum intercedente, excusant alii ab obligatione denuntiandi). Ita *Suar. Az. Pegna, et Simanchus, vide Salm. de 1. præc. l. c.*

Dixi generaliter loquendo, quia in hoc regno denuntiantur tantum superstitiones, in quibus intervenit abusus hostiæ consecratæ, vel olei sancti; non verò aliæ. Et hæc est praxis hodierna; horum enim criminum, quæ ad mixtum forum pertinent, præsens rex noster *Carolus VI.* sibi animadversionem abdicavit, quando sortilegus est secularis, secus si est ecclesiasticus.

254. — Quær. VIII. An sint denuntiandi, qui denuntiare tenentur, et omittunt? Si agatur de denuntiando hæretico tantum suspecto, probabilius negatur cum *Carena, et Lupo, et Potestà n. 284.* Ratio, quia non oritur suspicio ex suspitione. Si verò de denuntiando hæretico formali, dicit *Potestà n. 286.* denuntianos esse eos qui ex officio tenentur denuntiare, et negligunt; et idem dicit de teste crimen falso negante, vel de dissuadente denuntiationem debitam; quia isti verè censentur de hæresi suspecti, nisi omissio fiat ex causa amicitiae, consanguinitatis, etc. Ita *Potestà cum communi.* Alios verò non denuntiantes, licet etiam ipsi fiant de hæresi suspecti, si nullam habent causam occultandi, ut dicunt *Salm. tr. 21. c. 5. p. 9. §. 2. num. 116.* tenent tamen *Lupus, et Bordon. apud Potestà* non esse denuntianos, ne detur processus in infinitum.

Notandum autem super hac materia I. Neminem teneri denuntiare seipsum, nec socios sui criminis, cum hoc esset idem ac seipsum denuntiare. Verum, si quis de crimine legitime à judice interrogetur, tenetur tam se, quam socios manifestare. *Salm. ibid. num. 104. cum Cajet. Suar. Trull. etc.*

Notandum II. Certum esse, quod non tantum superiores regulares, quibus directè imponitur onus denuntiandi ex

decreto *Alexand. VII.* edito anno 1660., sed omnes fideles tenentur ad denuntiandum criminosos de hæresi etiam leviter suspectos, ut loquitur decretum; dùm in fine ejus statuit Pontifex: *Decretum hoc omnes ubique existentes arctare, et afficere*; et ita cum communi sentiunt *Salm. ibid. §. 1. n. 95. et 102. in fin.* Sed benè hic advertunt 1. minimè esse denuntiandum illum, de quo habeatur suspicio ex levibus indiciis, v. g. si audias crimen alicujus à testibus parùm fide dignis. Ita *Nav. Sayr. Cordub. cum Salm. ibid. §. 2. n. 117.* Advertunt 2. quòd, ut sit obligatio ad aliquem denuntiandum, requiritur, ut ille sit hæreticus proprius, et pertinax, non verò si nimirum per ignorantiam, metum, incuriam, lapsum linguæ fidei protulerit injuriam, de qua si secretò corrigitur, sine dubio censeatur abjuraturus. Ita *Salm. cit. n. 117. in med. cum aliis.* Hinc inferunt *Bon. et Farinac. apud Salm. ibid. in fin. ac Potestà n. 258.* minimè esse denuntiandum hominem simplicem et pium, seu concionatorem aliquam propositionem hæreticalem ex incuria proferentem; præsumitur enim non ex animo locutus esse.

Notandum III. Juxta jus commune ex *Extrav. Excommunicamus*, eos, qui advertenter negligunt hæreticos denuntiare, incurrere excommunicationem ferendam: etsi juxta edictum Hispaniarum, ibi incuratur excommunicatio ipso facto, et reservata. Utrùm autem in aliis regionibus hæc excommunicatio sit reservata? Affirmant *Salm. tr. 21. c. 4. p. 4. §. 1. n. 70. et Potestà n. 641.* qui affert decretum S. C. Sed negant *Lupus apud Potestà et Bon. l. c.*

DUBIUM VI.

De testibus.

- 235 *Quomodo debeant esse, et testificari testes ad probandum?*
 256 *Qui rejiciuntur? 1. Servi. 2. Mulieres. 3. Minores. 4. Inimici. 5. Conjuncti, et domestici. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Personæ inopes et viles.*
 257 *In quibus casibus sufficit dictum unius testis?*
 258 *Quid si unus testis deponat de una propositione hæretica, et alius de altera?*
 259 *An semper sufficiant duo testes ad probandum?*
 260 *Quales debent esse testes, ut plenè probent?*

- 261 An laici repellantur à testificando contra clericos? Quid è converso?
- 262 An testes inepti, ut suprà, faciant indicium?
- 263 An religiosi probent in causa sui monasterii?
- 264 An, et quando quis testari teneatur?
- 265 An testis teneatur saltem veritatem judici non legitimè interroganti?
- 266 Quando iudex legitimè interroget?
- 267 An testis teneatur manifestare crimen, si accusator unicum testem afferat?
- 268 Non tenèris manifestare judici etiam legitimè interroganti: I. Si scias rem ex confessione. II. Sub secreto. III. Si tibi imminet damnum. IV. Si accepisti à parùm fide dignis. V. Si rem accepisti per injuriam. VI. Si alter probabiliter non peccarit.
- 269 Ad quid teneatur falsum testatus?
- 270 Quando peccent testes? Dub. 1. An peccent contra justitiam, si se abscondant, ne citentur? Dub. 2. An si fugiant post citationem? Dub. 3. An si interrogati veritatem occultent?
- 271 Quomodo facienda est depositio testium?

255. — « **S**UPPONO, ad legitimam, et plenam in iudicio probationem requiri duos testes, eosque debere 1. Externo sensu percepisse id, de quo testantur. 2. De eodem facto, et crimine, cum iisdem circumstantiis, deponere, alioqui erunt testes tantùm singulares, ut vocant, qui non faciunt plenam probationem. 3. Esse omni exceptione majores, in quibus scilicet nulla desideretur conditio, quominus testari possint, juxta versum vulgarem :

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.*

256. — « Hinc à testando rejiciuntur 1. Servi. 2. Mulieres. » (Intellige tamen hoc de jure canonico, ex caus. 53. qu. 5. non verò de jure civili, tam in causis civilibus, quàm criminalibus, ut Gomez, Sanch. Trull. apud Salm. tr. 29. c. 3. p. 1. §. 1. n. 6. Verùm tamen ad reum damnandum nec plures etiam mulieres sufficiunt. Vide Salm. ibid. n. 7. in fin.) « 3. Minores » 20 annis in criminalibus; in civilibus autem imberbes. » (Isti tamen, etsi ad probandum non sufficiant, nisi in crimine læsæ Majestatis, fundant tamen indicium etiam ad torturam. Salm. ibid. n. 8. et 9.) « 4. Inimici » (Licet sint

reconciliati, sed de recenti (secus, si ex longo tempore). Et hoc etiam in delictis læsæ Majestatis : et etiamsi inimicitia non fuerit gravis, ut dicunt Salmant. *ibid.* n. 12. cum communi) « 5. Sanguine juncti » (Usque ad 4. gradum, ut Salmant. *ibid.* §. 2. n. 21. nisi sit crimen hæresis. Vide alia circa hoc punctum apud Salm. ex dict. num. 21. et seqq.) « et domesticus » (Ut famuli, coloni) « exceptis quibusdam casibus » apud Less. l. 24. c. 3. n. 38. 6. Infames » (Sive de jure, id est sententiâ, sive de facto. Quinam autem dicantur infames? Vide can. Infames, caus. 6. qu. 1. et Salm. tr. 29. c. 3. p. 1. §. 1. n. 10. et 11.) « 7. Perjuri. 8. Socii criminis. » (Excipe si crimen sit hæresis, vel maleficii, vel tale, quod non possit sine socio patrari. Salm. cum aliis *ibid.* n. 15. et 16. An autem duo socii criminis faciant saltem semiplenam probationem contra tertium socium? Affirmat Less. c. 29. dub. 17. Sed plures alii negant apud Salmant. *ibid.* p. 3. num. 33.) « 9. Personæ inopes, et viles. » (Nisi sint probatæ vitæ. Vide Salm. *ibid.* p. 1. §. 2. n. 17.) « 10. Deliri, et semifatui, ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo ad testandum sunt inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis. »

257. — 1. Notandum, quòd unicus testis sufficit ad probandum in aliquibus casibus; etenim I. Testimonium unius sat est ad impediendum matrimonium illegitimum, ex cap. Præterea 2. de sponsal. Debet hic tamen jurare se impedimentum certò scire : et non sufficit, si testis sit de solo auditu, nisi impedimentum sit consanguinitatis, et adsit alius testis de certa scientia, licet hic deponat sine juramento. Ita Sanch. Cons. l. 6. c. 5. dist. 10. n. 1. et Salm. tr. 9. c. 8. p. 8. n. 106. Sola tamen fama sufficit ad impediendum matrimonium. II. Testimonium solius Episcopi sufficit ad probandum in judicialibus attinentibus ad suum munus, si testetur in scriptura suo sigillo obsignata. Salmant. tr. 29. c. 3. p. 2. n. 34. cum Bald. Mascard. etc. III. Ad delicta religiosorum puniendâ sufficit testimonium unius, si delictum sit tale, ut aliter probari non possit. Et ita religiosus sollicitans pœnitentem, per illam tantum denunciatus potest puniri aliquâ pœnâ arbitrariâ; sed non ordinariâ. Sanch. cap. 5. dist. 12. n. 4. Salm. *ibid.* n. 35. cum aliis : et idem docent ibi Val. et Sot. pro culpâ levibus. Cæterum in criminibus gravibus, quæ gravem merentur punitionem reetè tenent, et absolutè Salm. cit. n. 35. cum Peyr.

et Pell. contra Sanch. et alios, requiri omninò saltem duos testes, quia fama religiosorum non debet minùs æstimari, quàm fama sæcularium. IV. Credendum est officiali publico testificantì de aliquo crimine levi; secùs de gravi. *Barbos. Farinac. etc. cum Salm. tr. 29. c. 3. p. 2. n. 56.* Et idem dicunt de perito in sua arte, v. g. si medicus testificetur mortem alicujus causatam fuisse è vulnere. *Salmant ib. in fin. cum aliis.* V. Unicus testis probat, quando agitur de læsione minori. *Barb. Gabr. Salm. ibid. n. 37.* Sic etiam probat interpretes alicujus linguæ ignotæ, sic etiam probat persona, cui standum dixit testator in suo testamento. Unicus quoque testis probat miraculum. *Salm. cit. n. 37. in fin. cum aliis.*

258. — Sed quæritur hlc, si unus testis deponat de una propositione hæretica, et alius de altera, an isti plenè probent aliquem esse hæreticum? *Gom. Barbos., etc.* affirmant probare illum esse hæreticum in genere. Sed longè probabilius *Lessius l. 2. c. 50. num. 53. Rodr. Vill. etc. Salm. ib. n. 58.* negant tales testes facere plenam probationem, licèt faciant plus quàm semiplenam. Ratio, quia, cùm non probatur priùs hæresis in specie, non potest probari hæresis in genere. Excipe tamen crimen sollicitationis in confessione, quod per testes singulares comprobatur, concurrentibus tamen aliis indiciis, et præsumptionibus.

259. — Exceptis autem supradictis casibus, ad probandum requiruntur, et sufficiunt duo testes in causa tam civili, quàm criminali, ex *Deuteron. c. 17. v. 6. In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Et ex *Joan. c. 8. v. 17. duorum hominum testimonium verum est.* Ratio, quia ad humanas actiones probandas sufficit certitudo moralis, et probabilis. Ita *S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. Less. Sot. et Salm. ibid. p. 5. n. 43. communiter.* Ab hoc tamen excepiuntur aliqui casus, in quibus jus positivum requirit majorem numerum testium, nempe ad probanda testamenta, ad damnandos Episcopos, vel clericos; nam ad condemnandum Episcopum, requiruntur 12. testes et ad condemnandum sacerdotem seu clericum requiruntur saltem plus quàm duo. *Vide Salm. ibid. n. 44. et 47.*

260. — Præterea testes ut plenè probent requiritur I. Ut sint contestes, ita ut convenient non solum in substantia actus, sed etiam in principalibus circumstantiis, id est per-

sona, loco, tempore, modo; nisi circumstantiæ sint parvi momenti, putà, si unus dicat casum contigisse horâ tertiâ, alius quartâ: unus tempus fuisse nubilosum, alius serenum, et similes. Ita *S. Th. 2. 2. quæst. 70. a. 2. ad 2. Salm. tr. 29. c. 3. p. 3. n. 48.* Requiritur II. ut testes deponant cum juramento, aliàs non probant, ex *cap. Tuis quæstionibus 59. de testib. et ex cap. 51. de testib.* Ubi ait *Panormit. Nec Episcopo quidem, ut testi, credi in alterius præjudicium, nisi jurato.* Requiritur III. Ut testes per se immediatè rem perceperint externè eo sensu, quo res percipitur, putà, ut ipsi viderint occidentem, audierint blasphemantem, etc. *l. Sola 4. c. de test. et c. 4. §. Solam, q. 3. Vide Salm. cit. n. 48. et 49. cum Sylv. Pan. Tab. et communi.* At in hoc notandum, quòd nec etiam sufficiunt ad plenè probandum testes, qui deponunt audivisse quidem per se, sed mediatè, id est medio pariete, cortinâ, quin viderint etiam loquentem, ut *Salm. ibid. num. 50. et 51. cum Farinac. et aliis.* Hoc autem currit in causa criminali, non autem civili; excepto testamento, ubi requiritur, ut testes non solùm audiant, sed etiam videant testatorem loquentem; ex *l. Si non speciali, c. de testam. Salm. ibid.* Testes autem de auditu alieno, nempe qui crimen narrari audiverint ab uno, vel duobus testibus de visu, non solùm non probant, sed nec etiam semiplenam probationem faciunt, ut *Salm. ibid. n. 53. cum Miranda, Farinac. et communi juristarum.* Quando verò adsint plures contestes pro reo, et plures contrà, standum est pro reo, ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 2. ad 2.* Etiam si testes contrarii sint majores dignitate, ut *Salm. ibid. n. 54. cum Pan. Med. etc.*

261. — Adde, quòd laïci in criminalibus repelluntur à testificando contra clericos, ex *caus. 2. quæst. 7.* In aliquo tamen casu possunt Episcopi uti laïcis testibus probatæ vitæ ad probanda crimina suorum subditorum: è converso clerici et religiosi possunt testificari contra laïcos, etsi ad hoc non possint compelli à giudice sæculari, ex *c. Quanquam sacerdot. 14. q. 2.* Ex præfato tamen textu clarè deducitur, non posse clericum testificari coram giudice sæculari, sine licentia sui superioris. An autem testimonium clerici sine licentia prælati valeat? Affirmandum probabiliùs cum *Sanch. Cons. l. 6. c. 5. d. 17. n. 2. Trull. Azor. etc. ac Salm. tr. 29. c. 3. p. 1. §. 2. n. 28. contra alios qui dicunt non valère testimonium clerici,*

sed tunc tantum, cum is vi compulsus deponit. Clericis autem, et religiosis non videtur esse vetitum testes esse in instrumentis, cum hoc nullibi interdicitur. *Vide Sanch. Dec. t. 2. l. 6. c. 13. n. 106. et Salm. ibid n. 29.*

262. — Notandum I. quod testes inepti (numerati ut supra apud *Bus.*) si deponant, faciunt aliquod indicium, sed non plenum, nec sufficiens ad torturam: immò servi, vel graviter inimici omninò repelluntur. Sed si crimen commissum est noctu, vel in aliquo loco secreto, tunc facillè admittuntur. Deinde, si testes sint inepti principaliter ob favorem partis, ut inimici, domestici, etc. si pars eos admittit, iudex non valet eos repellere. *Vide Salm. ibid. n. 31.*

263. — Notandum II. quod religiosus in causa sui monasterii benè potest testificari, ex *c. Insuper statuimus, de test.* Et idem dicitur de canonico in causa sui capituli, de clerico in causa suæ Ecclesiæ, et de collegiali in causa sui collegii, quotiescumque in causa ipsi nullum interesse habeant particulare. Advertendum tamen est, istorum testimonium non esse omninò integrum; et insuper non esse admittendum, quando alii testes haberi possint. *Salm. cum aliis ibid. p. 2. num. 41.*

264. — « Quær. 1. An, et quando teneatur quis testari?
» 2. Ad quid teneatur, qui non vult testari, aut qui falsa est
» testatus?

« Resp. 1. Non tenetur quis testari, nisi vel ex charitate,
» cum ita necessarium est ad avertendum grande malum
» proximi, aut reip. vel ex præcepto, cum iudex, seu superior habens potestatem, ita legitimè præcipit. In quo
» ultimo casu, si fugias, aut occultes te, antequam ad testandum citèris, non peccabis contra justitiam; ideòque
» nec teneberis restituere, ut, contra multos, docent *Valent. et Less.* Ratio est, quia tibi necdum est præceptum: si
» quod autem jus nascatur parti ex tuo testimonio, id ex præcepto oritur. Imò, etsi sit communis sententia, ad restitutionem tenèri eum, qui à iudice citatus fugit, vel testimonium fraude declinavit, cum sit efficax, et moralis causa
» ut iudex sententiam ferat in alterius damnum: non tamen
» est improbable, quod docent *Molin. et Less.* non tenèri.
» Ratio est, quia citatio intimata non inducit obligationem
» justitiæ, sed tantum obedientiæ; proindeque non compa-

rens contumax tantum est, et inobediens, non autem injustus. *Less. lib. 2. c. 50. d. 6., 7., 8. etc. Vide Bon. Laym. ll. cc.*

265. — Hic notandum certum esse, quod judici non legitime interroganti testis non tenetur fateri veritatem: tunc enim poterit licite respondere (etiam cum juramento) *crimen nescire*, ita ut teneatur illud ei manifestare. Ita *S. Th. 2. 2. qu. 66. art. 1.* ubi ait, quod eo casu, *non tenetur accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere.* Et idem communiter *DD.* dicunt etiam de teste. *Vide dicta de restrictione non pure mentali l. 4. n. 152.*

266. — Sed quaeritur I. Quando nam iudex legitime interroget? *Resp. I.* quando adest semiplena probatio, puta, unus testis de visu, vel auditu proprio, ut supra: vel si adest notorietas, aut infamia criminis, vel indicia evidentia, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testibus probandum (alias, etiamsi plures testes adsint de aliquo crimine, nemo eorum teneretur crimen revelare); omnia haec enim æquivalent semiplenæ probationi; quâ interveniente delictum non dicitur amplius secretum, ideò iudex tunc habet jus, ut testis veritatem manifestet. Ita communiter *Less. lib. 2. c. 5. dub. 5. et 6. Navar. et alii cum Salm. tr. 29. cap. 3. p. 4. n. 56. et 57. qui advertunt ibid. n. 62. cum Sayro,* quod, ut testis teneatur tunc respondere, requiritur, ut infamia, vel semiplena probatio, vel indicia, ut supra, sint jam probata, et à iudice testi manifestentur; nisi constet iudicem esse probum, et asserit se legitime interrogare.

267. — Quaeritur hinc II. Utrum, quando non adest semiplena probatio, sive infamia, vel evidentia indicia criminis, ut diximus, si accusator unicum testem tantum afferat, teneatur hic testis veritatem manifestare? *Affirmant Salm. tr. 29. cap. 3. p. 4. num. 60. et 61. cum Soto, Valent. etc.* quia (dicunt) quando adest accusator conscius de crimine, et unicus testis, jam reus censetur æquivalenter infamatus. Sed probabilius negant *Ronc. tr. 15. q. 5. cum Less. Passer. item Sylvest. Nav. et Bann. apud Salm. ibid. n. 59. juxta supra posita.* Et idem clarè videtur docere *S. Th. 2. 2. q. 70. art. 1.* ubi dicit tunc legitime testem interrogari, *quando vel de manifestis, vel de his, de quibus infamia præcessit, interrogatur.* Ergò non legitime interrogat iudex, quando

non præcessit vel notorietas (hoc enim significat *to manifestis*), vel infamia, aut alia semiplena probatio, ut *suprà*.

268. — « Resp. 2. Etiam legitimè et juridicè interrogatus » non tenèris testari sequentibus casibus : I. Si scias rem ex » confessione. II. Si accepisti sub secreto naturali, » (*Etiam sub secreto tantùm commisso, ut S. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 1. et communis cum Sylv. et Salm. ibidem ex n. 63. contra Sotum: quia præceptum naturale præferendum est præcepto judicis. Vide dicta lib. 3. n. 49. Intellige tamen, nisi immineat damnum commune, vel nisi aliunde scias; tunc enim tenèris ad manifestandum, ut communiter DD. cum Salm. ibid. n. 70.*) « ut consiliarius, advocatus, medicus, etc. modò » tamen non sit necessarium ad magnum reipublicæ vel pro- » ximi malum avertendum » (*Ut S. Th. l. c. et Salm. ibid. n. 68. cum communi*), « tunc enim licet tale secretum dete- » gere, etiamsi jurasses te nulli dicturum: quia tale ju- » ramentum non obligat, cùm jure naturæ tenearis ad con- » trarium. Vide *Laymann cap. 4. n. 9.* III. Si ex testimonio » tibi, vel tuis imminet notabile damnum: nisi tamen da- » mnum publicum, vel privatum alienum prævaleat, ut » notat *Cardinal. de Lugo de just. disp. 30. n. 10.* Unde com- » munitè non tenèris testari contra consanguineum. IV. Si » à viris non sat fide dignis accepisti; tunc enim potes te » habère, ac si nihil scires. » (*Imò Sanch. Dec. lib. 3. c. 2. n. 3. et Nav. Sot. Arag. et alii cum Salm. tr. 29. c. 3. p. 4. n. 69. dicunt testes de auditu alieno non tenèri ad manifestandum, quando judex nihil aliud ab eis exigit, nisi ut dicant id quod sciunt; quia, ajunt, scire propriè non est credere, sed veritatem perceptam visu, vel alio sensu in mento retinere: quæcumque autem alia notitia pertinet ad judicium non ad scientiam*) « V. Si factum intellexisti per injuriam, » verbi gratià aperiendo litteras, cogendo alium ad revela- » tionem, etc. *Laym. lib. 3. tr. 6. cap. 4. n. 5. Mol. d. 3. n. 5.* VI. Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel » propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occul- » tam compensationem debiti; ex quo, tamquam de fure, » inquiratur. Ratio est, quia mens judicis est inquirere de » delicto. Vide *Azor. 3. part. t. ult. c. 27. Fill. Bonac. d. 10. qu. 3. p. 3. Laym. l. c.*

269. — « Resp. 3. Qui sciens falsum testatus est, per quod

» alteri fuit efficax causa damni, tenetur ad impeditiorem,
 » vel reparationem omnium damnorum, quæ causantur.
 » Item tenetur revocare cum pari suo damno, et periculo etiam
 » vitæ, si reus de ea periclitetur, et putetur revocando aliquid
 » effecturus. Ita communiter. Ratio est, quia in damno æquali
 » potiùs habenda est ratio innocentis. *Vide dub. seq. art. 1.*

« *Dixi 1. sciens* : quia, si ex ignorantia, inadvertentia, aut
 » oblivione inculpabili falsum esse testatus, etsi teneatur im-
 » pedire, si possit, non tamen ad restitutionem, etiamsi reus
 » damnetur. Ratio est, quia neque tenetur ex re recepta,
 » neque ex delicto.

« *Dixi 2. causa efficax* : quia, si à parte rei falsum illud
 » testimonium nihil effecisset, v. gr. quia per falsa testi-
 » monia aliorum jam tota causa damni erat data, ita ut
 » iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil te-
 » nebitur. *Less. l. 2. c. 50. et Laymann l. 3. t. 5. c. 8. et alii.*

270. — « *Testis peccat 1.* Si affirmat, quod ignorat. 2. Si
 » veritatem, quam debebat celare aperiat. 3. Si se occultet,
 » ne rogetur casu quo tenetur testari. 4. Si iudici justè interro-
 » ganti non obediat. 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat.

Sed dubitatur 1. An peccet contra justitiam, et teneatur
 ad restitutionem testis, qui se abscondit ne citetur à iudice?
 Affirmant *Sotus de just. l. 5. qu. 7. art. 1. et alii apud Lugo*
d. 39. n. 4. Sed communissimè et veriùs negant idem *Lugo*
n. 5. Less. l. 2. c. 50. n. 58. cum Salon. et Pegna, ac Bonu-
cina de 8. præc. d. 10. qu. 3. p. 3. n. 12. cum Navarr. Fill.
Bann. Reb. Sayr. et aliis. Ratio, quia licèt possit ille gravi-
 ter peccare contra proximi charitatem, non tamen peccat
 contra justitiam, cùm nemo teneatur præcepto superioribus
 parère, antequam ei imponatur.

Dubitatur 2. An teneatur ad restitutionem testis, qui fugit
 post citationem? Affirmant *Sotus l. c. Sanch. Cons. l. 6. c. 5.*
dub. 3. num. 4. item *Nav. Azor. Fill. Salon. et Reg. apud*
Bonac. l. c. n. 13. quia eo ipso, quo testis est citatus, tene-
 tur ex justitia testimonium dicere : prout si iudex præcipit
 alicui, ut proferat scripturam ad causam pertinentem, tenetur
 ipse ex justitia illam exhibère, aliàs debet damnum parti
 restituere. Negant verò communiùs et probabiliùs idem *Lugo*
loc. cit. n. 5. et Mol. d. 83. v. De teste, et probabile putant
Bonacina n. 13. ac Less. n. 59. cum Sylv. v. Testis, n. 8.

Ratio, quia citatio illa non imponit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ. Nec obstat paritas allata scripturæ proferendæ: nam benè respondet *Lessius*, quòd scriptura illa sine dubio ex justitia proferri debet, cum sit res externa de qua republ. justè potest disponere, sicut de aliis bonis civium, quando oportet ad jus illorum tuendum: non sic de obligatione testificandi.

Dubitatur 3. An teneatur ad restitutionem damni testis, qui legitimè interrogatus à judice veritatem occultat? Certum est tenèri si ipse positivè falsum deponat circa factum, putà si dicat domum Petri scire esse Pauli; *vide Lugo d. 59. n. 4.* Idem dicendum putat *Holzmann t. 1. p. 503. n. 710.* de teste, qui fuerit præsens in donatione mutui, et postea interrogatus id negat, quia jam iste infert injuriam alteri damnosam. Sed quid, si testis veritatem celet, negativè se habens circa factum, nempe si respondeat illud nescire, cum reverà sciat? Affirmant etiam tenèri ad restitutionem *Salm. tract. 27. c. 1. p. 3. §. 1. n. 20.* et idem dicere debent omnes AA. citati pro prima sententia dubii antecedentis, ob eandem rationem, ut suprà, quia testes, posito præcepto judicis, tenentur ex justitia veritatem patefacere: et sicut judex contra justitiam peccat, si sententiam non proferat, sic dicunt peccare testes, qui veritatem non manifestant: sed contradicunt *Mol. d. 83. vers. De teste, et Lugo l. c. num. 5. cum Raynaudo, et aliis*, ac meritò probabile putat *Less. apud eundem Lugo.* Ratio, quia testis non tenetur veritatem deponere, nisi aut ex præcepto judicis, aut ratione juramenti præstiti; unde tacendo veritatem, non peccat contra justitiam, sed tantum contra obedientiam, vel etiam contra religionem. Dispar est autem judex à teste: judex enim ex quasi contractu cum republica inito, ratione officii assumpti, tenetur ex justitia justam sententiam ferre; testis verò non tenetur ex justitia, sed tantum ex obedientia officium testis peragere, et idèò tantum contra obedientiam peccat, veritatem non manifestando. Huic sententiæ adhæret etiam *Bonac. l. c. n. 14.* Hinc ait *Ciera de casib. reserv. d. 7. n. 62. cum de Januar.* talem testem reticentem veritatem, nec incurrere casum reservatum in jurantes falsum cum damno tertii, quia reservatio intelligitur lata in eum qui jurat cum mendacio positivo, non autem negativo. Dicit verò *Bonac. ib.* quòd si testis juravit se dicturum veritatem, tene-

tur tunc ex justitia illam dicere, quia ex juramento promissorio oritur obligatio justitiæ: sed probabilius contradicit *Less. n. 60.* quia testis, jurando se dicturum veritatem, non intendit se obligare ex justitia, sed tantum ex virtute religionis ad illam manifestandam.

Sed dices: Qui fraude, aut mendacio impedit aliquem à consecutione justì boni, tenetur utique ad restitutionem damni illati, prout diximus *lib. 4. n. 387.* Sic igitur pariter tenetur damnum restituere testis, qui dicendo se nescire, quod verè scit, jam impedit per tale mendacium proximum à consecutione sui juris. At respondetur hoc procedere, quando mendacium est causa positiva, sive influxiva damni; secus si tantum negativa. Testis autem qui dicit se nescire veritatem, quam scit, est causa tantum negativa damni, cum nullum apponat impedimentum positivum, ne alter suum jus consequatur, sed solum non removet impedimentum alteri obstans, scilicet defectum probationis: ad quod removendum poterit quidem testis ex obedientia, et religione ut diximus, aut etiam aliquando ex charitate esse obstrictus, sed non ex justitia, nisi fortè peculiare pactum cum parte inierit de veritate manifestanda.

271. — Pro complemento hujus puncti, quæritur: An sufficiat depositio facta tantum in scriptis, et non oretenus? Affirmant aliqui, et *Salm. tr. 29. c. 3. p. 5. n. 72.* probabile putant: atque prælatos, et visitatores hæc opinione benè uti posse dicunt ad strepitum vitandum; et hanc tenent *ibi Roderiq. etc.* saltem si causa sit levis momenti. Communis tamen sententia, et probabilior negat hoc sufficere in causa criminali, ut habetur ex *cau. Testes, caus. 3. qu. 9. et c. A nobis, qui matr. acc. etc.* ubi: *Nullius momenti est subscriptio, quoad sententiam proferendam*: licet valeat hæc ad probandam infamiam extrajudicialiter, ut *Felin. et Far. apud Salm. ibid. n. 73.* Debet igitur depositio fieri oretenus, et tacta aliqua re sacrâ, ut cruce, vel evangelio. Sacerdotes tamen sufficit quod jurent tacto pectore. *Salm. ibid. n. 76.*

Judex autem per seipsum debet testes examinare, ut docent communiter DD. cum *Covarr. et Salm. cit. n. 76.* Potest tamen judex examen alteri digno committere, prout *Salmant. ibidem* dicunt constare ex praxi omnium tribunalium, si judex sit impeditus, vel si testes non possint ob senectutem,

vel paupertatem judicem adire, ut patet ex c. *Si qui testium, de testib.* In causis verò criminalibus ipse judex examen solet excipere, ex *Auth. de testib. §. Hæc omnia.*

Testis interrogandus est de sua ætate, nomine, cognomine et conditione: interrogandus inde per articulos de facto, et ejus circumstantiis, nempe de loco, tempore, de aliis personis adstantibus ad factum: item de ratione suæ notitiæ, præsertim in causa criminali. *Vide Salm. tr. 29. c. 3. p. 5. n. 78.* Item debent scribi verba testis, prout ipse profert. Item cavendum, ne testis sciat depositionem ab alio teste factam. *Salm. ibid. n. 80.*

Testi deprehenso in aliquibus falsum dixisse, in aliis non est credendum. *Salm. ibid. n. 82.* Depositio demùm debet denuò ante testem legi, et ab eo ratificari, et in ratificatione notandum est id quod à teste additur, vel mutatur. Et in fine secretarius scribere debet: *Quæ omnia affirmavit verissima esse juramento, quod præstitit; et, cum omnia, quæ deposuit, lecta ei fuissent de verbo ad verbum, illa ratificavit, propriaque manu subscripsit.* Et in fine depositionis cujuslibet testis, judex, testis, et secretarius se subscribere debent. Et, si testis scribere nesciat, signet crucem, et alius pro ipso subscribat, et secretarius ibidem hoc notet. Sic autem ratificatâ depositione, nulla ampliùs habenda est ratio de iis quæ testis aliter postea dicat, etiam in articulo mortis, ut dicunt *Bald. Felin. et Men. Vide Salm. ibid. n. 83. et p. 6. n. 92.*

Factâ autem rei citatione, vel oretenùs vel realiter per incarcerationem rei, vel per edictum, si reus fugerit, ac lite sic contestatâ (quod certè est necessarium ad essentiam processûs) iterùm repetendi sunt testes cum juramento, excepto casu, quo procedatur in reum absentem, ut contumacem; vel si testes, qui deposuerant, defuncti sint, vel si judex procedat ex officio, et non ad instantiam partis. Ita communiter *DD. apud Salm. ibid. n. 85. licèt Rodr. Suar. Lez. etc. apud Salm. ib. n. 88. teneant in causis religiosorum hanc ratificationem non requiri. In hac autem ratificatione magis credendum est tabellioni, qui depositionem scripsit, quàm testi asserenti aliud deposuisse, quàm scriptum est: ita Covar. Bald. etc. apud Salm. loc. cit. n. 92.*

DUBIUM VII.

DE REO.

ARTICULUS I.

An et quomodo reus teneatur fatèri veritatem ?

- 272 *Quid respondere potest reus non legitime interrogatus?*
 273 *Quando reus non tenebitur crimen fatèri?*
 274 *An teneatur reus crimen fatèri cum timore magnæ pœnæ?*
 275 *An peccet graviter reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit?*
 276 *Quando autem tenetur reus suam confessionem revocare?*
 277 *An reus ad se tuendum possit revelare crimina occulta testium, aut accusatoris? et an peccet graviter, si crimina falsa eis imponat?*
 278 *An reus teneatur revelare complices?*

272. — « **R**ESP. 1. Si non interrogetur legitime, non tenetur fatèri suum crimen, sed potest judicem eludere vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, et in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio est, quia tunc iudex non habet jus interrogandi, aut obligationem imponendi reo. Ita Less. t. 6. l. 3. cap. 5. et Bon. d. 40. q. 3. p. 2. » (Ita Cajet. Azor. Sanch. Ronc. et alii, juxta dicta l. 4. n. 154. ex D. Th. 2. 2. q. 69. art. 1. qui art. 2. sic ait: *Aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere. Quorum primum in aliquo casu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confitèri, sed illam solum, quam ab eo potest requirere iudex, putà cum præcessit..... probatio semiplena.*)

Unde resolves :

273. — « 1. Reus non tenetur fatèri crimen suum : 1. Si iudex non sit legitimus. 2. Si à seipso litis processum inchoet, sine prævia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta

» criminis indicia extant. Ratio est, quia in his judex non interrogat legitimè. Azor. *Less. Fill. Laym. Bon. ll. cc. Card. de Lugo d. 40. n. 1.*

« 2. Nec tenetur, si dubitet, an judex legitimè interroget: quia non tenetur parère cum gravi suo damno, nisi constet, superiorem posse præcipere. Ita *Less. Fill. Laym. l. c. Sanch. l. 6. Cons. c. 3. d. 31. Salas, Card. de Lugo etc. contra Sylv. Bon. et alios.* » (*Ita absolutè tenent Salm. de offic. tr. 29. c. 7. p. 1. n. 3. prope med. cum Sot. Sanch. Navar. et Sanch. Cons. l. 6. c. 3. dub. 31. n. 2. cum Soto, Cord. Caj. Nav. Palac. etc. (contra Palud. Sylv. et S. Anton.) Ratio, quia reus possidet suam vitam, et famam; unde in dubio habet jus eam servandi, usquedùm constet de legitima interrogatione).*

« 3. Judex tenetur reo manifestare statum causæ, et quæ sint indicia, quomodo probetur delictum, etc. ut reo constet, an legitimè interrogetur, quia non tenebitur respondere, alioqui, et seipsum honore, aliisve bonis, quæ bonâ fide possidet, spoliare. *Cajet. Nav. c. 25. n. 45. C. de Lugo d. 40. n. 1.* » (*Idem dicunt Sot. Tol. Less. etc. cum Salmant. cit. num. 3. communiter).*

« 4. Si reum juridicè quidem interroget judex, sed non nisi ex falsa præsumptione delicti, v. g. an exierit ex tali domo stricto ense, potest reus (idem est de teste), licèt sciat semiplenè probatum esse, id negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia, si judex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum *S. Thom. q. 69. art. 1. Sot. Fag. p. 8. cap. 34. Dian. p. 3. t. 5. misc. r. 65. C. de Lugo dub. 40. n. 4.* » (*Idem dicendum, si quis occidit ob justam sui defensionem; tunc judici interroganti potest respondere, non occidisse, hoc est cum culpa: ita Sotus, Salon. cum Salm. tr. 29. c. 7. p. 1. n. 19.*)

274. — « Resp. 2. Etsi communior, et verior sententia sit *S. Th. 2. 2. quæst. 69.* si reus legitimè interrogetur à judice, tenèri in conscientia apertè veritatem dicere; probabile tamen est etiam, quod ex *Sylv. docent Sa, et Less.* non tenèri saltem sub mortali, in causis capitalibus, et gravioribus, si sit spes evadendi, et nullum grave damnum reip. timeatur. *Tann. q. 4. d. 5. Card. de Lugo d. 40. n. 15.* ubi dicit esse sententiam valde probabilem, et in praxi

» tutam. Ratio est, quia lex humana communiter non obli-
 » gat cum tanto periculo, v. g. mortis, tùm quia inhuma-
 » num videtur, ut qui convinci non potest, teneatur præ-
 » bère arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœ-
 » nam, v. g. perpetui carceris, subeat; tùm quia non videtur
 » tam heroicus actus præcipi posse. *Boh. in 8. præc. d. 10.*
 » *q. 3. p. 2. num. 17.*

Celebris est hæc quæstio, an teneatur reus fatèri crimen
 judici legitimè interroganti, cum timore magnæ pœnæ?

Prima sententia affirmat *cum S. Th. 2. 2. q. 69. art. 1. ad*
2. Sot. Less. Sanch. Tol. Sylv. et Salm. tr. 29. c. 7. p. 1. n. 3. in
fin. et n. 9. qui dicunt hanc probabiliorem et in praxi tenen-
 dam, quamvis contrariam vocent probabilem intrinsecè et
 extrinsecè. Ratio, quia iudex jus habet præcipiendi, quando
 legitimè interrogat, ut reus crimen ei revelet; ideòque reus
 peccat contra justitiam, si hac in re gravi ei non obediat.

Secunda sententia tamen, quam satis probabilem etiam in-
 trinsecè puto (quamvis primam censeam probabiliorem) cum
Bus. et Sa, Suar. Fill. Elbel de jur. n. 144. Rodr. Vill. Henr.
Peyrin. Fagund. etc. apud Salm. ibid. n. 6. et quam probabi-
liorem censet Lugo. de just. d. 40. t. 2. n. 15. in fin. Hæc
 sententia negat tenèri reum crimen suum revelare casu, quo
 damnandus foret ad mortem, aut ad triremes, ad carcerem
 perpetuum, vel ad amissionem omnium honorum, vel totius
 famæ, et honoris. Ratio, quia videtur non adesse hanc duram
 legem, tanquam humano modo impossibilem, ut quis teneatur
 quasi ipsemet se condemnare ad gravissimam pœnam,
 crimen suum confitendo; nisi commune damnum immincat
 ex reticentia confessionis delicti, puta hæresis, læsæ Maje-
 statis, etc. tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel sal-
 tem socios, quantum opus est ad commune damnum averten-
 dum, etiamsi ipsi mors immincat ex revelatione sociorum, ex
 quibus evadet in iudicio convictus. Casu verò quo tale da-
 mnum non timetur, cum lex obligans ad crimen fatendum
 probabiliter non extet, probabiliter iudex non habet jus ve-
 ritatem in tali casu exigendi, nec reus obligationem eam
 manifestandi; et ideò reus, amphibologiis crimen celando,
 contra justitiam non peccat juxta dicta *l. 4. n. 156.* Nec obstat
 dicere, quòd reus tunc tenetur damnum illud subire pro bono
 communi; nam si hæc ratio valeret, reus ad pœnam damna-

tus nec etiam posset è carcere fugere ; in utroque enim easu viget ratio communis boni , et tamen reus licitè potest fugere , ut fatentur ipsimet *Salm. tr. 29. cap. 7. p. 4. n. 37. cum communi, ex D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. ubi ait : Non tenetur (reus) facere id , unde mors sequatur , quod est manère in loco , unde ducatur ad mortem.*

Et hoc etiamsi iudex præcipiat , ut non aufugiat , ut pro certo habet *Lugo l. c.*

Omnes autem conveniunt , ut par est , ad dicendum , quòd si reus sit in bona fide , et censeatur quòd difficilè inducetur ad fatendum crimen interrogatus à iudice , confessarius in sua bona fide eum relinquere debet , ut *Sanch. Dec. l. 3. c. 7. n. 8. Salm. ibid. p. 1. n. 24. etc.*

« Dixi 1. in capitalibus : quia aliud est de causis , in quibus agitur de pœna ecclesiastica , quæ est medicinalis,

« Dixi 2. si sit spes evadendi ; quia , absque ea , cessat ratio » celandi veritatem.

Unæ resolves :

« 1. Non semper opus est , juxta dicta resp. 2. ut confessarius reum urgeat ad crimen fatendum. *C. de Lugo dist. 40. n. 20.*

« 2. Post sententiam latam , reus non tenetur confitèri crimen , quod antè injustè negavit , quia , finito iudicio , finitur obligatio rei. *Laym. loc. cit. » (Idem dicunt Sanch. Dec. lib. 3. cap. 7. et Salm. tr. 29. c. 7. p. 1. n. 20. Idemque dicitur de teste. Vide lib. 4. n. 135.)* « Imò probabile est , nec ante » sententiam ad id tenèri , etiamsi adhuc sit in potestate iudicis , donec iterùm interrogetur. *Card. de Lugo d. 40. num. 17. » (Ita etiam Sanchez. loc. cit. num. 8. et Salm. ibid. num. 21. etc. contra Nav. Bann. etc. Ratio , quia justitia legalis non obligat , nisi tunc tantùm , cum iudex interrogat : nisi iudex tempus ad respondendum præscribat , nempe si præcipiat , ut reus infra mensem veritatem dicat , et mensis adhuc duret. His tamen non obstantibus , probabilius docent Sotus lib. 3. de just. quæst. 6. art. 12. Nav. Sum. cap. 25. n. 36. item Sayr. et Angles apud Sanch. n. 7. qui fatetur communem sententiam. Ratio , quia quandiu sententia pendet , adhuc censeatur perdurare præceptum iudicis , ut justum serretur iudicium).*

« Resp. 5. Si quis ad evitanda tormenta gravia mentitus ,
 » falsum sibi crimen imposuit , per quod sit morte plecten-
 » dus , non videtur mortale. Ita contra *Nav. et alios* docent
 » *Angel. Syl. Less. l. 2. c. 11. d. 7. Tan. de just. d. 4. q. 4.*
 » *dub. 5.* Ratio est , quia non est mentitus perniciosè , cum
 » non teneatur tantis tormentis vitam conservare. *Vide C. de*
 » *Lugo l. c.*

275. — Quæritur hic , an reus ad evitanda gravia tormenta peccet graviter confitendo falsum crimen ?

Prima sententia negat , quam tenet cum *Bus. Less. lib. 2. c. 11. d. 7. n. 40. cum Ang. Sylvest. Tol. et Soto* , et probabilem putat *Lugo d. 14. n. 174.* Ratio , quia nemo tenetur vitam servare cum tanto cruciatu , qui morte ipsâ durior videatur , juxta dicta *lib. 4. num. 372.*

Secunda sententia verò probabilior affirmat , et hanc tenent *Mol. dist. 37. n. 18. et Lugo l. c. cum Nav. et Covarr.* Ratio , quia , licet nemo teneatur tuèri vitam adhibendo medium visum ipsâ morte durius , nemo tamen potest positivè coöperari suæ injustæ morti , quod est intrinsecè malum , cum homo non sit dominus suæ vitæ. Unde probabilius infert *Molina num. 16. et 18. contra Busemb. ut infra* , quòd si causa sit adhuc in eo statu , ut per retractationem possit mors impediri , debet reus se retractare , quia falsa illa confessio pergit influere ad suam injustam mortem , et ideò tenetur causam illam auferre ; sicut qui ignem culpabiliter accendit in domo aliena , tenetur etiam cum suo damno illum extinguere (1). Advertit hic autem *Lugo n. 187. cum Molina* , quòd etsi à principio peccasset reus confitendo crimen falsum cum infamia alterius , non tenetur postea se revocare ad reparandam alienam infamiam , se denuò exponendo ad sustinenda illa gravia tormenta , quia nemo tenetur famam restituere cum tam longè graviore suo damno.

276. — « 1. Talis non tenetur postea crimen revocare ,
 » quamvis antè perjurio confirmasset , si prudenter metuit ,
 » ne ad tormenta revocetur : quia etsi pejeratione graviter

(1) « Sed hic (*Mol.*) pariter dicit , quòd si reus sit in bona fide , non debet
 » confessarius eum obligare , ut se retractet cum periculo , quòd ille ut vitet
 » tormenta , peccet formaliter , denuò delictum , quod non patravit , sibi
 » imponendo. » *Hom. Ap. tr. 13. n. 84.*

» peccarit, hoc jam transiit; et non retractando nemini facit injuriam; ideòque sufficit coram Deo pœnitère. Vide *Less. Tann. l. c. et q. 3. d. 4.*

» 2. Si ex illa falsi criminis confessione grave damnum aliis sequitur, v. g. bonum reip. aut fama religionis, vel familiæ notabiliter læderetur, aut aliqui ideò in hærcsim lapsuri essent, quævis potiùs tormenta perferenda essent. *Tann. l. c. et q. 3. d. 4.*

» 3. Si reus tormentis coactus denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, et si tùm non facit, etiam post damnationis sententiam revocare, ad quod etiam à confessario est obligandus. Ita ex communi *Tol. lib. 3. cap. 6. n. 7. Less. cap. ult. dist. 13. Tann. dist. 4. qu. 3. dub. 4. n. 103.* Ubi subjungit: 1. Si quis tamen sequatur, ipsaque praxi servari advertat, eam sententiam, quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denuntiationem antè factam ut docent *Delrio lib. 3. sect. 3. Valent. dub. 6. qu. 13. part.*

» 4. is consequenter existimare poterit, denuntiantem in eo mortis articulo, saltem cum suo incommodo, et sub peccato mortali, obligatum non esse ad revocationem, quia inutilis. Ita *Tann. loc. cit.* licèt ipse rectè censeat, fundamentum istius sententiæ minùs esse probabile.

» 4. Monet idem *Tann. n. 103.* cavendum esse confessario, ne vel importunè sæpiùs reo damnato inculcet retractationem denuntiationis iniquè factæ, vel retractationem factam imprudenter, et cum scandalo evulget.

277. — Quæritur hìc, an reus ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris? Et an peccet graviter, si falsa crimina eis imponat? Hìc ante omnia advertenda propositio 44. damnata ab *Innoc. XI.* quæ dicebat: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et, si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in theologia.* Resp. igitur I. Quòd falsum crimen testi, vel accusatori opponere, ad suam causam tuendam, illicitum semper est, et culpa gravis. Ita comm. *S. Th. 2. 2. q. 69. art. 2. Sanch. Cons. l. 6. c. 3. dub. 20. n. 4. Sot. Less. et Salm. tr. 29. c. 7. p. 2. n. 27.* Et hoc, etiamsi accusatus esset verè innocens, et injustè aliàs damnandus esset ad mortem; rationem assi-

gnant *Salm. ib.*, quia nunquam licet se defendere cum gravi damno proximi innocentis. Sed hæc ratio sic genericè sumpta minimè suadet; nam juxta legem charitatis, cum vita sit bonum ordinis majoris, quàm sint bona temporalia, potest suam vitam defendere cum jactura bonorum, vel famæ alienæ. Et, si ad hoc reus adhibeat mendacium, erit quidem peccatum, sed non plus quàm veniale; quia ratione damni tenetur tunc proximus damnum suæ famæ sufferre, ad servandam vitam innocentis in extrema necessitate constituti. Ratio, quam puto magis in hoc casu valere, est, tum quia injusta læsio famæ alienæ vel non est unicum medium ad tuendam vitam rei, vel facilè est obnoxium periculo hallucinationis; tum quia mendacia gravia in judicio dicere est contra bonum commune, cum sit pervertere omnem justitiæ ordinem, et idèd illud quisque præferre debet privato bono etiam propriæ vitæ.

Resp. II. Quòd opponere crimen verum, sed occultum testis, vel accusatoris, licitum est reo, ut *Sanch. loc. cit. n. 1. Ronc. cap. 2. q. 4. Salm. tr. 29. c. 7. p. 2. n. 30. Viva in d. prop. 44. n. 12. et Milante ex. 24. Vide dicta l. 4. num. 969.* Dummodò hoc sit absolutè necessarium ad suæ innocentiae defensionem; item dummodò aliàs reus non leve, sed grave damnum sit passurus, licèt majus damnum eveniat accusatori, vel testi, ut ait *Sanch. l. c. n. 4.*

Sed quid si reus verè commisit crimen, sed occultè, ita ut nullo modo probari possit, utrùm tunc possit dicere, accusatorem mentitum fuisse; vel possit opponere crimen illius occultum? Affirmat *Corella* in expositione prop. 44. damnatæ ab *Innocentio XI.* ut suprà et probabile rectè putant *Salm. ibid. n. 52. et Roncaglia cap. 2. qu. 6.* quia accusans reum de crimine omninò occulto, censetur in jure, ac si de crimine falso accusaret, et calumniam afferret, ut dicit *Glossa in c. Cum dilectus, de calumn.* his verbis: *Si renuntians non probat, quod intendit, calumniari præsumitur.* Et ob eandem rationem dicunt *Sanch. Cons. lib. 6. c. 5. dub. 20. n. 1. et Salm. ibid. n. 30. in fin.* casu quo crimen rei est occultum, et nequit plenè probari, posse eum revelare delictum occultum testis ad sui defensionem; modò tamen (addunt) testis spontè deponat, et non coactus; sed id admittunt *Milante, ac Viva in d. prop. 44. Innoc. XI. n. 12.* et expressiùs *Lugo*

d. 90. n. 23. etiamsi testis sit coactus ad deponendum; juxta enim communem DD. sententiam traditam à D. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 2. et relatam lib. 4. n. 969. (quam rogo ut relegas) nemo tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare.

278. — « Quæres, An reus teneatur revelare complices?

« Resp. 1. Si omninò occulti sint, nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possint, non potest, nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodatur, ordinariè non peccabit, *Less. l. c. et Laym. l. 3. t. 5. c. 5.*

« Resp. 2. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus: ideòque, si nolit, secundùm Nav. non erit absolvendus.

ARTICULUS II.

Quid liceat reo circa fugam pœnæ?

279 An liceat reo injustè damnato vim vi repellere, aut positivè resistere?

280 An reus, qui verè deliquit, possit fugere è carcere?

281 An damnatus ad mortem teneatur fugere si possit?

282 An reo ad fugiendum liceat decipere custodes, et effringere carcerem? Et an tunc teneatur ad damnum carceris fracti?

283 An liceat aliis reum adjuvare ad fugiendum, aut ad carcerem effringendum?

284 An damnatus, ut fame pereat, teneatur sumere cibum oblatum?

285 An, et quando liceat reo appellare?

279. — « **R**ESP. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundùm allegata, et probata: etsi in conscientia non obliget, non potest reus judici positivè resistere, tum ob scandalum, tum quia tali casu iudex habet jus sententiam exequendi, et ad id tenetur. Ita communiter *Less. Sanch. contra Vict. Bon. C. de Lugo d. 4. n. 38.* Dixi, positivè: quia reo, etiamsi verè reus sit, licet ante, et post sententiam (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v. g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio est, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad

» eam non conservandam , si spes commoda ostendatur : nisi
 » tamen bonum publicum aliud postulet. *Less. l. 2. c. 51. d. 5.*

Sed clariùs distinguendum , et dicendum I. Si reus est damnatus injustè , non solùm secundùm rei veritatem , sed etiam secundùm allegata , et probata , non potest quidem vim vi repellere , occidendo , vulnerando , etc. Proscripta enim fuit prop. 18. ab *Alexandro VII.* quæ dicebat : *Licet interficere falsum accusatorem , falsos testes , ac etiam judicem , à quo iniqua certè imminet sententia , si alià vià non potest innocens damnum evitare.* Ratio hujus est , quia , cùm facilè rei sibi persuadère possint injustè esse damnatos , si eis occidere permitteretur , quamplura homicidia cum communi damno acciderent ; ideò , ratione periculi facilis hallucinationis , fuit præfata propositio justè damnata.

Potest tamen tunc reus licitè non solùm fugere , sed positivè resistere , v. gr. satellites pellendo , vel eos etiam armis terrendo , ut è manibus eorum se eripiat. Ita *S. Th. 2. 2. q. 69. art. 4. Ronc. de 8. pr. c. 2. q. 7. Salm. tr. 21. c. 7. p. 4. n. 50. et 51.* modò (ut iidem AA. advertunt) ex hoc non oritur publicum scandalum , et perturbatio.

Dicendum II. è converso , quòd , si sententia est omninò justa , quia verè crimen reus patravit , et satis fuit probatum , tunc non licet ei positivè resistere , ut docet *S. Th. ib. cum Bus. hic , Salm. cit. n. 51. in fin. et aliis communiter.* Ratio , quia sententia , cùm sit justa , reum ad obediendum obligat , ut ait *S. Th.*

280. — Sed quæritur hic I. An reus , qui verè deliquit , possit à carcere fugere ? Affirmatur 1. Si reus nondùm ad pœnam sit sententià damnatus ; quia nemo anto sententiam tenetur solvere pœnam , ut *Ronc. c. 2. q. 8. Salm. ibid. n. 53. cum Sayr. Salon.* Affirmatur 2. Si quis sit damnatus ad mortem , aut ad aliam gravem pœnam , ut infra , modò illi carcer non sit assignatus ad pœnam , sed ad custodiam , ut docent *S. Th. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. Caj. Sot. Tol. Sa , Bus. hic Ronc. l. c. et Salm. ibid. n. 57. cum communi.* Ratio , quia sententia non damnat reum ad non fugiendum , sed tantùm ad non resistendum ministris , cùm sententiam exequuntur. Idem autem , quod de pœna mortis , dicunt de pœna mutilationis , et flagellorum *Salm. Ronc. l. c.* Et idem de pœna treremium dicunt *Lugo disp. 40. sect. 4. et Ronc.*

Si verò carcer sit jam per sententiam assignatus ad pœnam, etiam perpetuò, tunc negandum reo licere è carcere fugere, quia in executione sententiæ justæ tenetur utique reus obedire. Ita *Navar. Sylv. Caj. etc. cum Salm. tr. 29. c. 7. p. 4. n. 54. et Ronc. l. c. cum comm. contra Bus.* Excipiunt tamen aliqui, si in carcere non dentur ei necessaria ad sustentationem, ut *Salm. ibid. n. 55.* vel si carcer esset nimis tristis, quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum, cum possit, sine vi et resistentia, à pœna valde dura. Ita *Bon. cum Pal.* Confirmat hoc illud, quod dicit *S. Th. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2.* quòd damnatus, ut fame pereat, licite cibum sumit. Eadem ratione probabiliter à *Lugo, Sanch. et Nav. cum Salm. ibid. n. 60. in fin. (contra Sayr.)* excusantur damnati ad triremes, si fugiant è carcere: et etiam ab ipsis triremibus, ut tanquam probabilius tenent *Sanchez Dec. l. 6. c. 8. n. 16. et Lugo, Less. Bann. Led. Card. Nav. cum Salm. et Ronc. l. c. (contra Vasq. et alios).* Item probabiliter *Salm. et Ronc. ibid. n. 56. cum Navar. Salon, Lop. etc.* excusant debitorem damnatum ad carcerem donec solvat, si fugiat, sperans facturum solutionem, quam in carcere exequi non posset.

281. — Quær. hic II. An reus justè damnatus ad mortem teneatur fugere è carcere, si possit.

Prima sententia affirmat, quia aliàs videtur esse sui ipsius homicida. Ita *Imola, et Felin. apud Salm. ibid. n. 61.* et asserunt sic colligi ex *S. Thom. qui 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2.* dicit, quòd justè damnatus ad mortem *non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem.* Quamvis hanc sententiam probabilem vocent *Salm. ibid. n. 63.* longè veriolem tamen, et tenendam puto *secundam sententiam*, quæ docet tam detentum in carcere pro crimine capitali, quàm justè damnatum ad mortem, fugere non tenèri, ut dicunt *Sylv. Sot. Sa, et plures cum Salm. cit. n. 63.* Ratio, quia, quamvis reus non possit facere actum immediatè tendentem ad mortem, ut sua mutilare membra, è furca se dejicere, venenum potare, etc., licent tamen ei actus mediati, ut ascendere scalam furcæ, extendere collum ad patibulum, et sic in carcere manere; maximè, si justum finem habeat, ut crimini satisficiat, ut sua punitio aliis ad exemplum prosit, et sic intelligendus est *S. Thom.* ut suprà,

qui non dicit reum fugere tenèri, sed tantùm non tenèri in carcere manère, cùm fugere possit.

Sed doctrinæ, quæ usque adhuc relatæ sunt, loquuntur in casu, quo sententia fuit omninò justa, vel injusta. At remanet dubium à *Salm.* non satis distinctum, videlicet quid dicendum si sententia fuit tantùm materialiter justa, nempe tantùm justa secundùm allegata, et probata, sed non secundùm veritatem, quia reverà damnatus esset innocens; an tunc ipse posset ad pœnam vitandam, non solùm fugere è carcere, sed etiam positivè resistere? Negat *Bus.* et videntur assentire *Salm. tr. 29. c. 7. p. 4. n. 51.* dicendo, quòd reus tenetur obedire sententiæ justæ secundùm probata. Attamen *Ronc. l. c. cap. 2. q. 7. et Lugo d. 40. n. 29.* sat probabiliter dicunt, quòd in hoc casu benè posset reus positivè se defendere; quia præsumptio debet cedere veritati, et ipsa innocentia tunc ad defensionem jus præbet: modò ex ea non oriatur publicum scandalum, et perturbatio, ut suprâ diximus cum *S. Thom. et aliis sup.*

« 1. Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris
 » gravem damnum inde passurus sit (saltem nisi juraverit se
 » mansurum); quia utitur suo jure, et nulli facit injuriam.
 » *Fill. t. 40. c. 4. n. 274. Azor. Less. d. 3. n. 51.*, nisi tamen
 » charitas aliud suadeat, ob damnum custodis præponderans.
 » *Vide Bónac. d. 10. q. 3. p. 2. n. 13.*

« 2. Multò magis licet fugere, ne capiatur; vel etiam à
 » ministro apprehendente se excutere; non tamen illi vim in-
 » ferre, vulnerando, percutiendo, etc. *ibid. et Regin. l. 24. n. 4.*
 » 282. — « 3. Licet etiam, saltem in foro conscientiæ, cus-
 » todes (præcisâ vi, et injuriâ) decipere, tradendo v. g.
 » cibum, et potum, ut sopiantur, vel procurando, ut
 » absint; item vincula, et carceres effringere, quia, cùm
 » finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licèt alii captivi
 » per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de
 » damno; quia tantùm est ejus causa per accidens, cùm jura
 » suo utatur. Nec refert, quòd leges, et magistratus quidam
 » tales effractores graviter puniant; id enim fit, quòd vel
 » contrariam sententiam sequantur, vel ex præsumptione,
 » quòd vim intulerint custodibus, vel quòd propter bonum
 » reipub. ea pœna statuta sit. *Fill. l. c. Tan. d. 4. q.*
 » 4. dub. 3. ex aliis multis. *Vide Card. de Lug. d. 40. sect. 4.*

Idem (id est quòd liceat effringere carceres) probabiliùs sentiunt cum *Bus. Caj. Sot. Val. Nav. Tol. Less. Lugo, Sa, et quamplures cum Salm. tr. 29. c. 7. p. 5. n. 67. et Ronc. c. 2. q. 8. Resp. 5. contra Covar. Sylv. Tab. etc.* An autem tunc reus teneatur reficere damnum illatum in carcerem, ferra, vel parietes frangendo, etc. Affirmant *Less. Cajet. cum Salm. ibid. n. 78.* Sed probabile est oppositum cum *Salm. ibid. n. 77. Bann. Val. Sayr.* quia illud damnum evenit per accidens; cæterùm, qui habet jus ad suam vitam tuendam, habet etiam jus ad damnum alteri inferendum in bonis, si pro defensione vitæ opus sit damnum illud inferre.

Consentiunt etiam cum *Bus. Salm. ibid. p. 4. n. 65. et Ronc. c. 2. q. 8. r. 5.* in dicendo, quòd liceat reo decipere custodem, ut possit fugere, modò tamen (addunt) tales actus et verba adhibeat, ut possit custos fraudem agnoscere. Secùs tamen si custos advertere nequeat, quia tunc nullo modo dici potest, quòd custos sciens et volens damnum ex fuga illi obveniens patiatur. Ita *Salm. loc. cit.* quorum authoritati obsequium servo; sed non valeo intelligere, cur reo, cui licitum est fugere, non liceat etiam artes adhibere ad fugiendum (dummodò mendacia non adhibeat), etiamsi illas custos non possit advertere, et ex fuga damnum ei sit obventurum, cum reus tunc utatur jure suo, et damnum custodi per accidens eveniat. Favet mihi doctrina, quam cum *Rusemb. et pluribus tenent iidem Salm. tr. 29. c. 7. p. 5. n. 67.*, nempe quòd damnatus ad mortem benè potest effringere carceres ad fugiendum, licèt ex fuga damnum obveniat custodibus; ut expressè docet *Cajet. apud Salm. ibid. num. 77. prope med.* Ratio, quia tunc reus dat operam rei licitæ.

Asserunt autem *Ronc. l. c. et Salm. ibid. p. 4. n. 64 cum Tamb. Ang. etc.* benè licitum esse reo carceris custodem corumpere pecuniis; quia, ut dicunt, reus jus habet ad suam vitam servandam, et nullum præceptum adest id prohibens. Sed huic doctrinæ nec etiam possum acquiescere; nam, licèt quisque jus habeat ad vitam, nemo tamen potest alterum inducere ad faciendam actionem intrinsicè malam; actio autem custodis, si ostium reo aperiat ad fugiendum, certè est intrinsecè mala, cum peccet contra suum officium; nescio igitur, quomodo possit ad illam custos positivè induci.

285. — « 4. Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet

» non solum consilio juvare reum, ut fugiat, sed etiam sup-
 » peditatis instrumentis, v. g. funibus, lima, etc. quia finem
 » alteri licitum illi suadere, et ad eundem media proponere
 » licet. *Less. l. c. t. 6. n. 40. Tann. l. c. Sylv. Turr. Vasq.* »
 (Ita etiam probabiliter tenent *Caj. Less. Sanch. Lugo, Sa,*
etc. cum Salm. ibid. p. 5. n. 72. et Ronc. q. 8. r. 4. contra
Sot. Syl. Tab. Val. etc. apud Salm. ibid. n. 171. et contra
Elbel de hom. num. 17. Rectè verò limitant Ronc. ibid. et Salm.
ibid. n. 75. in fin. cum Lugo, si fuga rei esset pernicio-
reipublicæ, putà si reus esset grassator viarum, aut similis).

« 5. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut
 » habet communis, » (*cum Ronc. l. c.*) « tùm quia executio
 » ipsa effractionis soli reo licita est, propter jus vitæ con-
 » servandæ; tùm ne alioqui omnis securitas carceris pereat.
 » *Less. l. c. Bonac. d. 10. q. 5. p. 1.*

284. — Quæritur hic I. An damnatus, ut fame pereat, teneatur cibum sumere, si ei offeratur? Certum est, quòd potest, ut docet *S. Th. 2. 2. quæst. 69. art. 4. ad 2. cum communi.* Alii tamen dicunt, etiam sumere tenèri, quia quilibet debet suam vitam servare omni licito modo, quo potest. Ita *Cajet. Bann. Covarr. etc. cum Salm. tr. 29. c. 7. p. 5. n. 80.* et his consentit *Lugo, d. 10. n. 30.* qui tamen admittit posse reum semel vel iterùm respuere cibum clam oblatum. Sed probabiliùs non tenetur, quia aliud est vitam positivè perdere, aliud vitam negativè non conservare; hoc enim licitum est reo ex recto motivo justitiæ, ut penam subeat sui criminis, sicut potest non fugere, cùm possit, ut diximus. Ita *Ronc. l. c. cum Sayr. Sot. Tab. Major. apud Salm. ibid. n. 81.* qui satis probabile vocant: et oppositum censendo probabilius, non sibi conveniunt, cùm in *eod. tr. de rest. c. 2. n. 54.* teneant, benè posse aliquem in naufragio cedere tabulam amico, ob eandem rationem nostram, quia hoc non est directè se necare, sed vitam non tuèri, quod ex causa honesta licitum est.

Quæritur II. An liceat aliis cibos reo subministrare? Respondetur ex communi DD. hoc licere omnibus, præterquam ministris; sed nemo ad id tenetur, quia, eo ipso quòd quis ad fame pcreundum damnatur, privatur jure, ut sibi ab aliis in extrema necessitate succurratur. Ita *S. Thom. 2. 2. quæst. 51. a. 2. ad 3. Caj. Sot. Sa, etc. cum Salm. ibid.*

n. 84. et 85. An autem reus ex præcepto judicis possit ipse se occidere? Duplex est probabilis sententia. Vide dicta de 5. præc. l. 4. n. 369.

285. — Quæres, an reo liceat appellare?

« Resp. Si sciat sententiam esse justam, et justè processum esse, non licet (licet tamen supplicare); quia id esset »
» judici calumniam imponere. Imò injustè appellans tenetur »
» de damno. Si verò putet sententiam iniquam esse, aut in- »
» justè processum esse, aut si diversæ sint opiniones, potest »
» appellare. Vide *Trull. l. c. n. 100.*

Pro majori intelligentia dicimus licere quidem reo ad judicem supremum appellare, non solùm si sententia inferioris fuerit injusta, sed etiam si secundùm allegata fuerit justa, at reus habeat pro se novas probationes. *Salm. ibid. p. 5. n. 58. cum Navarr.* Secùs tamen, si sententia lata fuerit omninò justa, nec oppositum probari possit. *Salm. ibid. n. 42.*

Quid, si justitia sententiæ latæ sit dubia? Resp. in causa criminali, et capitali potest profectò reus appellare ad judicem superiorem, ut *Salon. Sot. Bann. et ipsi Salm. tr. 29. c. 7. p. 3. n. 45.* Et hoc, etiamsi jus rei sit minùs probabile, quia dicunt DD. citati cum *Corella, Lumbier, Torrecill. et Filguera apud Salm. ibid. n. 48.* quòd, existente pro reo opinione probabili, licèt minùs probabili, pro ipso est judicandum, ex regula juris 11. in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, potius reo, quàm actori est favendum. Vide dicta n. 210.*

Secùs autem dicendum in causa civili, quando certè jus contra reum minùs probabile est; quia tunc superior, si juxta opinionem minùs probabilem pro reo judicabit, certè iniquè aget, ex prop. 2. damnata ab *Innoc. XI.* ut *Salm. ibid. n. 46.* Sed quid, si dubium sit, an judex superior justè laturus sit sententiam pro reo? In tali casu probabiliter *Salm. ibid. n. 48. cum Bus.* dicunt posse reum appellare, etiam in causa civili; quia, cùm mentes hominum sint diversæ, fortè opinio, quam judex inferior minùs probabilem censuerit, superiori probabilior apparebit, et hoc experiri non sine justa causa licèt potest reus, cùm jus probabile jam pro se habeat; et ita esse praxis videtur omnium appellantium.

DUBIUM VIII.

Quomodo confessario agendum cum reo?

286. — « **R**ESP. observanda sequentia : 1. Instruat eam ,
 » quòd quæ secum in foro conscientiæ agit , cum iudicibus
 » non communicentur , ideòque sive sit nocens , sive inno-
 » cens , id ei nec prodesse , nec obesse possit. Ratio , quia
 » aliàs multi conantur se falsò probare innocentes , ut à con-
 » fessario juventur : alii contrà falsò se innocentes dicunt ,
 » quòd timeant , ne confessarius conferat cum iudicibus ,
 » ipsique revocentur ad torturam. Unde expedit : 1. Ut non
 » temerè evulget confessarius accepta extra confessionem.
 » 2. Ut ad confessionem sacramentalem reum non admittat ,
 » nisi postquam in foro profano res sunt liquidæ ; vix enim
 » adigi poterit , ut omnia fateatur ob timorem , ne vel dese-
 » ratur , vel cogatur eadem fatèri iudici ; antè tamen de con-
 » tritione agendum est. *Delrio l. 6. c. 1. s. 3. Tann. d. 4.*
 » *q. 5. dub. 4.*

« 2. Ne cogat importunis modis reos , ut se tales fatean-
 » tur : tum quia verè quidam rei non sunt , et victi illà im-
 » portunitate , ne moriantur incommunicati , vel à confes-
 » sario in extremis deserantur , confitentur sacrilegè ; tum
 » quia frustrà est confessio , nisi fiat ex contritione , et vera
 » ad Deum conversione ; de hác ergò laboret , et sequetur
 » bona confessio , non autem contrà. *Tann. loc. cit.*

« 3. Caveat ne coram reo censuret modum procedendi ju-
 » dicialem : proindeque communiter non admittat querelas
 » de injuria facta , cum non sit confessarii ea judicare , sed
 » ad penitentiam disponere.

« 4. Etsi quidam auctores permittant iudici uti dolls bonis
 » ad crimen eliciendum , non tamen id licet confessario ne
 » ministerium ejus infametur.

« 5. Non licet secundum concilium Antiochenum , c. 35.
 » et 35. Non licet , palàm interesse tormentis , aut suggerere
 » modum torquendi , nisi mitiorem. *Vide Tann. d. 4. q. ult.*
 » *d. 5. num. 128.*

« 6. Expedit habere cognita indicia, et probationes de-
 » prehensas in iudicio, ipsumque modum processus, ut et
 » prudentius possit in suo foro agere, et iudicem, sicubi
 » opus, prudenter admonere.

287. — « 7. In confessione examinet: 1. An consortes cri-
 » minis prodiderit (si secundum supradicta tenebatur) et qui-
 » dem si falso alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam
 » cum periculo torture. *Vide Tann. d. 4. q. 5. d. 4. n. 104.*
 » *et dicta dubio superiore.* 2. Si saga sit, quo tempore, quã
 » occasione in magiam sit lapsa, ut si postea negat, convinci
 » possit in eodem foro. 3. In qualitatem superstitionis,
 » an ex animo christianæ fidei renuntiaverit, dæmonem ado-
 » raverit, falsa de Deo et æternitate senserit, rebus sacris
 » abusa sit, hominibus nocuerit, præsertim conjunctis, ut
 » marito, liberis, et an alios seduxerit. Item de peccatis
 » carnalibus. Denique confessæ aperiat fraudes dæmonis, in-
 » struatque, quomodo iis deinceps occurrendum, atque inter
 » cætera suadeat fidei professionem, et frequentem symboli
 » repetitionem.

288. — « 8. Sæpè non expedit post supplicium iudici signi-
 » ficare, reum in extremis denuntiationes revocasse, tum quia
 » iudices id parvi faciunt (quàm rectè, vide apud *Laym. et*
 » *Tann. l. c.*); tum quia frangit sigillum sacramentale, si
 » non petit licentiã, innocentiam denuntianti evulget, cum
 » eo ipso revelet peccatum denuntiantis. Quare, si aliquando
 » iudicem monere expediat, rogandus est reus, ut id extra
 » confessionem, et coram testibus dicat *eo fine* ut iudex
 » moneatur.

289. — « 9. Si alicujus innocentiam ex confessione colligeret
 » (quod etsi difficile, non tamen impossibile esse docet *Tann.*
 » *dist. 4. qu. 5. dub. 4. n. 85.*), id iudici aperire, ac pro reo
 » intercedere, periculosum est; quia post publicatam rei con-
 » fessionem, ei non credetur: tum quia, si plures audiat,
 » hoc ipso aliorum nocentiam de illis tacendo videtur confir-
 » mare, cum fractione sigilli; tum quia si rei cognoscant
 » cum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient
 » ei callidè sua facinora celandi. *Vide Laym. l. 3. t. 6. c. 5.*
 » *Tann. d. 4. q. 5. d. 4. n. 65.*

290. — « 10. Etsi pro reis, etiam justè damnatis, interce-

» dere aliquando possit, maximè apud magistratum supremum, juxta Scripturam *Prov. c. 24. v. 11. Erue eos*, valde
 » tamen prudenter, et moderatè id faciendum, quia relaxatio potest esse illicita, judexque (non tamen confessarius, nisi ea præviderit) fieri reus malorum omnium, quæ ex liberatione sequuntur; imò et ipsi imputabuntur, cum ex officio debuerit impedire. *Vide Bonac. in 8. præc. d. 10. qu. 2. et 3. Tann. de just. dub. 4. qu. 5. d. 4.*

DUBIUM IX.

Quæ obligatio medicorum, et pharmacopæorum, et chirurgorum?

294. — **R**ESP. Tenentur ii in primis, quando tale officium petunt, vel suscipiunt, sub gravi obligatione sufficientem habere scientiam, sive peritiam. *Nav. c. 25. n. 60. Anton. Carden. de Lugo d. 26. n. 1.* Deinde in curandis infirmis servare sequentes regulas: I. Ordinariè debent sequi opiniones medicorum securas, et tutas. Ratio est, periculum, et damnum proximi. Ita *Bon. Laym. Sanch. 1. mor. c. 9.* II. Quando certum aliquid est pharmacum, quod nimirum certò infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur, quia aliàs imprudenter proximum in periculo relinquerent. III. Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora et tutiora; tum quia alioqui salutem proximi in discrimen adducerent: tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo, et damno. IV. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur, num profuturum, an nociturum sit, possunt, imò debent illud adhibere. Ratio est, quia sic infirmi negotium utiliter geritur, et si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cum aliàs spem vitæ non habeat. *Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. Fill. n. 152. Bonac. de pecc. d. 2. qu. 4. p. 9.* » (*Est probabile, juxta dicta l. 1. n. 46.*)

Unde resolves :

« 1. Medicus peccat : 1. Si absque sufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrenti gravi, et insolito morbo, speciali studio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quàm profuturum. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratiâ adhibeat, præsertim quando de iis non est opinio probabilis, et habet medicamenta probabiliter utilia. 5. Si non benè perspectâ morbi naturâ, temerè adhibeat remedia obvia vel periculosa, præsertim cum discrimine vitæ, vel gravis læsionis. 6. Si, agnito ægroti periculo, opportunè non adsit, aut necessariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid suadet Dei honori, vel præcepto contrarium, v. g. incantationem, pollutionem, superstitionem, etc. 8. Si facilè et sine necessitate à jejuniis absolvat, carniæ esum permittat. 9. Si ægrotantem pauperem in periculo constitutum con-temnat. *Vide Bon. l. c. Nav. c. 15. Azor. 1. p. l. 2. c. 17. q. 11. Escob. l. 2. c. 5. c. 9.* » (*Rectè hinc dicit Croix l. 4. n. 1534. peccare medicum, qui omittit medicinas gratis præscribere pauperibus in gravi periculo constitutis*).

« 2. Pharmacopola peccat : 1. Si rudis, et ignarus munus exerceat. 2. Si sine arte, vel diligentia medicamenta conficiat. 3. Si melle in potionibus pro saccharo utatur. 4. Si unum medicamentum pro alio (nisi tamen esset æquè bonum, et non majoris pretii) contra medici præscriptum, cum gravis damni periculo porrigat. (*Vide dicta de contract. l. 4. n. 821.*). « *Vide Salas d. 54.* 5. Si medicamenta ad non parandum, vel ad fœtum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, etc. *Vide Escob. l. c. (1)*.

(1) In textu *Busemb.* additur sequens numerus 3 qui in hujus Operis editionibus quidem non invenitur, ast errore typographi omissus rectè censetur.

« 3. Peccat chirurgus : 1. Si sine scientia et peritia sufficienti vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si lucri amore curationem protrahat. 4. Si mercedem justo majorem exigat. 5. Si abortus causâ venam aperiat, aliudve remedium adhibeat. *Vide Escob. l. c.* »

Edit.

DUBIUM X.

Quæ obligationes mercatorum, opificum, et
cæterorum sæcularium?

« **R**ESP. Emæ patent ex dictis de septimo præcepto ex quibus resolves :

292. — « 1. Mercator peccat : 1. Si venenum, vel alia prohibita vendat, eum suspitione pravi usûs » (*Vide dicta l. 3. n. 72.*) « 2. Si paratus sit quodcumque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere. 3. Si rem carius, quàm supremo pretio vendat, ob dilatam solutionem. 4. Si mercium defectum gravem occultum non aperiat : pondus et mensuram imminuat. 5. Si in emptorum injuriam monopolium injustum instituat, merces omnes unius generis sibi comparet, immoderato quæstu pro libito vendendas. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretia minore, vel cariore vendat ignoranti. 7. Si merces veteres et inutiles novis admisceat, et vendat eodem pretio utrasque. 8. Si justa tributa defraudet. 9. Si tempore debito, cum possit non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10. Si mercibus solvat, quod pecuniâ debet contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus festis publicè emat, vel vendat contra consuetudinem permissam. 12. Si juret falsò, se tanto pretio merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcumque, dubitans de ejus justitia. 14. Si emat res furtivas, etc. *Vide Escob. tom. 2. e. 2. c. 12.* » (*Vide dicta de restit. l. 4. n. 599.*)

« 2. Bibliopola peccat : 1. Si vendat libros prohibitos, vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro, etc. *Vide Esc. cap. 13.*

« 3. Argentarius sive aurifaber peccat : 1. Si æs pro auro, vel argento vendat. 2. Si auro, vel argento plus æris misceat, quàm ars requirit, et emptoribus mixtionem non signifi-

» cct, neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid
» emat malà fide. 4. Si communem lapillum pro pretioso
» vendat, vel pretiosum pro vili emat, etc.

« 4. Sartor, sutor, et cæteri, opifices peccant: 1. Si jurent
» se tali die opus perfecturos, quod sciunt, vel dubitant non
» futurum. 2. Si plùs materiæ exigant, quàm ad opus sit ne-
» cessarium; aut partes alicujus momenti, quæ supersunt,
» retineant, sine voluntate domini. 3. Si diem festum sine
» gravi causa violent, per se, vel per suos famulos. Vide
» Escob. l. 1. c. 13. »



LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

HABEBIT hic liber tractatus sex : 1. Agetur de sacramentis in genere. 2. De baptismo , et confirmatione. 3. De eucharistia. 4. De pœnitentia. 5. De extrema unctione , et ordine. 6. De matrimonio.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTI NOVÆ LEGIS.

DUBIUM I.

Quid sit sacramentum?

- 1 *Quomodo definiatur sacramentum? Et quæ requirantur ad essentiam sacramenti?*
- 2 *Alia communior definitio sacramenti.*
- 3 *An fuerint vera sacramenta sacrificia, figuræ et sacramenta veteris legis?*
- 4 *Quid notandum de circumcissione?*

5 Quæ alia excludantur à ratione sacramenti.

6 Plura notanda circa sacramenta. Et quotupliciter sacramenta distinguantur?

7 An sacramenta causent gratiam physicè, vel moraliter?

1. — **R**ESP. Est res sensibilis, quæ ex stabili institutione Christi vim habet sanctitatis, sive gratiæ justificantis & efficiendæ, et per consequens significandæ.

Unde resolves:

« 1. Ad essentiam sacramenti requiri tria: 1. Ut sit signum stabile. 2. Ut significet veram sanctitatem. 3. Ut eandem efficiat ex opere operato, id est usu suo, et applicatione, per propriam efficaciam, et non ex opere operantis, sive per actum, aut dispositionem ministrantis, vel suscipientis: quæ, etsi ad effectum sacramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non.

2. — Magis mihi arridet communior definitio, quam tradunt alii de sacramento: *Est signum sensibile, sacrum, permanens, interioris gratiæ, institutum à Christo ad nostram sanctificationem.* Et hæc definitio magis congruit Trident. sess. 13. c. 3. ubi sacramentum sic definitur: *Symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilis forma.* Dicitur *symbolum sive signum*, quia hoc essentialiter pertinet ad sacramentum, ut sit signum nobis denotans gratiam sanctificantem animam. *Sensibile*, id est sensibus patens. *Sacrum*, id est cum actu religioso. *Permanens*, quandiu durat nostra religio. *Interioris gratiæ*, quia hoc est essenziale omni sacramento, gratiam significare. *Institutum*, quia, cum sacramentum sit signum arbitrarium, non posset sanctificationem efficere, neque significare, nisi ex institutione divina. *À Christo* 1. ad differentiam sacramentalium, ut est usus aquæ benedictæ, panis benedicti, etc. quæ non à Deo, sed ab Ecclesia instituta sunt, et vi orationum Ecclesiæ excitant pios motus in anima, quibus movetur Deus ad postea peccata remittenda. Dicitur 2. *à Christo*, quia licet *Habert* dicat sacramenta tantum à Deo principaliter esse instituta, non autem à Christo ut homine, nisi tanquam à causa morali, et instrumentali, cum solus Deus potuerit sa-

cramentis vim sanctificandi tribuere; attamen melius dicunt *Salm. de sacram. in gen. c. 3. dub. 1. n. 4. et Viva eodem tit. q. 1. art. 4. num. 1. cum aliis*, quòd Christus etiã quã homo instituit sacramenta potestate *excellentiæ*, ipsi collatã ratione unionis cum verbo; et hujus sententiæ est etiã *D. Th. 3. p. q. 72. art. 1. ad 1.* ubi ait: *Instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.* Dicitur demùm *ad nostram sanctificationem*, hoc etiã pertinet ad essentiam sacramenti, ut definivit *Trid. sess. 7. can. 6.*

3. — « 2. A definitione talis sacramenti excludi 1. sacrificia » tam novæ, quàm veteris legis: quia hæc non sunt instituta » ad gratiam ex opere operato conferendam (etsi nihilominus » sacrificium novæ legis sic eam impetret ei, pro quo offertur, » non ut sacramentum, usu suo, et applicatione, sed per » modum impetrationis), sed ad cultum Deo præstandum. » *Conc. d. 60. art. 22. 2. Figuras, et sacramenta veteris legis,* » v. gr. circumcissionem, transitum maris rubri, agnum » paschalem, varias item purificationes, et consecrationes » sacerdotum; tùm quia à Christo novæ sunt instituta; » tùm quia veram sanctitatem non efficiebant. Ac, licet » circumcisio aliquando sustulerit peccatum originale per » veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in » adultis, vel non ex opere operato simpliciter, et rigo- » rose, tùm quia non contulit gratiam, ut causa physica, » vel ut causa moralis, quia nondùm erat exhibita passio » Christi; et meritam, ex quo gratia pendeat, sed tantùm » ex speciali privilegio; tùm quia non contulit gratiam for- » maliter, quã circumcisio, et ex sua institutione, sed qua- » tenus erat professio fidei, neque vi applicationis, et usus » sui; alioquin enim omni non ponenti obicem, et quidem » præter omnem meritum contulisset, quod est falsum. *Vide » Fil. tr. 1. et 3. q. 8. c. 8.*

4. — Sed quæritur I. an circumcisio fuerit verum sacra-
mentum? Resp. affirmativè ex communi, tùm quia circumci-
sio per se operabatur sanctitatem, non internam, sed exter-
nam, sive legalem; tùm quia fideles consecrabantur ad veri
Dei cultum. Ita *D. Th. Hab. etc.*

Quæritur II. an circumcisio de se peccatum tollat? Resp.
negativè cum *Habert*, qui dicit, quòd tunc fideles adulti non

mundabantur à peccato originali, sive actuali, nisi formatam charitatem habebant; parvuli autem mundabantur à peccato originali per actum fidei ministrantis, seu offerentis, ut docet *S. Thom. part. 3. q. 70. art. 4. Quatenus* (ut ait) *hæc fides respiciebat Christum venturum.*

3. — « 3. Ea quæ dicuntur sacramentalia, v. g. benedictio abbatis, consecratio virginis; quia præcisè ex usu suo, et opere operato gratiam non conferunt: uti nec actus virtutum, præterquam quòd hi sensibiles non sint. 4. Lotionem pedum apostolicorum; insufflationem Christi in apostolos, per quam Spiritum sanctum illis dedit. Item verba Christi ad Magdalenam, et paralyticum, remittuntur tibi peccata; quia non fuerunt signa instituta stabiliter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium, ob eandem causam: esto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ad hoc institutum. *Vide Schol.*

6. — Plura hic adnotanda sunt: et notandum I. Certum est, et de fide sacramenta esse septem, et omnia à Christo instituta, ut definivit *concilium Trident. sess. 7. can. 1.* Et horum alia dicuntur sacramenta mortuorum, ut baptismus, et penitentia, quæ causant primam gratiam, et ideò etiam à peccatore suscipi possunt. Alia vivorum, ut sunt Eucharistia, et alia reliqua. Hoc tamen non obstante, etiam sacramenta vivorum aliquando primam gratiam conferre possunt, scilicet cum quis putans se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum, accedit cum attritione ad sacramentum, ut expressè docet *S. Thom. 3. p. q. 79. art. 3.* ubi ait: *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati... etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; fortè enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devotè et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.* Et idem confirmat *q. 72. art. 7. ad 2.* Et idem communiter docent DD. de aliis sacramentis, ut *Gonet Man. t. 6. pag. 43. Concina t. 8. pag. 52. n. 29. Renc. tr. 2. q. 3. et Salm. de sacram. in gen. e. 5. p. 2. n. 12. cum Suar. Pell. Bon. Bec. Ricch. et aliis (contra Vasq. Lug. Vill. etc.)* Ratio, quia in *Trid. sess. 7. can. 6.* dicitur: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis... gratiam non ponentibus obicem, non conferre... anathema sit.* Nota verbum

ponentibus obicem; ergò qui accedit ad sacramentum vivorum eum attritione; quæ excludit peccati affectum tam actualem quàm habitualement, jam obicem non ponit, et idèò gratiam recipit, modò habeat votum pœnitentiæ. Id confirmatur exemplo extremæ unctionis, quâ infirmo, ut sit *S. Jacobus*: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; id est (ut sentit *D. Th. 3. p. q. 50. art. 4.*) datur robur adversùs defectus relictos ex peccatis præteritis: *Sed quia* (deinde addit *S. Doctor*) *hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, idèò ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodò non ponatur obex ex parte recipientis.*

Notandum II. Alia sacramenta dicuntur *transeuntia*, alia *characteristica*, seu characterem imprimantia, ut baptismus, confirmatio, et ordo; character enim est signum spirituale, per quod homo distinguitur ab aliis. Notandum III. Alia sacramenta sunt necessaria necessitate *medii* ad salutem, saltem in voto implicito, ut baptismus, et pœnitentia: alia verò tantùm necessitate *præcepti*. An autem sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate *medii* saltem in voto? *Vide de Eucharistia infra n. 192.* Notandum IV. Sacramenta dicuntur *formata*, quando in suscipiente obtinent effectum suum; *informia* autem, quando sunt quidem valida, sed sine suo effectu, nempe si quis suscipit baptismum sine dolore de actualibus mortalibus, recedente autem obice gratiæ, sacramentum statim gratiam causat. Hoc certum est de baptismo ut docent communiter *S. Th. 3. p. q. 69. art. 10. Scotus dist. 4. q. 5. n. 4. et 8. ex D. Aug. l. 1. de bapt. c. 12. ubi docet: Quod antè datum est, valere incipit, cum illa fictio veraci confessione recesserit. Cont. Tourn. de sac. in gen. cap. 2. art. 3. sect. 3. Salm. de sacram. in gen. c. 5. p. 5. n. 53. et alii passim contra Vasq.* Ratio quia baptismus est medium necessarium ad delendum peccatum originale, sed cum non possit amplius recipi, neque actualiter neque in voto, quia votum tendit ad id quod potest recipi; ergò necesse est, ut ablato obice reviviscat. Id probabiliter extendunt *Cont. Tourn. loc. cit. concl. 1. item Palud. Sylv. ap. Salm. l. c. n. 67. ad sacramenta confirmationis, et ordinis, quæ iterari nequeunt, et idèò suscipientes aliàs carerent gratiâ sacramentali, tam necessariâ confirmatis ad fidem profitendam, et ordinatis ad sua munia*

dignè exercenda. Idem probabiliter extendit *Cont. Tourn. ibid.* ad matrimonium, et ad extremam unctionem cum *S. Thom. et S. Bonav.* Et idem dicunt *Suar. Vill. Lugo, Con. de pœnitentia* (1), negant verò de Eucharistia *contra Cajet. Gonzal. Petr. Sot. etc.* quorum sententiam etiam probabilem vocant *Salm. ibid. n. 68*

Notandum V. Sacramenta, ultra gratiam sanctificantem animam, conferunt etiam gratiam sacramentalem, scilicet auxilia ad obtinendum finem, ad quem quodlibet sacramentum fuit institutum, ut *S. Thom. 3. p. q. 62. art. 2.* Notandum VI. Sacramenta operantur *ex opere operato*, vi operis externi elicit, id est virtute conjunctionis formæ cum materia, et applicationis utriusque ad suscipientem ex Dei institutione; quare actus *ex opere operantis*, sive suscipientis sacramentum, licet causent augmentum gratiæ, si homo est in gratia, non tamen causant gratiam, quæ à sacramento confertur; ideò hi actus requiruntur tantùm, ut dispositiones ad effectum sacramenti recipiendum. *S. Th. 3. p. qu. 69. art. 8.*

7. — Quæstio magna agitur inter DD. an sacramenta causent gratiam instrumentaliter physicè vel moraliter? *Cont. Tourn. de sacr. cap. 3. sect. 3. concl. 2. et 3. cum Vasq. et Lugo* tenent causare moraliter, id est, quia movent Deum ad gratiam physicè causandam. Ratio, quia gratia de se petit produci efficienter à solo Deo, quin opus sit hic miraculum addere, scilicet quòd Deus conferat sacramentis de se gratiam causare. *Salm. tamen de sacram. in gen. c. 2. p. 2. dub. unic. n. 21. cum Suar. Vall. Pell. etc.* tenent causare instrumentaliter physicè: ita ut causæ illæ naturales per potentiam obedientialem eleventur ad effectum supernaturalem, et probant ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* Hoc enim magis decet sacramenta. Utraque sententia est satis probabilis. Consule scholasticos si plura quæris de hac quæstione, cum ipsa nostri non sit instituti.

(1) « An autem detur sacramentum Pœnitentiæ validum et informe, id est sine gratia? Alii negant; sed communiter et verius alii affirmant. » *Hom. Ap. Examen ordinand. n. 4.*

DUBIUM II.

Quid circa materiam, et formam sacramentorum servandum?

8 Quotupliciter sumatur sacramentum?

9 Quæ conjunctio requiratur inter formam, et materiam?

10 Vide resolutiones.

11 Quæ mutatio invalidet sacramentum?

12 An materiæ et formæ omnium sacramentorum sint à Christo in specie determinatæ?

8. — **S**UPPONO, sacramentum dupliciter sumi: 1. Per modum compositi physici, in quo res sensibilis, et actio (v. g. in baptismo aqua, et ablutio; in unctione oleum, et unctio) dicitur materia; et quidem oleum, et aqua materia remota; actio verò illa, materia proxima: verba autem, aut quod eorum loco ponitur, ut in matrimonio signum consensùs, dicuntur forma. 2. Per modum compositi artificialis; et tunc dicta materia, et forma, id est, res et verba, simul habent se instar materiæ; significatio verò eorum instar formæ. Hic quæritur de materia, et forma, priorè sensu.

9. — **R**ESP. 1. Ut sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, v. g. inter effusionem aquæ, et pronuntiationem verborum, tanta esse conjunctio, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectatâ naturâ cujuscumque sacramenti, una alteram afficiat; hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. Vide Bon. d. 1. qu. 2. p. 2. Suar. Conc. etc.

Quæritur, quænam simultas requiratur inter formæ prolationem, et materiæ applicationem? Præter Eucharistiam, quæ omninò requirit simultatem physicam, cum pronomen demonstrativum hoc et hic non possit verificari, nisi materia sit præsens, commune est non esse opus simul formam et materiam incipi, nec simul finiri; sufficiet enim, ut forma

proferatur, dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari. Ita *Salm. de bapt. c. 3. p. 4. dub. unic. n. 41. Anacl. p. 529. n. 27. Viva de sacr. q. 1. a. 3. n. 5. Ronc. c. 3. q. 2. r. 2.* Et de hoc videtur non posse dubitari, cum in Rituali rom. in administratione baptismi sic habeatur: *Et cum ea (scilicet aqua) sub trina infusione... baptizei, ... sic dicens: Ego te baptizo in nomine Patris ✠, fundat primò, et Filii ✠, fundat secundò, et Spiritùs ✠ sancti, fundat tertio.* Ergò cum aqua non infundatur in verbo *baptizo*, non est certè opus, ut à principio materia verbis formæ aptetur.

Quæritur autem, an in aliis sacramentis præter Eucharistiam, ut diximus, sufficiat simultas moralis, ita ut satis sit formam incipere statim post applicationem materiæ? Negat *Cajet. Opusc. t. 1. tr. 16.* ubi loquens de baptismo, requirit ad validitatem sacramenti, quòd verba inchoentur priusquam ablutio perficiatur vel è converso, et hoc videtur indicare etiam *Scotus ap. Suar. in 3. p. d. 2. sect. 2. v. Hinc.* Sed communiter affirmant *Suar. l. c.* qui sententiam *Caj.* omninò refellit. *Lug. Resp. Mor. lib. 1. dubium 53.* qui illam improbabilem vocat. *Holz. t. 2. p. 3. nu. 9. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 2. punct. 1. in fine Laym. l. 3. tr. 2. c. 7. nu. 5. Diana p. 3. tr. 4. r. 6. Ant. de sacr. cap. 1. qu. 5. et Salm. ibid. n. 44. cum Soto, Tol. Sa, Hurtad. Dic. Henr. Vill. et Granad.* Ratio, quia in composito morali, quale est sacramentum, sufficit moralis simultas. Et de hoc videtur non posse dubitari: nam, ut mox diximus de baptismo, semper ac ablutio non fit, dum actu profertur verbum *baptizo*, ablutio non verificatur nisi per unionem moralem: hæc autem unio tam erit moralis, si fiat ablutio immediatè antequam forma absolvetur, quàm si fiat immediatè post. Hæc tamen unio diversa esse debet pro diversitate sacramentorum, ut rectè dicunt *Suar. Cont. Tourn. et Anton. ll. cc.* Major enim unio certè requiritur in baptismo, ubi mora unius *Pater noster* invalidaret sacramentum, ut benè ajunt *Cont. Tourn. ibid. et Dian. loc. cit.* qui contrariam opinionem *Fernandez* meritò laxam vocat. Et idem præfati auctores dicunt de confirmatione, extrema unctione, et ordine.

In pœnitentia autem sufficit illa unio, quam exigit actus judicialis, cum inter accusationem, et sententiam soleat intercedere aliqua distantia temporis, quamvis in hoc sacramento

talis distantia non tanta debet esse, quanta fit in iudicio forensi. Dicit autem *Croix l. 6. n. 8. cum Tamb.* quòd validè absolvitur pœnitens post horam à confessione. In matrimonio tandem sufficit ea distantia, quæ ordinariè sufficit in contractibus, ubi satis est, ut consensus unius ponatur, dùm adhuc consensus alterius moraliter perseverat. Hæc quoad sacramentum pœnitentiæ, et matrimonii videtur accepta esse apud omnes. Quoad alia verò sacramenta secunda sententia, spectatà ratione, videtur moraliter certa; sed in praxi prima ut tutior consulenda est. Hinc meritò ait *Lugo l. c. n. 3.* minimè peccare sacerdotem, qui ad majorem sui animi quietum iterùm se faceret ordinare sub conditione.

Unde resolves:

10. — « 1. In baptismo, confirmatione, unctione, et ordine requiritur talis conjunctio, ut dùm minister verba pronuntiat, moraliter censeatur etiam lavare, etc.

« 2. In pœnitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in iudiciis sententia post examen causæ. » (*Vide dict. mox num. 9.*)

« 3. In matrimonio unius consensus potest alterius consensus tandiù sequi, quandiù hic moraliter permanere censetur: sicut in aliis contractibus. *Vide Con. hic art. 6.*

11. — « Resp. 2. Ut valeat sacramentum, non debet fieri substantialis, seu essentialis mutatio materiæ, vel formæ; accidentalis verò mutatio, etsi sæpè illicita sit, non tamen invalidum facit sacramentum. Porrò substantialis mutatio materiæ dicitur, quando secundùm communem usum, et æstimationem hominum, differt nomine, et re ab ea, quam Christus præscripsit. Accidentaliter dicitur, quando cum ea eundem retinet usum et nomen. Formæ mutatio essentialis est, quando non manet idem sensus: accidentaliter, quando manet. *Laym. l. 5. tr. 1. c. 4. ex comm.*

Unde resolves:

« 1. Nullum est sacramentum Eucharistiæ, si materia cruda consecratur, sive hæc differat specie substantiali à pane, sive non, quia communiter non censetur, aut dicitur panis. Item si aquæ artificiales adhibeantur in baptismo, quia non

» habent communem usum, et nomen aquæ elementaris,
 » esto physicè specie non discrepent. Vide *infra de baptismo*.
 » 2. Valet sacramentum, etsi aqua baptissimi sit calida,
 » etc. Item si panis eucharisticus sit ater, fermentatus, etc.

« 3. Defectu formæ sacramentum est nullum : I. Si litteræ
 » aliquæ mutantur, variantes sensum, quod facilè fit in ini-
 » tialibus, v. g. in nomine matris, filiæ, etc. II. Si magna
 » fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur
 » cohærere. III. Si forma divisim pronuntietur, v. g. unus
 » dicat, *Ego te baptizo*, alter *in nomine Patris*, etc. quia
 » erunt duæ formæ imperfectæ, et sensus falsus. *Fill. t. 1. c.*
 » 4. q. 5. *Vide Bon. q. 2. p. 1.* » (*Nota hic prop. 27. damna-*
tam ab Alexand. VIII. Valuit aliquando baptismus, sub hac
 forma collatus. In nomine Patris, etc. prætermisissis illis : *Ego*
te baptizo).

« 4. Forma valet, etsi non liceat : I. Si omittas voces non
 » essentielles, v. g. *ego*, et *amen* in baptismo : enim in forma
 » Eucharistiæ. *Bon. d. 4. q. 5. p. 1. n. 9. et 10. ex Suarez*,
 » etc. II. Si quid addas, v. g. in nomine Patris, *qui te crea-*
 » *vit*, etc. III. Si substituas synonyma ; v. g. *abluo*, pro
 » baptizo » (*Ita S. Th. 3. p. q. 60. art. 8.*). « IV. Si tantum
 » transponas, ut, *Hoc meum est corpus* ; *Te ego baptizo*. V.
 » Si verba corumpas ob præcipitantiã, et balbutiem : v. g.
 » *Hoc est colpus meus*, vel *hic est enim calis meus*. VI. Si
 » interruptio fiat parva, v. g. *Ego te baptizo*, et interponat,
 » *ista aqua est nimis frigida*, vel *custos verte folium*. In no-
 » mine Patris, etc. *Fill. l. c. Vide Bon. l. c.* » (*Idem docent*
Lugo d. 2. n. 111. Ronc. c. 3. q. 4. r. 1. cum Tamb. Tussis
autem inter syllabas verborum formam invalidat, nisi sit
momentanea. Ronc. ibid. cum Tamb. Leand. apud Croix l. 6.
p. 1. n. 33. Tussis verò longa (putà per medium quadrantem)
inter verba, certè invalidat formam. Croix ib. cum Tamb. et
Spor. Quænam autem in singulorum sacramentorum materia
et forma mutatio sit substantialis, aut accidentalis, vide
infra, ubi de his singulatim agemus.)

12. — Quæritur an materiæ, et formæ omnium sacramen-
 torum fuerint à Christo Domino in specie determinatæ? Cer-
 tum est Christum in specie determinasse materiam, et for-
 mam baptismi, et Eucharistiæ. Dubium igitur vertit quoad
 alia sacramenta. .

Prima sententia probabilis negat, et hanc tenent *Bellarmin.* t. 2. de sacr. Ordin. c. 9. in fin. *Salm. de sacram. in gen. c. 4. p. 2. n. 48. Lugo eodem tit. d. 2. n. 84. Holzm. tom. 2. p. 3. n. 11. Croix l. 6. p. 2. n. 2135.* item *S. Bon. Alensis, et Morinus ap. Juen. Inst. theol. t. 7. p. 41.* Ratio unica hujus sententiæ est diversitas Ecclesiæ græcæ et latinæ in administratione aliorum sacramentorum, præsertim in ordine; in Ecclesia enim græca presbyteratus et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem: in latina verò præter manuum impositionem requiritur traditio rerum, ut habetur in decreto *Eugenii IV.* ad Armenos, relato apud *Croix l. 6. p. 2. n. 2128.* ubi sic habetur: *Sextum* (sacramentum) est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: diaconatus verò per libri evangeliorum dationem; subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua supposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.

Secunda sententia verò probabilior affirmat omnes materias, et quoad substantiam etiam formas sacramentorum fuisse in specie à Christo determinatas. Hanc tenent *Juenin. l. c. Conc. t. 8. p. 23. n. 10. Auctor Petr. t. 3. p. 21. Habert. Merbes. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 2. punct. 2. et alii plures.* cum *D. Th. 3. p. q. 60. art. 5.* qui non potest negari esse pro hac sententia, siquidem hanc tradit rationem: *Quia ergò sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificatur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novæ legis, quibus homines sanctificantur (secundum illud: 1. Corinth. c. 6. §. 11. Abluti estis, sanctificati estis), oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.* Nec *S. Doctor* explicari potest de determinatione in genere, quæ possit per diversa signa significari; nam ad 1. expressè docet oppositum, dicens: *Etsi idem potest per diversa signa significari* (en qualis esset determinatio in genere), *determinare tamen quo signo sit utendum* (en determinatio in specie), *pertinet ad significantem; Deus autem est qui nobis significat spiritualia.*

Circa autem diversitatem Ecclesiæ græcæ et latinæ, præsertim (ut diximus) in sacramento ordinis, rêspondetur, tradi-

tionem instrumentorum non esse materiam essentialem, sed tantum accidentalem, etiam integram. Ad decretum verò *Eugenii*, respondet *Habert*, illud editum fuisse soluto concilio; sed hæc responsio nihil valet, jam enim satis probavimus *lib. 1. num. 110.* decreta Pontificum esse per se infallibilia. Congruentiùs itaque respondetur cum *Merbesio*, *Concina*, et *Tourn.*, quòd *Eugenius* non quidem determinavit materiam essentialem ordinis, sed solum voluit Armenos instruere de omni ritu Ecclesiæ romanæ, cujus unionem illi ambiebant. Dices: *Eugenius* non loquitur de ritu, sed expressè de materia; et sicut in aliis sacramentis materiam essentialem assignat, sic in isto de ordine, dicens: *Sextum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo.* Respondeo: Si hoc est verum, sequeretur, quòd etiam esset certum quemlibet minorum ordinum esse sacramentum; sed ipsi *Salm. de ordinc c. 1. p. 1. dub. 1. n. 12. et 13. cum Soto, Nav. Vasq.* dicunt oppositum esse probabile, idque probabilius esse probabimus infra *n. 757.* cum ordines minores etiam ab abbatibus conferantur. Nec valet dicere cum *Vasq. Major. et aliis apud Palaum tr. 27. d. un. p. 14. n. 10.* quòd in eodem decreto *Eugenii* Episcopus vocatur minister ordinarius sacramenti ordinis: ergò (ut ajunt) possunt ex privilegio etiam alii, quàm Episcopi, esse ministri hujus sacramenti. Nam resp. quòd si hoc esset, etiam presbyteratus posset aliquando conferri à non Episcopo; sed hoc communiter rejicitur, quidquid dicat *Vasq.* Unde dicendum, quòd *Eugenius* cum nominavit ministrum ordinarium, utique intellexit loqui in subjecta materia secundum sensum DD. et constantem Ecclesiæ traditionem ut ait *Tourn. in Prælect. theol. de sac. ord. quæst. 4. art. 2. concl. 2.* nempe quòd privativè ad Episcopum spectat conferre ordinem presbyteratus, et diaconatus; reliquos verò inferiores, utpote non sacramenta, posse aliis committi. Hinc censetur *Eugen.*, loquendo de sacramento ordinis, non omnia dogmaticè asseruisse, sed in pluribus se accommodasse ad communem loquendi modum, quo res in septem ordinibus adhibitæ, utpote discrimen uniuscujusque ordinis expressiùs significantes, communiter vocantur materia sacramentorum.

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

DUBIUM I.

Quid requiratur, ut minister det validè
sacramentum ?

- 13 *Ad valorem sacramenti requiritur potestas, et intentio ministri.*
 14 *Utrùm in ministro requiratur etiam attentio ?*
 15 *Quotuplex potest esse intentio ?*
 16 *Non sufficit in ministro intentio habitualis, vel interpretativa.*
 17 *Non requiritur actualis.*
 18 *Sufficit virtualis.*
 19 *An sufficiat intentio coacta? Vel cum errore circa personam suscipientis ?*
 20 *An ad validitatem sacramentorum requiratur intentio interna ministri? Et I. an sufficiat sola intentio faciendi actionem externam ?*
 21 *II. An requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana?*
 22 *III. An requiratur intentio explicita consciendi sacramentum aut producendi effectum sacramenti? Et an celebrandi ritum externum uti sacrum ?*
 23 *An minister debeat habere intentionem faciendi ritum sacrum, quem intendit Ecclesia ?*
 24 *Si minister habet duas intentiones contrarias, quonam debeat prævalere?*
 25 *Vide resolutiones Busembai.*
 26 *An sit validum sacramentum collatum sub conditione ?*
 27 *An sit licitum conferre sub conditione sacramenta characterem imprimantia ?*
 28 *An etiam alia sacramenta?*
 29 *An in extrema necessitate proximi minister possit, et teneatur ministrare sacramentum, quando materia est dubia ?*

13. — **R**ESP. Ad valorem sacramenti in ministro, non
 » fides, vel probitas, sed præter potestatem (et jurisdictionem
 » in quibusdam) requiritur intentio, seu voluntas saltem
 » virtualis, et absoluta, vel huic æquivalens, faciendi non

» tantum externum illum actum, sed sacramentum, vel sal-
 » tem id, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Est
 » communis ex *Trid. sess. 7. can. 11. de Sacram.* Ratio
 » prioris partis est, quia sacramenta operantur, non ex
 » dispositione ministri; sed virtute divina, secundum insti-
 » tutionem, et meritum Christi. Ratio posterioris, quia ad
 » confectionem sacramenti requiritur talis intentio, quæ actio-
 » nem determinet ad esse sacramentale, tollatque indifferen-
 » tiam verborum, et actionum; talis autem non esset inten-
 » tio solius actionis externæ, quæ ad alios fines, v. gr. ad
 » ludum potest referri.

14. — Quæritur I. An in ministro sacramentorum, præter intentionem, requiratur etiam attentio, ut validè ea conferat? Affirmat *La Croix l. 6. p. 1. num. 84.* Aliàs (ut ait) confectio sacramenti non esset actio humana, humano modo exhibita. Ex qua opinione, si probabilis esset, inferretur utique, quòd minister voluntariè se distrahens, non conferret sacramentum; sed hoc non videtur posse subsistere, et idcò ipse *Croix n. 85.* fatetur, vix fieri posse, ut per distractionem sacramentum invalidetur, quia semper permanet attentio virtualis; nisi distractio sit totalis. Hæc igitur opinio minimè probabilis mihi videtur, nec eam inveni ab alio auctore traditam; omnes enim dicunt, ad valorem sacramenti, præter materiam et formam, nihil aliud requiri quàm intentionem ministri, ut definitum fuit à conciliis, prout infra referemus *n. 23.* Nec officit dicere, non esse actionem humanam illam quæ fit sine attentione: nam licèt, ut homo humano modo operetur, requiratur, ut ad finem operis, quod intendit facere, attendat; non tamen requiritur, ut, cum opus exequitur, actualiter attendat. Si autem necessariò hæc attentio requireretur, nec etiam consequenter sufficeret (ut non rectè supponit *Croix*) attentio virtualis. Nam juxta dicta *l. 5. num. 177. v. Ratio*, hæc attentio virtualis non datur, nec potest intelligi, quia cum attentio sit actus intellectus considerantis id quod homo agit, necessariò importat, ut intellectus actu advertat; unde sicut non potest dici, quòd intellectus virtualiter consideret, quod non considerat, ita nequit dici hominem virtualiter attendere, quando actu non attendit, sed aliò est distractus. Hinc optimè docet doctissimus *P. Suar. in 3. p. d. 15. sect. 3. v. Dico 1.* quòd minister etsi

distractus, verè conficit sacramentum : *Quia (ut ait) actio ejus est simpliciter humana et libera, et procedit à priori intentione.*

Utrùm autem peccet graviter minister voluntariè se distrabens in confectione sacramenti? Omnes dicunt peccare saltem venialiter; et *Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. sect. 2. punct. 3. §. 2. v. Ex his* dubitat, quin etiam peccet mortaliter; sed probabiliter hoc negat *Croix cit. n. 85. cum Gobat, et communi*; nisi esset periculum errandi in formis præsertim longioribus. In confectione tamen Eucharistiæ voluntariam distractionem mortalem esse, probabiliter dicunt *Conc. t. 8. p. 513. n. 15. et Tamb. de sacrif. miss. l. 2. c. 13. n. 8. (contra Croix l. 6. p. 2. n. 443. et Mazz. tom. 3. p. 212. qui tenet probabile esse quòd sit tantùm venialis)*. Ratio, quia distractio in tali sacramento videtur non carere gravi irreverentiâ.

15. — Quæritur II. Quotupliciter potest esse intentio? Intentio potest esse vel *actualis*, vel *habitualis*, vel *interpretativa*, vel *virtualis*. *Actualis* est, cùm quis actu intendit sacramentum conficere. *Habitualis* est, cùm quis habuit antecedenter actualem, et non revocavit, sed de illa non ampliùs cogitat, nec ea in aliquo effectu permanet. *Interpretativa* est, cùm quis nullam habet nec habuit intentionem actualem, sed ita est dispositus, ut, si adverteret, haberet. *Virtualis* demùm est, cùm quis, licèt hic et nunc non intendat actualiter conficere sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis habitæ, prout si quis habens intentionem sacramentum Eucharistiæ conficiendi, adeat ecclesiam, dicat missam, et consecret.

16. — His positis, dicendum I. ad conficienda, et conferenda sacramenta non sufficere in ministro intentionem *habitualement*, aut *interpretativam*. Hoc ut certum communiter docent *Suar. in 3. p. d. 13. sect. 3. Cont. Tourn. loc. cit. concl. 1. Conc. t. 8. p. 85. num. 4. Holz. t. 2. p. 5. n. 22. Viva de sacr. qu. 1. a. 4. n. 6. Croix lib. 6. p. 1. n. 56. et 57. Salm. tr. 1. c. 7. p. 4. n. 42. et alii passim*. Ratio, quia hujusmodi intentiones non faciunt, ut actio sit elicitata humano modo, ut requiritur in ministro, à quo procedunt sacramenta tamquam à causa operante.

17. — Dicendum II. non requiri in ministro intentionem

actualem. Idem etiam certum est apud omnes cum *S. Thom.* 3. part. qu. 64. a. 8. ad 3. Ratio S. Doctoris : *Sed hoc* (scilicet actualiter attendere) *non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.*

18. — Dicendum III. sufficere, ut minister habeat intentionem *virtualem*; quia per hanc ille verè operatur humano modo, cum talis intentio sit vera causa actionis. Idque pariter commune, et certum est cum *Suar. l. c. Cont. Tourn. loc. cit. concl. 2. Conc. tom. 8. p. 85. n. 4. Lugo de sacr. d. 8. n. 74. Wig. tr. 11. n. 52. r. 2. Holz. t. 2. p. 6. n. 22. Salm. cit. n. 42. Ronc. c. 5. q. 3. et alii ex D. Th. l. c.* ubi sic docet : *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habituales, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti.* Pro intentione autem *habituali* S. Doctor hic sine dubio intelligit *virtualem*, nam immediatè post sic subdit : *Putà cum sacerdos accedit ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia, unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute (nota) primæ intentionis perficitur sacramentum.* Hinc rectè dicunt *Viva art. 4. num. 6. et Croix lib. 6. p. 1. n. 59. cum Abelly, Gamach. et Mauro*, quòd minister, qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, nisi debitam intentionem positivè excludat, imprudenter de ea dubitat, quia saltem vult facere quod aliàs solet, et quod alii ministri faciunt. Adde, quia per hoc quòd cognoscit actionem illam esse sacram, et frustrà non poni, exercitè intendit eam ponere juxta finem suum, ut *Viva, et Croix cum Vasq. l. c.* Quare advertunt *Bellarm. Henriq. Croix, et Viva ibid.* non esse opus, ut minister ore, vel corde reflexè dicat se intendere conficere sacramentum, sed sufficere ut sit animo præsens, et attentè faciat id quod facit.

19. — Sufficit etiam intentio ministri coacta, sive metu extorta, præterquam in matrimonio, ut rectè dicunt *Croix n. 60. et Lugo d. 9. n. 151.* quia metus non tollit voluntarium; sicque definitum refert *Lugo in conc. Tolet. IV. c. 56.* Ita pariter non invalidat sacramentum, excepto matrimonio, error ministri circa personam suscipientis, nempe si minister putans absolvere Petrum, absolvat Paulum, ut cum communi docent *Suarez d. 13. sect. 3. in fine, et Lug. d. 8. num. 114.*

modò tamen minister non alliget suam intentionem ad aliam personam determinatam ; quod ordinariè non evenit , nisi in matrimonio.

20. — Quær. III. An ad validitatem sacramentorum requiratur intentio interna ministri? Dicendum I. non sufficere solam intentionem faciendi actionem externam , sed requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Hoc est de fide contra Lutherum , qui dicebat sufficere solam intentionem ponendi ritum exteriorem , etsi joco peractum ; ita ex *Trid. sess. 7. can. 11. de Sacram.* ubi habetur : *Si quis dixerit in ministris , dum sacramenta conficiunt et conferunt , non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia , anathema sit.* Item in *sess. 14. can. 9. de pæn.* habetur : *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem , sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti , modò tantùm credat se esse absolutum , aut sacerdos non seriò , sed joco absolvat ; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis , ut sacerdos eum absolvere possit : anathema sit.* Idem habetur in *decr. fidei Flor. sub Eug. IV.* ubi dicitur : *Omnia sacramenta tribus perficiuntur , videlicet rebus tamquam materiâ , verbis tamquam formâ , et personâ ministri conferentis sacramenta , cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Idem declaratum fuit in *conc. Constant. sess. ult.* ubi præscriptum fuit : *Ut suspectus de hæresi interrogetur , an credat quòd malus sacerdos , cum debita materia et forma , et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia , verè conficiat et conferat sacramenta?* Ratio doctrinæ hujus est , quia actio ministri debet ad ministerium referri , actio autem joco facta non refertur ad ministerium sacrum , sed tantùm ad irrisionem. Lutherus dicebat sufficere actionem jocosam , eò quòd ipsa adhuc satis erat ad fidem excitandam ; sed hoc principium patet esse falsum , nam in pueris nequit fides excitari , et tamen jam ipsi capaces sunt baptismi.

21. — Dicendum II. non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia romana , sed sufficere intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia à Christo instituta. Id pariter certum est , quia baptizati ab hæreticis , qui Ecclesiam romanam non credunt esse veram Ecclesiam , nequaquam sunt rebaptizandi. Ille tamen benè advertit *Sylvius (in 5. p. q. 64. art. 8.)* : *Quòd*

si quis nollet facere quod Ecclesia romana facit, etiamsi esset vera Christi Ecclesia, sacramentum non subsistit, quia reverà non habet intentionem faciendi, quod Christus instituit.

22. — Dicendum III. non requiri ad valorem sacramenti intentionem explicitam conficiendi sacramentum, aut producendi effectum sacramenti; sed sufficere intentionem peragendi ritum, qui ab Ecclesia habetur pro sacro. Ratio, quia (ut suprà dictum est) sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ita communiter Suar. in 3. p. d. 64. sect. 8. a. 8. Tourn. in Prælect. theol. de sac. in gen. quæst. 7. art. 1. concl. 2. et ejus Continuator de sac. in gen. cap. 2. art. 1. sect. 2. punct. 3. §. 1. concl. 2. Conc. t. 8. p. 84. n. 1. Viva in prop. 28. damn. ab Alex. VIII. n. 1. et alii omnes ex D. Th. in 4. D. 6. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. ubi docet validè conferri baptismum, quamvis ille, qui non credit baptismum esse sacramentum, aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse. Et quia Ecclesia aliquid facit, ideò ex consequenti, et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicitè. Rectè verò advertunt Cont. Tourn. loc. cit. prob. 3. v. Dixi. Ronc. c. 4. q. 3. cum Bon. etc. quòd si quis unquam crederet sacramentum non confici, nisi habeatur intentio explicita conficiendi sacramentum, et hanc intentionem non haberet, nullum conficit sacramentum; quia tunc non intendit facere quod facit Ecclesia. Item advertendum quòd, licèt valeat sacramentum, etiamsi minister non habeat explicitam intentionem conferendi sacramentum, vel ejus effectum; modò (ut diximus) intendat facere quod facit Ecclesia, quia tunc implicitè habet intentionem conferendi sacramentum, ut vidimus mox suprà ex D. Thoma: si tamen intentionem positivè contrariam habeat non conferendi sacramentum, tunc non confert sacramentum, quia reverà tunc non habet intentionem neque explicitam, neque implicitam faciendi quod facit Ecclesia, ut docet D. Th. 3. p. q. 64. a. 10. ubi ait: *Intentio ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius sacramenti, putà cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat.* Nota verbum præcipuè, ergò si tantum interiùs derisorie agit,

nec etiam confert sacramentum. Idque confirmat idem S. Doctor eod. art. 10. ad 2. ubi : *Intentio ludicra (non actio ludicra) vel jocosa excludit primam rectitudinem intentionis , per quam perficitur sacramentum.*

Præterea, non requiritur intentio explicita celebrandi ritum externum , ut formaliter et absolute sacrum. Hoc patet, nam aliàs baptismus collatus à paganis, qui sacramenta ignorant , aut irrident , esset nullus ; sed *Nicolaus I.* cùm consultus fuisset à Bulgaris de valore baptismi collati à judæo , vel pagano , respondit esse validum , si collatus fuerit cum vera materia , et forma : valet enim talis baptismus ob intentionem generalem faciendi , quod audierit judæus vel paganus fieri ab Ecclesia Christi ? Ita in *cap. A quodam d. 4. de consecr.*

23. — Hic autem occurrit magna illa quæstio , olim excitata , ut ferunt , ab *Ambrosio Catharino* , et nostris temporibus valde agitata , nempe an ad validitatem sacramenti requiratur , ut minister habeat intentionem faciendi ritum sacrum , quem intendit Ecclesia ?

Prima sententia negat ; duplicem enim distinguit intentionem , unam faciendi solùm actum externum , quem facit Ecclesia , et hanc dicit esse necessariam ; alteram faciendi actum externum non simpliciter , sed ut sacrum sive sacramentalem , quem Christus instituit , et Ecclesia intendit , hancque tuetur non requiri. Hæc sententia plures quidem insignis nominis patronos habet , et præcipuè *Juenin* , *Contensonium* , *M. Serry* , *Genettum* , *P. Milante* ; eamque non obscure videtur etiam tradidisse *P. Salmeron* in *l. 1. D. Pauli Epist. p. 3. disp. 2.* ubi dixit : *Advertendum duplicem esse intentionem ministri conferentis sacramentum , alteram quidem publicam , et Ecclesiæ ipsius , cujus ministerio perfungitur. Hæc autem intentio satis exprimitur in ipsis sacramentorum formis ; intendit enim Ecclesia per hujusmodi verba baptizare , confirmare , etc. Hæc autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis , si integrè , ut debent proferantur. Hujus autem sententiæ Bellarm. l. 1. de sacr. c. 27. et Lugo eod. tit. d. 8. sect. 2. auctorem faciunt præfatum Ambrosium Catharinum ; sed Tourn. Prælect. theol. de sac. in gen. quæst. 7. art. 1. de sent. Catharini et P. Conc. t. 8. p. 65. n. 8. quærunť vindicare Catharinum , dicentes tantùm ipsum voluisse non requiri intentionem , quæ respicit effectum sacramenti , vel ritum ex-*

terum prout sacrum ab Ecclesia celebratum. Sed quidquid sit de hoc, ratio hujus sententiæ est, quia ex Tridentino non requiritur in ministro intentio faciendi quod Ecclesia intendit, sed tantum faciendi quod facit Ecclesia; et ideo sufficit, ut minister serio applicet materiæ debitam formam, ut facit Ecclesia.

Secunda sententia verò communis et sequenda, affirmat omnino requiri intentionem ministri faciendi ritum sacramentalem, quem intendit Ecclesia; hanc tenet *Bellarmin. l. c.* ubi ait oppositam non differre ab errore novatorum, item *Lugo, l. c.* ubi dicit eam ab omnibus meritissime rejici, et saltem non multum distare ab errore hæreticorum. *Vasq. disp. 158*, qui contrariam vocat damnatam, item *Tourn. loc. cit. in fin. et ejus Continuator cap. 2. art. 2. punct. 5. §. 1. concl. 3. Petroc. t. 5. c. 5. q. 2. Conc. t. 8. p. 67. §. 5. Croix l. 6. p. 1. n. 54. Viva de sacr. q. 1. a. 4. n. 6. Antoine de sac. c. 2. n. 3. Salm. tr. 1. c. 7. p. 3. n. 26. cum Suar. Bonac. et aliis*: et hanc sententiam tuetur etiam *SS. P. Bened. XIV.* in suo aureo libro *de Synodo l. 7. c. 4. n. 9.* Probatur 1. *ex Trid. in dict. can. 11. sess. 7.* ubi requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; ergò non sufficit intentio tantum serio applicandi formam materiæ, ut facit Ecclesia; reipsa enim hæc intentio, dum actio externa ponitur, est ab actione inseparabilis, ut dixit *P. Salmer. ut supra*, sed ultra requiritur intentio faciendi ritum sacramentalem, quem facit Ecclesia: aliàs tam conc. Trident., quam Constantiense frustra præter materiam et formam requisivissent intentionem ministri faciendi, quod facit Ecclesia. Probatur 2. *ex eodem Trid. et fortius ex propos. 28. damnata ab Alex. VIII.* quæ dicebat: *Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Nota verba *intus verò*, ergò damnavit Pontifex opinionem non requirentem intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia. Reponunt adversarii, et præcipue *P. Milante*, propositionem præfatam ideo fuisse damnatam, quia comprehendebat omnem ritum sive serio, sive joco peractum. Sed respondetur 1. nullum in propositione verbum fieri de administratione jocosa. Respondetur 2. quòd superflua quidem fuisset hæc damnatio, si sola administratio jocosa

fuisse reprobata, hæc enim jam dudum à Tridentino proscripta fuit: nec tempore hujus damnationis aliquis erat, qui errorem Lutheri renovaverit; nam, ut ferunt *Vanroy t. 4. Aurelius Piette t. 5. et Henno t. 1. disp. 4. q. 2. a. 2.* thesis proscripta fuit decerpta ex thesibus *Farvacquesii*, qui sententiam de externa intentione, exclusâ jocosâ administratione, acriter propugnaverat. Hinc dicendum cum *SS. P. Bened. XIV. in cit. lib. de Synodo n. 8.* saltem grave vulnus ex præfata prop. damn. inflictum fuisse sententiæ *Catharini*.

Probatur 3. ratione, quâ evincitur necessariam esse intentionem internam ministri ad conferendum sacramentum; ut enim habetur ex *D. Th. 3. p. q. 64. art. 8.* quæ in sacramentis aguntur ad plura referri possunt, prout ablutio in baptismo referri potest ad munditiam corporalem, et spiritualem; ideò oportet, ut per intentionem abluentis referatur et determinetur ad unum, id est ad effectum sacramentalem, sive ad abluitionem spiritualem. Hic autem nolumus immorari ad discutiendos plures textus *D. Th.*, in quibus obscurè locutus est, pro quorum solutione adi *P. Conc., et Cont. Tourn. ll. cc.* Sed S. Doctor *Opusc. 8.* clarè docuit, ultra ritum externum omninò requiri internam intentionem, dicens: *Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi et faciendi quod facit Ecclesia; quorum trium, si aliquid desit, id est, si non sit debita forma verborum, et si minister sacramenti non intendat sacramentum conferre, non perficitur sacramentum.*

Idque maximâ confirmatur auctoritate *SS. Pontificis Bened. XIV.* in sua *Instruct. ad Vicesgerentem* data Romæ die 28. Febr. 1747. ubi reprobatur opinionem *Cajetani, et Soto*, qui volebant sufficere in suscipiente baptismum voluntatem neutralem, nempe non consentientem neque repugnantem; et declarat ex mente *Innoc. III. in c. Majores, de baptismo*, quòd sacramentum baptismatis tunc effectum habet, quando quis vel actu præbet, vel jam antea præbuit voluntatem; et si neque consentit, neque dissentit, licèt externè compositus, nequit baptizari, si nunquam antea habuit voluntatem suscipiendi baptismum. Hoc posito, nempe quòd in subjecto necessariò requiritur intentio suscipiendi sacramentum, deinde transit Pontifex ad intentionem requisitam in ministro, et mentio-

nem faciens de opinione *Catharini*, dicit : *Hæc opinio* (nempe *Cajetani*) *minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum.* Ergò tantò magis in conferente, ultra compositionem externam interna requiritur intentio. Tandem, quamvis sententia opposita esset probabilis, nulli dubium (ut ait Pont. *Bened. XIV. in cit. l. de Syn. n. 9.*) eam non posse in praxi adduci ex prop. 1. damn. ab *Innoc. XI.* ubi declaratum fuit in conferendis sacramentis illicitum esse sequi opinionem probabilem, relictâ tutiore. Hinc rectè docet præfatus Pontifex, quòd si constet quempiam baptismum, aut aliud sacramentum initerabile ministrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retentâ, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente necessitate, erit sacramentum iterùm sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum.

24. — Quær. IV. Si minister habeat duas intentiones contrarias, quænam debeat prævalère? Resp. I. Si voluntates istæ sint simul, prævalet prædominans; nempe, quæ eligeretur, cognitâ impossibilitate. Resp. II. Si inter voluntates contrarias una succedat alteri, posterior valet, nisi prior revocaverit (saltem virtualiter) omnem voluntatem subsequentem; tunc enim prior voluntas, modò expressè non revoceatur, certè prævalet. In his autem, si adhuc remanet dubium, dubius erit valor sacramenti; nam, ut valor sacramenti tanquam certus habeatur, requiritur (sufficit) præsumptio, quæ sit moraliter certa, excludens omnem oppositam formidinem. Ita *Vivaq. 1. a. 4. n. 9. Lugo de sacr. d. 8. n. 124. et Croix l. 6. p. 1. n. 69. cum Bosco, Pallav. Dicast. etc.* Si quis autem contraheret matrimonium, intendens illud esse solubile, tali animo, quòd si sciret esse insolubile, non contraheret, tunc nullum esset matrimonium, ut rectè docent *Lugo l. c. n. 128. Sanch. de matrim. l. 2. d. 13. Croix l. c. n. 72. cum Perez, Conc. etc.* Et idem dicunt *Bellarmin. Vasq. et Dic. cum aliis apud Croix* de infideli, qui sic contraheret. Ratio, quia matrimonium de sua natura est indissolubile; unde qui sic contraheret, apponeret conditionem contra substantiam matrimonii, ac ideò illud invalidantem, juxta *cap. fin. de condit. appos.* Validè tamen contraheret ut ait *Lugo n. 132. cum Suarez*, si quis per errorem putaret matrimonium esse

solubile, quia error privatus non tollit ei intentionem generalem contrahendi modo, quo debet.

25. — « Dixi 1. *saltem virtualis* : tùm quia non sufficit » interpretativa, vel habitualis (qualis etiam potest esse in » ebrio et dormiente); cùm actus ab ea procedens non sit » humanus et deliberatus, seu liber in se : tùm quia actualis, » quâ scilicet actu intendis, et vis hoc facere, etsi melior sit, » et consulta, non tamen requiritur; cùm enim ea non sit » in nostra potestate, et homo facilè distrahatur, nimis du- » rum, et plenum scrupulis fuisset, si hanc Christus requisi- » visset. Virtualis autem dicitur, quæ ex actuali præcedente » relicta durat in aliqua actione vi illius incepta, et conti- » nuata : ut si ex intentione baptizandi, vel celebrandi vadas » ad Ecclesiam, sacras vestes induas, ad altare, vel bapti- » sterium accedas, etsi interim omnia alia cogites. Ratio est, » quia hoc sufficit, ut actio illa sit humana, et moralis. *Laym.* » *l. 5. t. 1. c. 5.*

Unde resolves :

« 1. Si sacerdos habens fortè ante se panem, recitet fa- » ctum, et verba Christi; non ideò consecrat.

« 2. Impotens rationis, ebrius, vel somnians, non confi- » cit sacramentum, etiamsi ante ebrietatem, vel somnum » id intenderit; quia non agit humano modo. *Laym. l. c.* » (*Ita communiter Suar. Vasq. Con. etc. apud Croix l. 6. p. 1. n. 55. contra Cabrera.*)

« 3. S. Athanasius in lusu puerili verè baptizavit, quia » intendit facere, quod viderat in templo fieri ab Episcopo.

« 4. Hæreticus validè baptizat, et contrahit matrimonium, » etsi non credat hoc esse sacramentum, rideat, et con- » temnat : imò etsi nolit facere, quod facit Ecclesia romana, » sed quod sua; falsò putans non romanam, sed suam esse » veram; etsi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio » est, quia intentio generalis, quâ vult quod Christus insti- » tuit, prævalet intentioni provenienti ex errore privato. » *Bon. q. 3. p. 1. n. 9. Suar. Fill. etc.*

« 5. Non debet repetere sub conditione consecrationem, » qui in ipsa fuit distractus » (*Vide dicta supra n. 14.*) « vel

- » qui minores hostias ad altare detulit, de quibus majorem
- » consecrans, non explicitè cogitavit, nec detexit.
- « Dixi 2. *absoluta*; quia conditionata suspendit effectum,
- » quod, præterquam in matrimonio, fieri non potest.

Unde resolves :

« 1. Validum est sacramentum collatum sub conditione
» præterita, aut præsentì necessaria, vel contingente, si
» conditio verè sit impleta: v. g. absolvo te, si vis dimit-
» tere concubinam, si capax es; baptizo te, si non es bap-
» tizatus. *Bon. l. c. n. 18.*

« 2. Nullum est sacramentum datum sub conditione fu-
» tura, sive sit hæc contingens, ut, absolvo te, si restitues,
» si dimittes concubinam, etc. sive necessaria, aut adjceta
» animo suspendendi sacramentum, ut absolvo te, si cras
» sol orietur. *Bon. ib. Suar. Conc. etc. contra Dic. et Esp.*

« 3. Dubium est sacramentum collatum sub conditione
» occulta, humano modo incognoscibili; v. g. baptizo, si
» es prædestinatus, si Deus videt te hoc anno moriturum.

« 4. Graviter peccat, qui administrat sacramentum (exce-
» pto matrimonio) sub conditione, non solùm futura, (quod
» semper est mortale) » (*Ut Salm. tr. 1. c. 7. p. 6. n. 59. cum Gran.*) « sed etiam præsentì, aut præterita; sive in se
» sit prorsùs occulta, quod etiam est mortale; sive humano
» modo cognoscibilis: quod tamen nullum est, si fiat ex
» causa rationabili; rarò veniale, sæpiùs mortale, si abs-
» que ulla causa. Ratio est, quia aut nullum facit sacramen-
» tum, aut dubium, aut validum quidem, sed non sine
» nugatione in re gravi. *Vide Bon. l. c. Suar. Conc. etc. Schql.*

26. — Quær. I. An sit validum sacramentum collatum sub
conditione? Si conditio est de præterito, vel de præsentì,
sine dubio, verificata conditione, sacramentum est validum.
Ita communiter *Suar. in 3. p. d. 13. sect. 3. Laym. l. 5. tr. 1. c. 5. n. 13. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. punct. 3. §. 3. concl. 1. Pal. de sac. d. un. p. 5. n. 7. cum Con. Bon. etc.* Si verò conditio sit de futuro, nullum quippe est sacramentum collatum, ut *Tourn. l. c. cum Bus. et aliis*, ut suprà communiter. Ratio, quia, ut sacramentum validè

conferatur, forma est applicanda materiæ præsentî, aliàs haberetur effectus sacramenti, quando forma et materia jam desierint adesse. An autem validè absolveret confessarius sic dicens: *Absolvo te, si Deus cognoscit quòd restitues?* Affirmant *Viva de sacr. q. 1. art. 4. n. 7. et Henr. Arriaga et Bernal. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 81.* qui id valde probabile putat; quia (ut dicunt) tunc jam opponitur conditio de præsentî, cùm Deo omnia futura sint nota. Sed huic opinioni rectiùs contradicunt *Cont. Tourn. l. c. Conc. tom. 8. p. 87. n. 9. item Coninch. Avers. et Dicast. ap. Croix. l. c.* Ratio, quia, cùm Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio, quæ non possit cadere sub humana cognitione.

27. — Quær. II. An sit licitum conferre sacramentum sub conditione? Quoad sacramenta characterem imprimentia, certum est apud omnes licitum esse; et patet ex *c. 2. de bapt.* ubi dicitur: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Et quamvis *Jueninus de sacr. d. 1. q. 3. c. 3. art. 1. et Tourn. Prælect. theol. de sac. quæst. 1. in fin.* asserant ante sec. VIII. non haberi mentionem in patribus et conciliis prædictæ formulæ conditionatæ, tamen docet *SS. P. Bened. XIV.* in suo doctissimo libro *de Synodo l. 7. c. 6. n. 1.* ex eo non rectè inferre *Nat. Alex.* non fuisse in usu in collatione sacramentorum, conditionem apponi; nam asserit ex constanti Ecclesiæ praxi satis probari oppositum. Tantùm (ait) in sec. VIII. conditio illa, quæ priùs mente detinebatur, exprimi cœpit.

28. — Communiter autem dicunt DD. etiam alia sacramenta posse conferri et reiterari, si justa causa adsit. Ita *Suar. d. 13. sect. 3. concl. 3. Pal. d. p. 3. n. 7. Ronc. de sacr. c. 4. q. 6. r. 3. Habert to. 3. c. 2. q. 2. p. 72. r. 2. Salm. de sacram. in gen. c. 7. p. 6. n. 56. Bon. eod. tit. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3. num. 20. cum Sa, Con. Henr. Reg. etc. communiter: et non dissentit Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. punct. 3. §. 5. concl. 2. v. Dubium, contra Juen. Instit. theol. to. 7. p. 33. et Antoine de sacr. c. 2. qu. 3. v. Nota, qui ait tantùm in sacr. baptismi id licère, quando adest prudens dubium de ejus valore (*Vide dicenda de bapt. n. 136.*); in aliis verò putant non licère, nisi in necessitate. Sed nos primæ sententiæ subscribi-*

mus, cùm conditio, justâ causâ accedente, omnem repararet irreverentiam sacramenti. Diximus *justâ* (sive rationabili) *causâ accedente*, ut loquuntur *Suar. Pal. Bon. Salm. l. c. Ronc. l. c. item Croix l. 6. p. 1. n. 129. Elbel tom. 3. p. 13. n. 51. et Spor. to. 5. p. 14. n. 96. et p. 19. n. 129.* Nam commune est cum præfatis AA. (contra aliquos) esse peccatum mortale ministrare sacramenta, si non adsit causa necessitatis, vel gravis utilitatis: illicitum est enim sine tali causa sacramentum conferre cum dubio effectûs. Licitum autem est, ut dicunt *Suar. Ronc. Bon. Salm. et alii communiter*, confessario prudenter dubitanti an absolverit pœnitentem absolvere sub conditione. Et idem dicunt *Cont. Tourn. loc. cit. et Mazz. tom. 3. p. 568.* quando absolvendus est puer, de quo dubitatur, an compos sit rationis. Si quis autem judicans pœnitentem esse dispositum, eum sub conditione absolveret, dicens: *Ego te absolvo, si dispositus es*; rectè dicunt *Cont. Tourn. ibid. concl. 2. v. Imò peccaret, et Salm. cit n. 56.* quòd is non peccaret mortaliter, sed non excusaretur à culpa veniali, cùm hoc esset contra ritum Ecclesiæ. Idem ait *Croix l. 6. p. 1. n. 129.* de eo qui sine rationabili causa repeteret unum verbum, vel syllabam formæ.

29. — Certum autem est, quòd casu quo adest extrema proximi necessitas, et non habeatur materia, nisi dubia, tunc minister non solùm potest, sed tenetur sub gravi sacramentum ei ministrare sub conditione, ut docet *Lugo de sacr. d. 8. num. 140. cum Suar. Vasq. Con. Caj. Sylv. et commun. apud Viva in Trut. Append. §. XI. circa finem (Vide dicenda num. 102. v. Materia, et de pœn. n. 480.)*. Advertit tamen *Lug. Resp. Mor. l. 2. n. 10.* quòd si postea certa habeatur materia, et locus erit, repetendum est sacramentum sub eanditione, si fortè primum invalidum fuerit; et idem ait *Croix num. 125. cum Tamb. Gobat. etc.* Intellige hoc de sacramentis non iterabilibus, ut bÿptismo, confirmatione, et ordine. Notandum præterea, quòd si sacramentum sit ministrandum sub conditione, nullatenùs requiritur, ut conditio ore exprimatur, sed sufficit mente concipi (1). Ita *Cont. Tourn. de*

(1) « Sed quia non desunt auctores aliqui, ut *Gonet, etc.* qui tenent (licèt » parum probabiliter) valorem sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantùm ab ipsa collatione sacramenti seriò peracta, tutius est, » conditionem etiam verbis exprimere. » *St. Alph. Quæst. ultimo reform. 17.*

sac. cap. 2. art. 1. punct. 3. §. 5. concl. 3. Ronc. c. 4. q. 5. cum Pal. Gob. etc. apud Croix n. 83. ubi Moya hoc asserit commune, et Escob. putat certum. Quando verò publicè confertur baptismum dubium, rationabiliter dicit Cont. Tourn. loc. cit. conditionem exprimendam, ne adstantes credant baptismum absolutè reiterari contra legem Ecclesiæ.

Utrùm autem peccaret mortaliter is qui sine necessitate plures simul baptizaret, vel absolveret sub una forma? Affirmant Scotus, Gabr. et Con. apud Croix n. 44. Sed negat Croix cum Val. Henr. Reg. Dic. et aliis, quia non videtur hæc notabilis mutatio; omnes tamen dicunt, quòd is non excusetur saltem à veniali. Vide de ministro Baptismi.

DUBIUM II.

Quid requiratur in ministro, ut licitè ministret?

30 Vide quæ habentur de hoc apud Busemb.

31 Primò de statu gratiæ requisito in ministris sacramentorum, ad ea ordinatis.

32 Qu. 1. Quid de aliis ministris ad ea non ordinatis? An sacerdos baptizans non solemniter graviter peccet? An contrahens matrimonium in mortali duplex sacrilegium committat?

33 An excusentur ministrantes in mortali, si urgeat necessitas? Quid de ministrantibus in nosocomiis, de obstetricibus, et maxime de parochis, etc. ministrantibus in necessitate?

34 Qu. 2. An conferens sacramenta teneatur præmittere confessionem si sit in mortali?

35 Qu. 3. An peccet graviter sacerdos, sive diaconus ministrans Eucharistiam in mortali? Quot peccata committat sacerdos celebrans in mortali? An ministrans Eucharistiam pluribus successivè, committat plura peccata? An peccet graviter tangens ex officio Eucharistiam in mortali?

36 Qu. 4. An peccet graviter confessarius tantùm audiens confessionem in mortali?

Qu. 5. An confessarius plures successivè absolvens, plura sacrilegia committat?

37 Secundò de statu gratiæ requisito in exercentibus alias functiones sacras.

38 De diacono, et subdiacono ministrante altari in mortali.

- 59 *De Episcopo conferente in mortali chrisma, vel oleum sanctum?*
- 40 *De Episcopo consecrante in mortali, templo, vel benedicente vestes, etc. Et de sacerdote assistente matrimonio, vel benedicente aquam, cineres, etc.*
- 41 *An prædicator concionans in mortali, peccet mortaliter?*
- 42 *Vide apud Busemb. de ministro utente materia vel forma dubia; vel corruptam proferente formam, vel omitte[n]te ceremonias.*
- 43 *An sacramenta sint indignis deneganda? Dicendum I. generaliter loquendo, sacrilegium est ministrare sacramenta indignis.*
- 44 *Dicendum II. Peccatori publico negandum est sacramentum, sive occultè, sive publicè petat.*
- 45 *Dub. I. Quid si peccatum sit notum tantum aliquibus adstantium?*
- 46 *Dub. 2. Quid si crimen sit publicum in alio loco?*
- 47 *Dub. 3. An peccatori publico possit unquam ministrari Eucharistia?*
- 48 *Dub. 4. Quid agendum in dubio de crimine, et de penitentia?*
- 49 *Dub. 5. An minister ob metum mortis possit dare sacramentum indigno?*
- 50 *Dicendum III. Peccatori occulto publicè petenti non est negandum sacramentum. Secus si petat occultè.*
- 51 *Qu. 1. An confessarius possit negare sacramentum ob crimen auditum in confessione?*
- 52 *Qu. 2. An Episcopus possit negare sacramentum ordinis peccatori occulto publicè petenti?*
- 53 *Qu. 3. An possit absolvi ordinandus habitatus in vitio turpi, qui vult ascendere ad ordines sacros. Remissivè ad num. 63. in fine hujus dubii.*
- 54 *Qu. 4. An parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris? Et ad quid teneatur circa impedimenta?*
- 55 *Qu. 5. An unus sponsorum possit licitè matrimonium inire cum altero excommunicato, vel publico peccatore?*
- 56 *Et an liceat conjugia contrahere cum hæreticis?*
- 57 *Qu. 6. An in sacramentis conferendis liceat uti opinione probabili?*
- 58 *Qu. 7. An, et quando ministri teneantur ministrare sacramenta?*
- 59 *Qu. 8. An liceat simulare administrationem sacramenti?*
- 60 *An liceat simulare susceptionem sacramenti? Sed quid si quis simulet se confiteri?*
- 61 *Quid si quis simulet communicare?*

62 *Quid si quis simul et contrahere matrimonium?*

63 *Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi. An possit absolvi volens ordinari in sacris? usque ad num. 77.*

30. — « **R**ESP. 1. Præter ea, quæ ad valorem requiruntur, requiritur probitas, sive ut sit in gratia: tùm quia Christo, cujus est minister, debet se conformare; tùm quia sancta sanctè sunt tractanda; tùm quia ad hoc quidem singulariter ordinatur, et gratia peculiari donatur, ac proinde hoc curare præ aliis est obligatus. Ita *Laym. l. c. et commun.*

Unde resolves:

« 1. Peccat graviter, qui conficit sacramenta non habens sufficientem jurisdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui censurâ est prohibitus.

« 2. Non licet sacerdoti administrare sacramenta cum attritione cognita: quia adhuc est extra statum gratiæ. *Bon. qu. 3. punct. 2. §. 1.*

« 3. Non tamen necessariò præmittit confessionem (nisi velit celebrare), etsi sit consultius: quia de hoc nullum est præceptum, et ad delendum mortale sufficit contritio. *Vasq. d. 136. c. 1. Card. de Lugo d. 8. sect. 9.*

« 4. Minister sacramenti ad id ordinatus, si conficiat, et ministret solemniter in mortali, v. gr. si baptizet, vel celebret, peccat mortaliter toties quoties (quod etiam verum esse volunt *Sayr. Ledesm. et Bon. Gran. cont. 3. tr. 5. de diacono ex speciali commissione baptizante*), nisi fortè periculum sit in mora, nec possit tam citò confiteri, aut conteri: eo enim casu baptizare, vel etiam absolvere moribundum, in statu peccati, non esse irreverentiam docet *Card. de Lugo d. 8. s. 9. n. 151.*

« Dixi 1. *ad id ordinatus*; etsi enim laicus in necessitate baptizet cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter docent *Con. l. c. Fill. tom. 1. c. 5. q. 10. ex Suar. etc.*

« 2. *Solemniter*: nam si sine solemnitate baptizet, excusant à mortali *Suarez, Conc. Fill. l. c.*

« 3. Alii, qui conficiunt, et ministrant, non peccant mor-

» taliter, v. g. cùm laici in necessitate baptizant, vel mini-
» strant sibi invicem matrimonium in mortali. Ita contra
» *Sylv. Vasq. et alios docet Suar. cum aliis*; qui tamen vult
» eos peccare mortaliter, quatenùs hoc in mortali suscipiunt.
» Ita etiam *Filliuc. Fern. Sanch. Con. q. 64. a. 6. d. 1.*

« 6. Qui ministrat, etsi non conficiat, Eucharistiam in
» mortali, peccat mortaliter, ut habet communis *Suar. Fill.*
» *Laym. Bon. et aliorum contra Vasq.* cujus sententiam
» *Dian.* rectè notat esse probabilem, sive sit sacerdos,
» sive diaconus, ut *vide p. 3. t. 4. r. 198.* Idem docet *Card.*
» *de Lugo d. 8. n. 155.* Et quidem aliqui putant, tot morta-
» lia committi, quot communicantur: quod minùs videtur
» probabile, cùm moraliter non sit nisi una distributio, et una
» indigna ministratio: ita *Tann. 2. 2. Hen. Fill. nu. 87. etc.*
» *contra Con. et Bon.*

« 7. Etsi probabile sit, quod docent *Sylv. Caj. Fill. t. 1.*
» *tr. 1. c. 6. n. 87. Nav. et Sa v. Ordo*, diaconum, et subdia-
» conum, si cum mortali in ordine suo ministrent, item
» sacerdotem et Episcopum, si sacramentalia exerceat, nu-
» ptias, aquam benedicat, altaria, templa, vasa consecret,
» concionetur, Eucharistiam de loco in locum transferat, pec-
» care mortaliter: contrarium tamen videtur verius, ut do-
» cent *Suar. Vasq. Laym. Con. q. 64. art. 6. dub. 1. Card.*
» *de Lugo l. c.* Ratio est, quia hæ actiones non tendunt pro-
» ximè ad sanctificationem animæ ex opere operato sicut
» actiones sacramentales.

« 8. Non videtur vera esse sententia, quæ docet esse mor-
» tale tangere in mortali corporalia, calices, reliquias, etc.
» *Sayr. Suar. Bon. d. 1. q. 5. p. 2.* Quòd si quis in mortali
» (etiam laïcus in necessitate) elevet de terra Eucharistiam,
» non videtur aliud agere, quàm si Christum, in hac vita
» lapsum, elevasset: secùs tamen si quis id extra necessi-
» tatem temerè præsumat, exemplo *Ozæ. Bon. d. 1. q. 5.*
» *p. 2. n. 12.*

51. — Distinguere hic oportet confectionem et administra-
tionem sacramentorum ab aliis functionibus sacris.

Et I. Quod ad sacramentorum confectionem sive admini-
strationem pertinet, commune et certum est apud DD.
(quidquid dicant aliqui non audiendi apud *Croix*) quòd mi-
nister sacramenti ad id ordinatus, si conficiat, et ministret

solemniter in mortali, mortaliter peccat. Rationem affert *D. Th.* 3. part. qu. 64. art. 6. dicens: *Conveniens esse, ut sacramentorum ministri sint justī, quia ministri debent domino conformari.... et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

32. — Sed quæritur 1. An peccet graviter minister, qui confert sacramentum, ad quod non sit specialiter ordinatus? Hæc quæstio quippe tantum locum habet in baptismo, et matrimonio, nam alia sacramenta patet non posse ministrari, nisi à ministris consecratis.

Prima sententia negat, et hanc tenent *P. Conc. t. 8. p. 90. n. 45.* qui vocat veram et communem, *Tourn. Prælect. theol. de sac. quæst. 7. art. concl. 2. in medio. Nat. Alex. de sacr. l. 2. reg. 8. Anacl. p. 552. n. 45. Salm. de sacram. in gen. c. 7. p. 10. n. 87. cum Suar. Bonac. et Valent. item Gonet, Habert, Juenin, etc. apud Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Dixi 2.* Et expressè eam docet *S. Th. 3. p. q. 64. art. 6. ad 3.* ubi ait: *In articulo tamen necessitatis (sacerdos) non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus.*

Hæc sententia est quidem probabilis: sed, spectatâ ratione, videtur probabilior *secunda sententia* affirmans quam tenent *Cont. Tourn. l. c. Croix n. 92. et 93. Antoin. q. 6. et Lugo cum Vasq. Pont. Nav. Led. etc.* Hæc sententia docet, quod per se loquendo laicus sive sacerdos ministrans non solemniter, graviter peccat ministrando in mortali. Ratio, tum quia peccatum quod committit indignè ministrans, juxta doctrinam *D. Th. n. præc. allatam*, consistit in irreverentia quæ irrogatur Deo, et sacramento: et quidem hæc irreverentia non tantum infertur à ministro consecrato, sed et à non consecrato: tum quia hic, licèt tunc non se exhibeat ut ministrum Ecclesiæ, tamen se exhibet ut ministrum Christi: tum quia sancta sanctè tractanda sunt, et sanè sub gravi in re gravi: actio autem mi-

nistrandi sacramenta est quidém eximiè sancta, quia fit nomine Christi; et est immèdiatè coöperans in sanctificationem animæ, unde à quocumque exerccatur, ipsius sanctitatem requirit.

Hinc infèrtur 1. probabiliùs esse cum *Contin. Tourn. Ant. Croix ll. cc. et aliis apud Salm. tr. 1. c. 7. p. 10. n. 92.* laicum sive sacerdotem ministrantem non solemniter baptismum in necessitate, peccare graviter, si ministret in mortali.

Infèrtur 2. probabiliùs peccare graviter contrahentes matrimonium in mortali, non solùm sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando, ut dicunt *Pontius de matr. l. 1. c. 8. n. 11. Lugo de sacr. d. 8. n. 150. cum Nav. Vasq. Led. etc. (contra Sunch. de matr. l. 2. d. 6. n. 4. Suar. de sacr. d. 16. sect. 2. Bon. d. 1. q. 5. p. 2. §. 1. n. 10. cum Soto, etc.)* nostramque sententiam *Croix l. 6. p. 1. n. 93.* absolutè veram putat, eamque valère dicit, etiamsi matrimonium ineatur per procuratorem.

55. — Diximus *per se loquendo*, nam per accidens minister tam consecratus, quàm non consecratus excusatur, si ministret in mortali sacr. bapt., aut pœnit. in necessitate, putà si non posset tam citò conteri, et periculum esset, quòd moribundus decederet sine baptismo, aut absolutione; ut comm. docent cum *Bus. ut suprà, Lug. d. 8. n. 151. Ronc. de sacr. c. 4. q. 6. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Dixi 1. Ant. de sacr. c. 2. q. 6. Croix l. 6. p. 1. num. 92. Salm. tr. 1. c. 7. p. 10. n. 95. cum Vasq. Conc. etc.* Et idem ait *Moya apud Croix l. c. de confessario*, quia non posset tam citò conteri, quin incurrat notam infamiæ. Idem dicunt *Tamb. in Meth. comm. c. 1. §. 10. n. 71. et Lugo d. 9. n. 8. cum Vasq. et Henr. de sacerdote*, qui incepta missà in bona fide recordarètur peccati mortalis, et valde difficulter conteri possèt, et contra nequiret sine infamia cessare ab inchoato sacrificio; sed his opinionibus meritò contradicit *Concin. tom. 8. p. 550. n. 57.* Ratio, quia ex una parte urget præceptum divinum, ut sacramentum in gratia conficiatur, aut suscipiatur; et ex altera non est impossibile tali sacerdoti actum contritionis elicere; etenim *Deus (ut docet Trid. sess. 6. c. 11.) impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Ergò si sacerdos non se conterit, ex culpa sua provenit, vel

quia non conatur quantum potest, cum hic tempus sufficiens adsit (secus in primo casu moribundi), vel quia peccato adhæret.

Præterea hic notandum cum *Cont. Tourn. loc. cit. verb. Circa*, quod sacerdotes ministrantes in amplis nosocomiis, aut in castris, cum ibi necessitates morientium sint obviæ, tenentur semper se paratos habere ad ministranda sacramenta in gratia. Et idem ex eadem ratione rationabiliter ait *Cont. Tourn. ibid. v. Dixi 2. Hæc tamen*, de obstetricibus. A fortiori autem ad id tenentur parochi, aliive sacerdotes, quibus ex officio incumbit sacramenta ministrare, ut bene ait *Nat. Alex. de sacr. l. 2. Reg. 12.* referens monitum *S. Caroli Borr. in suis instruct.* ubi hæc habentur: *Parochus, omnisque sacerdos, cujus est sacramenta administrare, meminisse debet omni ferè temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus.*

54. — Quær. 2. An sacerdos conferens sacramenta teneatur præmittere confessionem, si sit in mortali? In confectione Eucharistiæ certum est ex *Trid.* præmittendam esse confessionem, juxta dicenda n. 255. quoad alia verò sacramenta

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Merbesius tom. 2. p. 71. Concl. 5. Genet. tom. 3. p. 35. q. 4. conc. tom. 8. p. 94. n. 27. ex Catech. Rom. p. 2. c. 5. §. 45.* ubi dicitur: *Cum sacramenta administramus, aut percipimus, toties confessio prætermittenda non est.* Ratio, tum quia idem motivum præcepti, quod currit in Eucharistia, valet etiam in aliis sacramentis; tum quia minister, cum teneatur ministrare sacramenta in statu gratiæ, debet habere moralem certitudinem de sua justificatione; sicut habere debet de materia et forma: hæc autem certitudo nequit haberi per contritionem quæ difficillimè, et à paucis obtinetur.

Secunda sententia verò probabilior, et communis negat necessitatem confessionis, et dicit sufficere quod eliciatur contritio. Hanc tenent *Suarez loc. infra citando, Lugo de sacr. d. 8. n. 145.* asserens esse communem, *Salm. tr. 1. c. 7. p. 10. n. 94.* qui pariter asserunt communem esse hanc sententiam, scilicet quod satis sit elici contritionem probabiliter existimatam, item *Sylvest. verb. Confessio. Laym. l. 5. t. 1. c. 5. n. 10. Nav. Sum. c. 2. n. 6. Victor. Sum. n. 155. Ronc. de sacr. q. 4. c. 1. r. 6. Spor. t. 5. n. 170.*

Croix l. 6. p. 1. num. 93. Viva q. 1. a. 4. num. 4. Elbel t. 3. pag. 15. n. 49. qui etiam asserit communem, Bonac. d. 1. q. 3. p. 2. n. 3. cum Reg. Fill. Henriq. et aliis passim. Prob. 1. ex Rit. Rom. de sacr. in genere, ubi dicitur: Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confitèri. Nota, convenit; ergò ex Rituali sufficit pœnitère per contritionem, et confessio est de convenientia, non de necessitate. Prob. 2. ratione, tùm quia in aliis sacramentis non habetur præceptum neque naturale, neque divinum, neque ecclesiasticum de præmittenda confessione, ut habetur in suscipienda Eucharistia: tùm quia, ut ait doctissimus Suar. in 3. part. d. 16. v. Quæritur, licèt confessio (ut vidimus) valde conveniat, tamen satis est ut sacerdos adhibeat diligentiam moralem ad se justificandum per contritionem, quin summam adhibeat per confessionem; nec eadem ratio currit pro materia, et forma sacramenti, quàm pro licita administratione sacramenti; ibi enim cùm agatur de substantia seu de veritate rei, probabilitas non potest efficere, ut materia et forma inepta evadant apta; sed in licita administratione sacramenti, cùm agatur tantùm de modo, id est de honestate actionis, benè probabilitas efficit, ut actio sit honesta, quando prudenter honesta judicatur, quamvis in se fortè talis non sit.

35. — Quær. 3. An peccet mortaliter sacerdos, aut diaconus ministrans Eucharistiam in mortali?

Prima sententiâ negat, et hanc tenent Lugo de sacr. d. 8. n. 155. Spor. t. 3. pag. 26. n. 172. Diana p. 2. t. 14. r. 23. et probabilem putant Salm. de sacram. in gen. c. 7. p. 41. n. 100. ad n. 103. cum Sylvio, Vasq. Gabr. Led. etc. Viva q. 1. art. 4. n. 4. Croix l. 6. p. 1. num. 94. cum Arriaga, Aversa, Dicast. Amico, Bernal. etc. Ratio, quia distribuens Eucharistiam, cùm non cõficiat sacramentum, tantùm remotè coöperatur ad productionem gratiæ; non ponit enim actionem per se causantem gratiam, sed tantùm applicat activa passivis; nec agit is nomine Christi, cùm Christus non requisiverit, ut distribuens sit persona sacra, olim enim etiam laici communionem sibi vel aliis porrigebant.

Secunda sententia verò, quam sequimur, affirmat, eamque tenent *Suar. in 3. p. d. 16. sect. 3. et 4. v. Dices, Conc. t. 8. p. 90. n. 17. Holzm. t. 2. p. 7. n. 29. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Colliges 3. Viva loco suprâ cit. Antoine de sacr. c. 2. q. 6. v. Resp. 2. Laym. l. 5. tr. 1. c. 5. n. 8. Ronc. de Euch. c. 4. q. 2. item Gonet, Bonac. Valent. Conc. Fill. Vill. etc. apud Croix n. 94. Probatur ex c. Sciscitantibus, caus. 15. qu. 8. ubi Nicolaus I. loquens de sacerdote adultero Eucharistiam ministrante, dicit: *Mali bona administrando, se tantummodò lædunt.* Et cum hæc materia, de qua agitur, sit gravis, consequenter graviter *se lædunt.* Item probatur ex Catech. Rom. p. 2. c. 1. n. 26. ubi dicitur: *Si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in sædas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur?* Item ex Rit. Rom. §. 1. ubi: *Impurè, et indignè ministrantes (sacramenta) in æternæ mortis reatum incurrunt.* Et de sacr. Euch. dicitur: *Omnibus quidem Ecclesiæ catholicæ sacramentis religiosè sanctèque tractandis magna cura adhibenda, sed præcipuè in administrando ac suscipiendo SS. Eucharistiæ sacramento.* Ratio igitur nostræ sententiæ est, quia sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali, gravem irrogat injuriam huic sacramento, eò quòd ut minister ad illud dispensandum consecratus ipsum indignè ministrat: et sicut in aliis sacramentis minister proximè per confectionem concurret ad sanctificationem suscipientium, ita hic proximè concurret per dispensationem, cum minister Eucharistiæ non possit ut ministrum se exhibere aliter quàm per dispensationem, juxta illud *D. Pauli 1. Corinth. 4. c. 1. §. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Nec valet dicere, quòd sacerdos non sit à Christo præcipuè deputatus ad Eucharistiam ministrandam, ex eo quòd olim etiam per laicos hoc fiebat; nam licèt per accidens in necessitate hoc laicis permissum est, sicut etiam et baptizare, tamen nemo potest negare, quòd minister ordinarius et ex officio ad Eucharistiam dispensandam sit solus sacerdos, vel diaconus ex commissione.*

Hinc diximus cum *Mazzot. t. 3, p. 49. Holz. t. 2. p. 6. num.*

26. quòd celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit : 1. quia sacramentum conficit ; 2. quia suscipit ; 3. quia ministrat sibi indigno , ut benè advertunt *Holz. l. c. Croix l. 6. p. 1. n. 93. Suar. d. 67. sect. 1. et Lugo d. 8. n. 199. et 202.* cùm enim celebrans tunc duas agat partes , alteram ut sumens , alteram ut minister , idè duo sacrilegia committit ; prout diximus de contrahente matrimonium in mortali , qui dupliciter graviter peccat , quia nimirùm suscipit , et quia ministrat sacramentum. De his tribus sacrilegiis jam diximus *lib. 2. n. 44. 4.* Sacrilegium committit , quia Eucharistiam ministrat in mortali , prout mox suprâ probavimus. Utrùm autem ministrans Eucharistiam unum peccatum committat , vel plura , quot sunt ii qui successivè suscipiunt ? *Bon. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. n. 15. cum Conc. et aliis* affirmant , quia singulæ distributiones sunt singula convivia , et actiones completæ. Sed probabiliùs dicunt *Henno de pecc. cap. 3. n. 2. Viva de sacr. q. 1. art. 4. n. 4. et Fill. ac Henriq. ap. Bonac.* pluralitatem communicantium constituere tantùm circumstantiam aggravantem , sed non multipliciter peccatorum , cùm veriùs sit una actio moralis , et unum convivium : quod unum sanè dicitur , quamvis ex pluribus constet conviviis. Hinc dicit Rituale : *Ubi verò omnes communicaverint , sacerdos dicere poterit : O sacrum convivium , etc.*

Valde autem probabiliter ait *Cont. Tourn. loc. cit. v. Colleges 4. et 5. cum D. Thom. in 4. d. 24. q. 1. art. 3. q. 5.* quòd peccat graviter qui existens in mortali Eucharistiam ex officio tangit immediatè , vel mediatè , putà gestando in processione , vel populum benedicendo , hocque expressè videtur docère *S. Dionysius ap. Cont. Tourn. l. c.* dicens : *Qui tangunt res sacras , quasi suo officio utentes , peccant mortaliter.* Sed non improbabilius *Bon. d. 1. sect. 3. p. 2. §. 1. n. 13. Croix l. 6. p. 1. num. 101. Lugo d. 8. n. 155. Anacl. p. 534. n. 58. Holz. t. 2. p. 7. num. 29. Elbel t. 3. p. 15. n. 50. et Salm. tr. 1. c. 7. p. 11. n. 100. et 106. et Busemb. ut suprâ num. 7. cum Suar. Vasq. Laym. et Coninch.* id negant , quia hæc non est administratio sacramenti , nec videtur materia tam gravis , ut peccatum mortale inducat. Dicit enim *Suarez in 3. parte d. 16. sect. 3. v. Atque hinc : Cùm aliæ actiones , præter sacramenta , non sint ad sanctificationem per gratiam proximè ordinatæ , neque in eis se exhibeat sacerdos ut mi-*

nister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis causa, et ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas. Ergò illas in peccato efficere ex parte materiæ, non videtur esse grave sacrilegium.

36. — Quæritur 4. An peccet graviter confessarius excipiens confessionem in mortali, cum proposito eliciendi contritionem antequam absolvat?

Prima sententia probabilis, quam tenent *Gonet d. 7. c. 6. n. 108. et Cont. Tourn. ibid. v. Colliges 2. Escob. l. 8. n. 254. cum Suar. et Franc. de Lugo*, affirmat, quia talis actio est sacramentalis, et pertinet ad ministrum consecratum, cum sacerdos non minus consecretur ad audiendam confessionem, quam ad absolvendum.

Secunda sententia communior, et probabilior negat, et hanc tenent *Card. de Lugo de sacr. d. 8. n. 138. Sporer t. 3. pag. 26. n. 173. Elbel t. 3. pag. 15. n. 50. Diana p. 1. tr. 7. r. 47. Salm. tr. 1. c. 7. p. 11. num. 107. cum Henriq. et Croix l. 6. p. 1. num. 102. cum March. Rodr. Moya, Gob. Dic. Anvers. Bernal et Bosco*. Ratio, quæ utitur *Lugo*, est, quia sacerdos audiendo confessionem tantum passivè se habet; sed hanc rationem meritò non admittit *Croix*, quia confessarius excipiendo confessionem, reverà non se habet tantum passivè, sed etiam agit formando iudicium de peccatis. Ratio aptior aliorum est, quia confessarius audiendo non conficit sacramentum: illud enim non conficitur nisi quando absolutio impertitur. Id autem quod ibi addit *Croix cum Marc. et Gob.*, nempe ministrum non peccare mortaliter, si in mortali formam inchoet sacramenti, modò conteratur antequam illam perficiat, mihi non placet, nam licet gratia non conferatur, nisi formam expletam, tamen valor sacramenti et collatio gratiæ non tam pendet ab ultimis verbis formæ, quam à primis; unde sacerdotem, qui eam incipit in mortali, meritò dicit *Aversa ap. Croix* graviter peccare, quia iam irrogat injuriam sacramento, conferendo illud in mortali.

Quær. 5. An confessarius plures successivè absolvens in mortali plura peccata committat? *Vide dicta lib. 2. n. 50. Qu. 6.* ubi veriore esse diximus sententiam affirmativam, quia singulæ absolutiones sunt singula sacramenta.

37. — II. Quod autem pertinet ad alias functiones sacras,

quæ non sunt confectiones, neque administrationes sacramentorum, quæstio est, an minister, qui ex officio illas exerceat in mortali, peccet mortaliter?

Prima sententia, pro qua certè videtur esse *D. Thomas in 4. d. 24. q. 1. ar. 5. qu. 5. ad 4.* (quidquid aliqui dicant), et sequuntur alii apud *Juenin. Instit. theol. tom. 7. p. 86. q. 4.* dicit omnes exercentes ex officio functiones ordinis suscepti ab Episcopo usque ad ostiarios, in mortali, culpam gravem committere. Hæc verba *D. Th. : Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin illud indignè faciat; unde patet quòd peccat mortaliter.*

Secunda sententia verò communior, et satis probabilis negat, et hanc tenent *Suarez in 3. p. d. 16. s. 3. Holzm. t. 2. p. 7. n. 51. Anacl. pag. 534. num. 58. cum Mastrio, Bonuc. de sacr. d. 1. qu. 3. p. 2. §. 1. num. 4. cum Soto, Val. Fill. etc. Salm. tr. 1. c. 7. p. 11. n. 101. cum Vasq. Vill. et Gran. Ratio 1. quia, ut ait Suarez (cujus verba retulimus suprà n. 55. in fin.) omnia alia exercitia ordinum, præter confectionem vel administrationem sacramentorum, cum non sint proximè ordinata ad sanctificationem animæ, non videntur exigere sub gravi exercentium sanctitatem. Ratio 2. quia (ut benè ajunt *Salm. ibid. n. 108.*) ubi non constat de præcepto, non est facilè imponenda obligatio sub mortali; in his autem functionibus, quas diximus, non constat de tali præcepto, unde gravitas obligationis desumenda est à materia, et cum hæc materia non videtur, saltem non constat esse tam gravem, videtur quòd exercere tales functiones in mortali, non excedat culpam venialem; quæ tamen erit eò gravior, quòd actiones magis accedunt ad sacramenti ministerium.*

38. — Hinc infertur I. esse probabile, quòd non peccent graviter diaconi, et subdiaconi, qui in mortali ministrant. Ita *Suar. loc. cit. s. 5. Lugo d. 8. n. 152. Sot. in 4. d. 24. q. 1. Laym. l. 5. tr. 1. c. 5. n. 10. Vasq. d. 156. c. 4. Coñinch. qu. 64. art. 6. d. 1. Salm. loc. cit. n. 104. Holzm. n. 51. Anacl. l. c. Sporer t. 2. p. 26. num. 174. Elbel t. 3. p. 15. n. 50. Croix t. 6. p. 1. n. 98. cum Dic. Bon. l. c. num. 7. cum Val. Fill. Angles, et alii plures, nec dissentit *Antoine de Sacr. c. 1. quæst. 7. (contra Wigandt ex. 4. tr. 11.**

n. 37. Cont. Tourn. de sac. c. 2. art. 1. sect. 2. punct. 1. §. 2. v. Colliges 6. Conc. t. 8. p. 32. n. 31. Petrocor. t. 3. p. 79. et alii ex D. Th. l. c. ut supra). Et hoc etiamsi frequenter ipsi ministrant, ut dicunt Coninc. l. c. Croix n. 98. Bonac. et Salm. cit. n. 104. in fin. cum Vasq. contra Fill. Suar. et Laym. qui frequentiam damnant de mortali, cum illa videatur esse virtualis contemptus; sed veriùs (ut diximus lib. 5. n. 161. v. Quarta) juxta doctrinam D. Thom., frequentia per se nequaquam constituit contemptum. -

Objiciunt 1. illud apostoli ad Tim. 1. c. 3. §. 9. ubi dicitur, quòd diaconi debent esse, *habentes mysterium fidei in conscientia pura*. Ergò (ut dicunt) qui ministrant cum peccato, agunt contra apostoli præceptum. Sed respondetur, quòd diaconi tempore apostoli (ut ferunt Tourn. Præl. theol. de bapt. quæst. 3. art. 2. concl. 1. et ipse auctor Petrocor. t. 4. p. 213.) ex officio Eucharistiam, atque baptismum fidelibus ministrabant; id enim testatur S. Justinus ap. Petroc. dicens: *Qui apud nos vocantur diaconi, distribuunt unicuique panem, etc.; porrò alimentum hoc vocatur Eucharistia. Et Tertull. apud Tourn. ibid. ex Tertull. ait: Dandi baptismi jus habet Episcopus, deinde presbyteri, et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate*. Ergò meritò ob reverentiam baptismi et Eucharistiæ quorum administratio diaconis committebatur, puram conscientiam in eis apostolus requirebat.

Objiciunt 2. textum in c. Quæsitum, de cohab. cler. etc. ubi dicitur clericus concubinarius occultus esse sub mortali quoad seipsum suspensus ab officio; et præcipuè alium textum in c. Quæsitum, ult. de temp. ord. ubi Gregor. IX. loquens de sacerdotibus, et aliis clericis existentibus in peccato mortali occulto, dixit: *Si non pœnituerint, monendi sunt, et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrant*. Sed respondetur 1. cum Lugo num. 147. et Croix n. 103. quòd Gregorius rectè dixit tales clericos peccare graviter ministrando in mortali, quia juxta decretum Anacleti Papæ, et canonem apostolorum 9. (cujus verba affert Suarez d. 69. sect. 3. §. 1. ad 2.) ministri altaris tunc temporis tenebantur communicare in missa; et in hoc sensu verum est, quòd per quodlibet peccatum mortale diaconi, et omnes alii altari ministrantes suspensi erant ab exercitio

suorum ordinum. Resp. 2. quòd, si hic textus rigorosè intelligendus esset, etiam clerici minores, exercendo actus suorum ordinum, peccarent mortaliter; sed hoc nec etiam auctores contrarii audent asserere, et ipse *Cont. Tourn. loco suprà cit. v. Quod spectat*, expressè oppositum censet, dicens in hoc convenire omnes theologos, tùm quia munia clericorum minorum etiam à laïcis exercentur; tùm quia eorum functiones valde distant ab actione sacrificii. Unde, cùm textus nimis videatur probare, intelligendus est *Gregorius* minimè voluisse jus novum condere, sed tantùm explicasse (ideò dixit *monendi sunt*) naturalem obligationem ministrantium altari, pro subjecta materia abstinendi ab exercitio ordinum, juxta qualitatem reverentiæ, quam quilibet ordo pro sua dignitate requirit; aliam enim reverentiam requirit administratio sacramentorum, et quidem sub gravi, aliam exigunt aliæ functiones, et non tantam, majorem tamen, aut minorem, juxta (ut diximus) proximitatem quam habet functio illa ad sacramentum.

39. — Infertur II. probabiliter non peccare graviter Episcopum, qui in mortali conficit chrisma, vel oleum sanctum, ut tenent *Palaeus de sacram. d. un. p. 6. n. 4. Vasq. c. 4. n. 48. Salm. tr. 4, c. 7. p. 11. n. 101. Croix l. 6. p. 1. n. 96. Holzm. t. 2. p. 7. n. 50. cum Henr. Bonac. q. 3. p. 2. §. 1. n. 8. cum Suar. Sot. Con. Fill. Sayr. et aliis, contra Cont. Tourn. ib. v. Collig. 6. et alios cum Lugo d. 8. n. 156.* qui putat id esse mortale, eò quòd chrisma, vel oleum, quod necessariò debet esse ab Episcopo benedictum, est materia sacramenti sine qua non sit sacramentum. Sed respondetur, quòd, licèt chrisma, vel oleum, non sit materia apta, nisi benedicatur ab Episcopo; tamen Episcopus materiam benedicens non peccat mortaliter, quia remotè semper concurrat ad productionem gratiæ; aliàs quicumque pararet materiam ad alia sacramenta in mortali, graviter etiam peccaret; per accidens enim se habet, quòd chrisma, vel oleum pro confectione confirmationis et extremæ unctionis non sit materia apta, nisi ab Episcopo benedicta.

40. — Infertur III. communissimam et probabiliorem esse sententiam, quòd non peccet mortaliter Episcopus, vel sacerdos, qui in mortali consecrat templum, benedicit vestes sacras, aut corporalia, assistit matrimonio, benedicit cinc-

res, aquam lustralem, etc. ut contra *Sylvest. Caj. etc. apud Busemb. tenent Lugo, Vasq. Laym. Conc. item Gonet Mant. t. 6. p. 78. Antoine c. 1. q. 8. Croix n. 99. et Salm. tr. 1. c. 7. p. 11. n. 105 et 106. cum Suar. Bon. et Led. ac non dissentit Cont. Tourn. loc. cit.*

Quæritur autem, an concionator in peccato mortali peccet mortaliter?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Caj. 2. 2. q. 187. art. 1. et 3. d. 6. Merbes. p. 3. q. 15. Juv. q. 5. c. 3. a. 2. Cont. Tourn. ibid. v. Quæres. et alii apud Dian. p. 3. tr. 4. r. 197. et pro hac sententia videtur etiam esse D. Th. in 4. d. 19. q. 11. art. 2. ad 2. ubi dicit concionantem in mortali, etiam occulto, graviter peccare, eò quòd (ut ait) *impedit finem doctrinæ, quia ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat.* Alii verò diversâ ratione utuntur; dicunt enim peccare mortaliter, quia in mortali exercet actum ordinis.*

Secunda sententia verò communior, et probabilior negat, et hanc tenent *Gonet l. c. Suar. in 3. p. t. 3. d. 16. sect. 3. in fine, et de charit. d. 8. sect. 4. n. 6. Lugo de Sacr. d. 8. nu. 152. Pal. t. 1. tr. 6. d. 3. p. 7. n. 7. Bon. d. 1. q. 3. p. 2. n. 8. cum Vasq. et Sayr, Spor, t. 5, p. 26. n. 174. Croix l. 6. p. 1. n. 99. Salm. ibid. c. 7, n. 106. Dian. loc. cit. et t. 7. tr. 3. r. 14. cum Villal. Torres, Laym, et aliis pluribus, Ratio, tum quia nulla patet lex divîna, vel ecclesiastica prohibens sub gravi peccatoribus abstinere à prædicatione; tum quia actus prædicandi non tendit immediatè ad sanctificandum hominem, cum de se non causet gratiam, sicut causant administrationes sacramentorum. Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, nempe quòd peccator prædicans in mortali graviter peccet, quia exercet indignè officium ordinis. Nam respondetur, aliud esse exercere officium ordinis, aliud officium annexum ordini: qui enim exercet officium ordinis, cum hoc ordinetur ad Eucharistiam, illud indignè ministrans, Eucharistiæ probabiliter injuriam irrogat (Dico *probabiliter*, quia oppositum etiam est probabile, ut diximus n. 53. v. *Valde*, cum tale exercitium non sit proximè ordinatum ad productionem gratiæ, prout est administratio sacramenti). Qui verò exercet officium prædicandi, cum hoc sit tantum extrinsecè annexum ordini, et per se dumtaxat ordinatum ad proximum, peccator prædicans non infert injuriam ordini, sed proximo;*

unde juxta injuriam quæ proximo irrogatur, debet culpa mensurari. Hinc fit, quòd occultus peccator prædicans, cùm nullum damnum irroget proximo, imò utilitatem afferat, idcò non est cur de mortali damnetur. Dixi de mortali, nam communiter non excusant DD. à veniali, ob aliqualem irreverentiam, quæ fit verbo divino. Hinc usus habet, quòd prædicator ante concionem petere soleat benedictionem ab Episcopo, dicens: *Munda cor meum, etc.*

41. — Dicunt verò Suar. Sot. et Dian. ll. cc. non excusari à mortali prædicatorem, cui ex officio incumbat concionari, si prædicet existens publicus peccator; quia tunc scandalum præbet impeditque finem doctrinæ. Et huic sententiæ videtur postea se conformasse D. Th.; nam licèt l. c. ut supra, asseruerit, quòd tam occultus, quàm notorius peccator mortaliter peccet concionando; tamen, ut advertit P. Concin. t. 8. p. 93. n. 25. videtur S. Doctor doctrinam illam voluisse postmodum delinire, et ad solos et publicos peccatores restringere: etenim in 2. Cor. c. 6. lect. 1. ex S. Greg. sic inquit: *Cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur, ut publicus et famosus peccator cavere sibi debeat, ne prædicet, aliàs peccat.* Et hoc potiùs intelligendum videtur, si concionator increpet vitium de quo ipse publicè est diffamatus, juxta illud Rom. c. 2. v. 24. ubi apostolus dicit: *Qui alios doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mæchandum, mæcharis, etc. nomen..., Dei per vos blasphematur inter gentes.*

42. — « Resp. 2. Requiritur præterea, ut exhibeat, ac » curet, non tantùm quæ ad substantiam sacramenti sunt » necessaria, sed etiam quæ ad decorem, sive ex natura rei, » sive ex præcepto Ecclesiæ, spectant. Ratio prioris est, quia » alioqui sacramenta dehonestat, et tractat indignè. Ratio » posterioris est, quia sacramenta sanctè sunt tractanda; et » præcepta Ecclesiæ obligant in conscientia.

Unde resolves:

« 1. Peccat ministrans mortaliter: 1. Si utatur materiâ vel » formâ falsâ, vel (extra necessitatem) dubiâ. Bonac. d. 1. » q. 2. p. 1. n. 32. 2. Si omittat intentionem requisitam. Quòd » si verò dubium oriatur, et non tantùm inanis scrupulus » is enim rejici debet), an forma fuerit legitima, vel an legi-

» timè et integrè prolata; tunc, etsi speculativè probabile
 » sit, formam esse legitimam, in praxi tamen iteranda erit
 » sub conditione, quia tutius hic eligendum est. » (*Juxta
 sensum communem Ecclesiæ, ut vidère licet in damnatione
 propos. 1. facta ab Innoc. XI. Vide dicenda n. 57.*)

« 2. Peccat quoque (graviter, vel leviter pro gravitate ma-
 » teriæ) 1. Qui verba formæ corruptè, inarticulatè, indevotè
 » pronuntiat. 2. Qui materiam, vel formam, vel cæremo-
 » nias, contra Ecclesiæ morem, quamvis accidentaliter, sine
 » causa mutat, vel omittit. Quod si fiat ex contemptu, est
 » mortale, si ex negligentia, sæpè est mortale, quando ea
 » magna est, et in re gravi. *Vide infra c. 4. d. 5.*

« 3. Peccat graviter, qui ministrat sacramentum publico
 » peccatori, vel aliter indigno, nisi indignitas sciatur ex con-
 » fessione, vel sit occulta indignitas, et ex negatione seque-
 » retur infamia, ut patet ex praxi Ecclesiæ, et Christi, qui
 » Judæ Eucharistiam dedit. Graviùs peccaret, qui ne daret
 » indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, etsi sic
 » cum eo convenisset; aut qui, non audens indignè celebrare,
 » simularet missam, elevans hostiam non consecratam, quia,
 » quantum est ex se, dat occasionem idololatriæ. *Vide Bon.
 » d. 1. q. 6. p. 4. Suar. Con. et Schol.*

43. — Super hoc puncto de negandis sacramentis indigno
 plura utilia sunt notanda. Dicendum I. certum esse, quòd
 minister graviter peccat ministrando sacramenta indignis, ex
 communi cum *S. Th. 3. p. q. 80. art. 6. Salm. tr. 1. c. 7.
 p. 9. n. 72. Conc. t. 8. p. 100. Suar. Henr. Croix l. 6. p. 1.
 n. 15. ex illo Matth. c. 7. v. 6. Nolite dare Sanctum canibus.*
 Imò in quibusdam sacramentis minister, ut se fidelem dis-
 pensatorem præstet, non sufficit, si petentem nesciat esse
 indignum, sed ampliùs tenetur prudentem rationem habère,
 quòd ille sit dignus; in sacramento enim pœnitentiæ, cùm
 in eo omninò requiratur ad valorem pœnitentis dispositio,
 minister, prout judex ad hoc constitutus, debet de ea se cer-
 tum reddere. In sacramento baptismi debet etiam inquirere
 consensum, dispositionem baptizandi. In sacramento quoque
 ordinis Episcopus debet certam habère scientiam de dignitate
 ordinandi, cùm ad ordinem, prout directum ad publicum
 bonum, nemo habeat jus nisi qui vocatur à Deo tanquam
 Aäron (*vide super hoc dicenda n. 50.*) In matrimonio autem

sacerdos assistens debet inquirere in impedimenta, cùm ad hoc constituatur ab Ecclesia. In aliis verò sacramentis, quidquid dicat *Antoine*, ea non sunt deneganda eis qui catholicè vivunt, nisi constet de indignitate petentis. Ita *Suar. p. 3. d. 18. sect. 2. Lugo d. 8. n. 217. Esc. l. 8. n. 340. Pal. tr. 18. d. un. p. 14. n. 6. cum Soto, Bon. d. 1. q. 6. p. 4. in fin. Elbel t, 3. p. 11. n. 56. Croix l. 6. p. 1. n. 157. cum Henr. et Dic.* Ratio, quia ad hæc alia sacramenta omnes fideles jus habent, et ministri non sunt iudices, sed dispensatores; unde in eis non habent jus inquirendi, sed tantùm debitum dispensandi omnibus qui petunt, modò isti non sint positivè indigni, juxta præceptum prædictum: *Nolite dare Sanctum canibus*: ergò tantùm indignis prohibentur ministrari sacramenta. Ultraquam quòd *quisque naturaliter præsumitur bonus*, ut dicitur in *c. Dudum, de præsum. nisi malus certò probetur.*

44. — Dicendum II. sacramentum negandum esse indigno, etiam publicè petenti, ut omnes communiter cum *S. Th. l. c. Suar. et Croix n. 138.* docent, semper ac peccator est publicus, cùm crimen sit notorium, vel jure, quando scilicet quis de eo juridicè convictus est: vel facto, cùm scilicet commissum est in loco publico: vel famâ, nempe cùm ex sufficientibus indiciis crimen pervenit ad multos. Et hoc etiamsi aliquibus ex præsentibus crimen sit occultum. *Croix l. 6. p. 1. n. 159.* Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus, ut *Suar. Tamb. Croix. n. 143. cum communi.* Secùs tamen, si sit occultus, et publicè petat, ut dicemus infra *v. Dicendum III. n. 30. Dixi si publicè petat*; nam si indignus occultè petat, etiamsi ejus crimen sit occultum, sacramentum est denegandum, ut *Salm. tr. 1. c. 7. p. 9. n. 73. et alii omnes.* Et idem dicendum, si crimen adstantibus jam notum sit. *Suar. Dic. Arriag. Croix n. 159.*

45. — Sed hic plura occurrunt dubia. Dubium 1. An sit negandum sacramentum peccatori, cujus peccatum non sit simpliciter publicum, sed notum sit plerisque ex præsentibus, non autem omnibus? Adsunt tres sententiæ:

Prima cum Conink affirmat, quia respectivè ad hoc peccatum videtur esse publicum.

Secunda cum Suar. et Bon. probabiliùs negat, quia petens adhuc possidet famam respectivè ad omnes, qui ejus crimen ignorant.

Tertia cum Diana, et Croix l. 6. p. 1. n. 159. dicit negandum, si ex præsentibus tantum unus, vel alter vir probus ignoret, qui putatur non evulgaturus; et hæc est satis probabilis, juxta dicta *l. 3. tr. 6. n. 973.*

46. — Dubium 2. An negandum sacramentum peccatori in eo loco, ubi suum crimen non est publicum, si publicum sit in alio loco?

Prima sententia affirmat, quam tenet *Suarez p. 3. dist. 27. sess. 3. concl. 3. ac Caj. Bon. Pal. Tamb. etc. cum Croix l. 6. p. 1. n. 140.* Ratio, quia ille jam amisit jus ad famam, cum in uno loco sit infamatus, juxta dicta *lib. 4. n. 974.* Excipiunt tamen *DD. cit. apud Croix d. lib.* si peccator prudenter præsumatur emendatus.

Secunda sententia verò, quam amplector, negat; et hanc tenent *Cab. tom. 1. l. 3. c. 7. n. 3. ac Sot. Vasq. etc. Croix l. c.* Ratio, quia ex una parte, ministrando illi sacramentum non adest scandalum aliorum, juxta quæ dicemus *n. 48.* Ex alia, negando sacramentum, eadem quidem inconvenientia et damna nascerentur, propter quæ vitanda illicitum est ministro negare sacramentum peccatori occulto, ut dicemus *eod. n. 48.* Secus verò dicendum, si notitia illius criminis facile est ibi perventura.

47. — Dub. 3. Quid requiratur ut publico peccatori Eucharistia possit ministrari? *Laym. Nav. etc.* requirunt, præter confessionem, aliquod tempus bonæ conversationis ad tollendum scandalum. *Possev. et Jo. Sanch.* dicunt sufficere confessionem coram pluribus (modò, addit *Bern.* pœnitentia brevi sit publicè manifestanda). Et rectè *Croix l. 6. p. 1. num. 141.* adhæret huic sententiæ, quando peccator non habet proximam peccandi occasionem: quia qui publicè confessus est, publicè censetur emendatus: secus, si adesset occasio, et ille eam non deseruerit. Qui autem occultè petit, sufficit occultè egisse pœnitentiam. *Croix. ib. in fine cum Suar. et Tamb.* Sed hic maximè advertendum id quod habetur in *Rituale Rom. de Euch.* ubi: *Arcendi autem sunt (à communione) publicè indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames; ut meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemj, et alij ejus generis publici peccatores: nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico*

scandalo prius satisfecerint. Occultos verò peccatores, si occultè petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publicè petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat.

48. — Dub. 4. Quid agendum in dubio de crimine vel de pœnitentia? Distinguendum; si crimen est certum, et pœnitentia dubia, sacramentum certè est denegandum, donec constet de pœnitentia, quia possidet infamia. Et hoc dicendum docent *Suar. Arr. Spor. etc. cum Croix l. 6. p. 1. num. 142.* etiamsi habeatur publica suspicio de crimine, modò suspicio sit tam vehemens, ut æquivalet morali certitudini; secùs, si talis sit, ut probabili ratione deponi possit, ut dicunt *AA. citati.* Si autem dubitatur de crimine, non potest sacramentum negari. *Croix ib.* Intellige tamen juxtà dicta suprà *num. 43.* sub initio.

49. Dub. 5. An minister possit dare sacramentum indigno ob metum mortis?

Prima sententia affirmat, modò sacramentum non petatur in odium fidei, vel in contemptum religionis; et hanc tenent *Bon. de sacr. d. 1. q. 6. p. 4. n. 14. Sporer t. 3. p. 28. n. 188. et Croix l. 6. p. 1. n. 158. cum Escob. Gobat. Dic. et aliis;* ab his laudatur etiam *Suar. 3. p. d. 67. sect. 1. in fine,* sed ibi præfatus auctor nimis ambiguè loquitur et se remittit ad sectionesq. in quibus nullum verbum adjicit de hac sententia. Ratio hujus sententiæ est, quia (ut dicunt) si infamia peccatoris publicè petentis sacramentum talem ministrationem excusat, et irreverentiam sacramenti reparat (ut mox dicemus), cur mors, vel infamia subeunda à ministro eum non excusare debet?

Hæc sententia olim mihi probabilis visa fuit; sed meliùs re perpensâ oppositum nunc tenco cum *secunda sententia*, quam tumentur *P. Conc. t. 8. p. 100. num. 11. et Ledesma, ac alii apud Croix l. c.* differt enim ratio non negandi sacramentum peccatori occulto, et ratio vitandi proprium damnum. Nequit equidem sacerdos publicè denegare communionem peccatori occulto, sed cur? quia, ut rectè dicit ipse *Croix n. 144. et alii, prout Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 3. sect. 5. concl. 3. et Antoine de sacr. c. 2. q. 12.* Christus eo casu videtur cedere juri suo, et permittere suæ reverentiæ negationem, non præcipuè ut fama ipsi servetur, ut dicit *D. Th. 3. p. q. 80. art.*

6. ad. 2. et Lugo d. 8. n. 173. sed potissimum (ut probant præfati AA.) propter gravia incommoda, quæ inde sequerentur, nempe scandala aliorum, quibus si sacerdos posset ob crimen occultum publicè communionem negare, fortè etiam boni deterrerentur à susceptione communionis, timentes ne propter odium, vel imprudentiam à sacerdote ejicerentur, etc. Hæc autem inconvenientia et scandala non certè interveniunt in ministro, qui metu cogeretur ad ministrandum sacramentum indigno: imò ædificationi esset populo, si, ad reverentiam sacramento servandam, periculo mortis se exponeret.

50. — Dicendum III. Peccatori occulto publicè petenti non est negandum sacramentum; ita omnes cum *S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ex c. Placuit, causa 6. quæst. 2. et cap. Si sacerdos, de offic. jud. ord.* ubi *Eugenius* Papa id confirmat exemplo Christi, qui Judæ communionem porrexit. Ratio, quia tunc censetur Christus cedere juri suo, ne peccator famam perderat, cui adhuc jus retinet; et hoc ad evitanda gravissima incommoda, quæ aliàs evenirent, ut mox suprâ diximus. E contrario nullo modo ministrandum sacramentum peccatori occulto, occultè petenti, ut *S. Th. 5. p. q. 81. art. 6. ad 4. Salm. tr. 1. c. 7. p. 9. n. 75.* Excepto casu, quo crimen cognitum fuisset ex confessione; tunc enim nec etiam licet ministro peccatorem monere, ut omninò dicendum cum *Croix l. c. n. 143. et Gob.*

51. — Sed hic quæritur 1. An confessarius possit sacramentum negare ob crimen auditum in confessione, sub prætextu aliarum causarum? Affirmant *Vasq. Suar. Pal. et Dic. apud Croix d. n. 143.* Sed veriùs negandum cum *Sanch. de matr. l. 3. d. 56. et Laym. Val. Dian. Escob. et aliis cum Croix ib.* Quia tunc peccator jam satis adverteret ex confessione negari sacramentum, et ideò sigillum læderetur, et confessio fieret odiosa, ut idem *Palaeus* postea concedit. Ultraquam quòd ex decreto *Innocentii XI.* hodie certum est nullo modo posse confessarium uti notiatià confessionis in gravamen pœnitentis. *Vide dicenda de pœnit. n. 658.* Rectèque addit *Croix cum Arriaga*, quòd si confessarius extra confessionem aliunde notiatiã habuerit, nisi notiatiã sit moraliter certa, non potest sacramentum negare.

52. — Quæres 2. Utrùm denegandum sacramentum ordinis peccatori occulto publicè petenti? Si petens sit indignus ex

irregularitate, aut simili, omninò esse rejiciendum nemo dubitat: si verò sit indignus tantùm, quia est in peccato mortali, dubitat *Croix lib. 6. p. 1. n. 146. cum Henr.* adduntque *Lugo, et alii*, non posse rejici, si jus ipse prætendat ratione beneficii, seu dignitatis obtentæ. Sed omninò veriùs puto dicendum cum *Viva de sacr. q. 1. art. 4. n. 5.* quòd indignus etiam occultus ab ordinibus omninò est arcendus: et idem clarè docet etiam *S. Th. Suppl. 3. p. q. 36. art. 4. ad 5.* ubi dicit, non sufficere, quòd prælatus nesciat ordinandum esse in peccato: *Sed etiam exigitur ampliùs, ut secundùm mensuram ordinis diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum.* Et in respons. ad 1. illud memorabile asserit: *Melius esset habère paucos ministros bonos, quàm multos malos.* Ratio certa est, quia qui se ingerit in munera publica, ad quæ non est idoneus, repelli debet etiam cum infamia, ob bonum publicum privato præferendum. Et quòd clericus indignus, quamvis ob crimen occultum, possit et debeat repelli, patet ex *Trid.* ubi in *sess. 14. c. 1. de Ref.* dicitur, quòd Episcopus potest prohibère clerico, ne ascendat ad ultiores ordines: et clericus tenetur ei obedire, etiamsi ascensus à suo prælato *ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus.* Et additur, quòd *nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia se promovèri faciendo, ei suffragetur.* Ac maximè notandum, quòd Episcopus non tenetur eo casu manifestare causam cur repellat ab ordinatione, juxta declarationes S. C. concilii editas die 21. Martii ann. 1643. et die 21 April. 1668, quas per extensum affert *Sum. Pont. Bened. XIV. in lib. de Syn. l. 7. c. 71. n. 4.* Quòd autem Episcopus non solùm possit, sed etiam debeat repellere indignos, quamvis occultos, patens suadet ratio ex eod. *Trid. sess. 23. de Ref. c. 5. et 7.* ubi signanter præcipitur, ut Episcopus ordinans *mores diligenter investiget, et examinet.* Ad quid igitur debet prælatus mores clericorum investigare et examinare, nisi ut repellat quos noverit indignos, ex illo *Apost. 1. ad Timoth. c. 5. v. 22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Ubi inquit *S. Leo epist. 1. ad Afr. Quid est citò manus imponere, nisi ante experientiam disciplinæ?* Tantò magis, quia in ordinibus suscipiendis multi possent esse defectus, ex quibus sine infamia pctentes rejici possunt,

nempe ætatis , tituli , subjectionis , etc. ut benè notat *Croix d. n. 146.*

53. — Quæres hic 5. An possit absolvi ordinandus , qui habitum contraxit lasciviæ , et statim post pœnitentiam , sine experientia continentiæ , velit subdiaconatum suscipere ? De hac quæstione plenam instituimus dissertationem , quam reperies in fine hujus dubii ex n. 63.

54. — Quæritur 4. An parochus possit assistere matrimonio eorum , qui sunt publici peccatores ? Certum est tenèri parochum arcère à matrimonio eos qui nesciunt doctrinam christianam ; uti constat ex Rituali Rom. de matrim. sub initio , ubi præscribitur : *Parochus cognoscat, utrùm uterque* (sponsus) *sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios docere suos debeat.* Item S. C. habita coram *Innoc. XII.* an. 1697. ut refert *Sum. Pont. Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 29.* decrevit parochos non debere procedere ad proclamationes , nisi repererint contrahentes sufficienter instructos in rudimentis fidei ; et hæc decretum confirmatum fuit à *Clemente XI.* ut in suo *Bullario* ac à nostro Papa *Benedicto* in littera encycl. *vide in suo Bullario.* Utrùm autem , præter hanc ignorantiam , possit parochus publicis peccatoribus negare suam assistentiam ad matrimonium ? Si contrahentes publicè peterent , et essent indigni ratione peccati vel censuræ occultæ , rectè dicunt *Lugo dist. 8. sect. 13. et Croix n. 147. cum Arriaga, et communi* parochum tenèri assistere , juxta dicta n. 47. Dubium est , an assistere possit , et teneatur si contrahentes sint publicè indigni ? Affirmant *Laym. l. 5. tr. 20. p. 2. c. 4. n. 8. Croix l. c. et Lugo n. 205. cum Præpos.* modò tamen parochus priùs conatus fuerit disponere sponso ad dignè contrahendum. Ratio , ut dicunt , quia parochus non est minister matrimonii , sed tantùm testis , unde ex una parte , cùm sit publicus minister , non potest suam negare assistentiam ; et ex altera licitè potest assistere , cùm sua cooperatio sit merò materialis. Negant verò alii AA. qui sentiunt parochum esse verum ministrum matrimonii ; sed hæc ratio non subsistit ; nam , ut probabimus infrà de matrim. ex n. 897. ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes , et parochus non est nisi merus testis. Hoc tamen non obstante , minimè acquiescimus primæ sententiæ , et dicimus parochum non tenèri , nec posse

assistere tali matrimonio. Favetque nobis auctoritas Sum. Pont. *Rened. XIV. in libr. de Syn. l. 7. c. 29.* ubi sic docet : *Quamvis juxta communioem magisque receptam sententiam non sit (parochus) matrimonii minister, tamen in multis comparatur ministro, nec licitè sua præsentia firmare potest contractum, quem scit à contrahentibus sacrilegè iniri.* Ratio nostræ sententiæ est, tum quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum jam internè consummaverit, prout diximus *de charitate lib. 3. num. 47.* Ita nec parochus in nostro casu; tum quia parochus tenetur ex justitia, ex contractu inito cum communitate à qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo à peccatis. Nec valet dicere, quòd contrahentes habent jus, ut parochus eorum matrimonio assistat. Nam respondetur 1. quòd nemo potest habere jus ad actionem in qua committitur peccatum. Respondetur 2. quòd sponsi in tantum habent jus ad assistentiam parochi, in quantum hic tenetur ex officio incumbere eorum bono spirituali; unde, cum in hoc parochi assistentia non conferret ad bonum, sed ad ipsorum ruinam: idcirco neque sponsi jus habent, neque parochus tenetur assistere; imò debet suam assistentiam negare, cum præcipua ejus obligatio sit impedire peccata ovium suarum. Et quòd dicimus de parochis, dicendum est etiam de testibus; qui tamen satis excusarentur à peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex charitate, impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, putà ne ipsi perseverent in peccato. Præterea satis excusantur à culpa parochi, ut ait *Laym. d. n. 8.* qui assistunt matrimoniis hæreticorum in locis ubi est consuetudo, et mixti sunt hæretici cum catholicis, juxta mox dicenda in *q. seq.*

Certum est tamen, quòd parochi in matrimoniis contrahendis tenentur ex officio inquirere, an subsit aliquod impedimentum, et si probabiliter illud subesse judicent, tenentur suam assistentiam denegare, et nuptias vetare, donec saltem per Ordinarium decernatur, quid sit agendum. Ita *Sanch. de matr. l. 3. d. 14. n. 8. Croix l. 6. p. 1. n. 147. et Lugo d. 8. n. 203. cum Led. Vega, et aliis comm.* Item ait *Lugo l. c. cum Conin.* (contra alios) quòd si Ordinarius habet scientiam impe-

dimentī occulti, etiāsi non posset illud probare, tenetur matrimonium prohibere.

55. — Quæritur 5. An si unus sponsorum sit publicè indignus, possit alter matrimonium cum ipso inire, et consequenter sacramentum ei ministrare? Hic advertendum, quòd ex duplici capite potest talis indignitas provenire, vel ab excommunicatione, vel ab aliquo mortali peccato sponsi. Si sponsus sit indignus, quia est excommunicatus, vel erit vitandus, et tunc certè illicitum est cum eo contrahere, quia non licet cum ipso communicare in re sacra, quale est sacramentum; vel erit tantùm toleratus: et tunc probabilius est licère, ut docent *Sanch. de matr. l. 7. d. 9. n. 8. et Lugo d. 8. n. 225. et alii plures*, quos videre poteris infrà *de cens. l. 7. num. 159.*, quia concilium Constantiense indistinctè concessit fidelibus posse communicare cum excommunicatis toleratis.

Si autem sponsus sit indignus ob aliquod peccatum, hic magna occurrit difficultas, quia non licet ministro conferre sacramentum indigno. Sed *Busemb. (vide l. 3. n. 60.) Lugo n. 23. et Croix l. 6. p. 1. num. 147. cum Sanch. Perez, Aragon. Dicast. et communiore* dicunt licère cum eo contrahere, si alter sponsus sine gravi incommodo non possit à matrimonio recedere. Ratio (ut inquiunt) est, quia contrahentes, quamvis indirectè conficiant sacramentum, tamen directè contractum ineunt, qui de se non est res sacra; unde in hoc sacramento sponsi videntur magis habere conditionem privatorum contrahentium, qui tantùm respiciunt ad propriam utilitatem, quàm publicorum ministrorum, qui attendere debent, ut suscipientes sacramenta ob eorum indignitatem repellantur. Hanc rationem non quidem reprobo, sed fateor eam non omninò me convincere (1).

56. — Utrùm, justà accedente causà, licitum sit matrimonium contrahere cum hæreticis? Generaliter loquendo id vetitum est ab Ecclesia, ut patet ex conc. Chalcedonensi apud *Cubass. de conc. p. 221. ubi in can. 14. dicunt: Sed neque*

(1) « Unde puto, inquit *S. Alph. Hom. Ap. tr. 14. n. 6.* tantùm dici posse » quòd præfata administratio, ut à ministris ad id non consecratis, non esset » grave peccatum pro ipsis, ut *probabiliter tenent Gonet, Suar. Tourn. Habert, Juven. Natal. Alex. Conc. Salm. etc.* licèt opinio opposita, quòd sit » grave, mihi videtur *probabilior.* »

hæretico, vel pagano, vel judæo matrimonio conjungere, nisi utique persona, quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat. Verumtamen est valde probabile id quod dicunt *Busemb. l. c. n. 19. et Lugo d. 8. n. 225. Wig. tr. 16. ex 6. n. 77. Croix d. n. 147. et l. 2. n. 95. ac Sanch. de matr. l. 7. d. 72. num. 6. cum Nav. et Azor.,* nempe quòd in locis, ubi hæretici vivunt mixti cum catholicis, ut in Germania, Polonia, etc. ex consuetudine recepta et tolerata licitum est matrimonia inire cum hæreticis. Modò 1. catholico contrahenti permittatur liberè permanère in fide. 2. Absit periculum perversionis. 3. Detur libertas educandi prolem catholicè. 4. Si facilè non sit invenire parem inter catholicos. Quorum si unum desit, non licebit, ut rectè ait *Croix d. n. 95.* Cæterùm id benè permittitur, servatis his conditionibus; quia hujusmodi conjugia fiunt instar aliorum contractuum civilium ad firmandas leges amicitiae, et ad tuendam communem pacem reipubl. Hinc refert *Lugo l. c.* pluries fuisse dispensatum ob justas causas matrimonia inire cum hæreticis, ut patère ait ex conc. *Laodicensi, ac Agathensi, et signanter testantur, Clementem VIII. anno 1604. concessisse dispensationem duci Barensi, ut duceret Catharinam suam consanguineam sororem Henrici IV. regis Galliarum, cùm adhuc esset hæretica. Et hic sedulò notandum id quod advertit Sum. P. Benedictus XIV. de Syn. l. 7. c. 6. ex Veracruz, quòd de Pontificis potestate, postquam hic dispensat, dubitare, instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare, quòd non satis Ecclesiae suæ providisset.*

Docet autem *Lugo n. 31.* quòd ad tale matrimonium opus est dispensatione, saltem in locis ubi est consuetudo in hujusmodi dubiis recurrendi ad Papam; quia Ecclesia meritò potuit reservare judicium, an sufficiat causa, vel an præponderet periculum mali. Probabiliter tamen dicit *n. 17. cum aliis apud Croix l. 2. n. 97. (contra Sanch. et Pont.)* non esse opus dispensatione, quando pars hæretica seriò promittat conversionem, ut vidimus suprà jam excipi in conc. Chalcedon. Imò putat *Hurtad. apud Croix* sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole, vel aliunde. Quando autem licitum est catholico contrahere cum hæretico, tantò magis licebit parochò assistere ad tale conjugium.

57. — Hic pro complemento hujus materiæ remanent aliæ quæstiones discutiendæ. Quæritur 6. An in conferendis sacramentis liceat uti opinione probabili? Certum est, ut vidimus *lib. 1. n. 48.* genericè loquendo, id illicitum esse ex prop. 1. damnata ab *Innoc. XI.* Excipitur tamen 1. si adsit necessitas ex parte proximi, ut est commune apud DD. *juxta dicenda n. 480.* loquendo de absolute impertienda moribundo, et idem dicitur de baptismo *n. 403. vers. III.* Excipitur 2. si habeatur probabilis opinio de jurisdictione confessarii, vel de validitate matrimonii, *juxta dicta l. 1. n. 50. et dicenda infra de matrim. n. 1115.* Et hoc dicunt *Sanch. Carden. Sporer, Dic. Gob. et alii apud Mazz. t. 3. p. 53. v. Fit, et Croix l. 6. p. 1. n. 117.* esse in praxi tutum et moraliter certum. Excipitur 3. quando administratio sacramenti fieret obnoxia nimis scrupulis, aut difficultatibus, ut diximus *l. 1. n. 30. cum Carden. Croix ex D. Th., et idem dicit Mazz. cum Illsung., et pluribus aliis;* aliter non posset baptizari infans, quem parentes assererent non esse baptizatum, cum tale testimonium non sit nisi tantum probabile: item neque absolvi possent, qui putantur dispositi, de quorum dispositione non alia, quam prudens probabilitas haberi potest, unde rectè notat *Mazzot. cum Carden.* quòd si talis dispositio non sufficeret, vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, quia vix unquam haberi potest certitudo de dispositione pœnitentis (1). An autem liceat suscipere sacramenta cum sola opinione probabili? *Vide dicta l. 1. n. 51.*

(1) Quæ hic ex *l. 1. n. 30.* laudantur, in hac Edit. non inveniuntur, existant verò in tractatu de conscientia Edit. rom. 1757. cujus ordo planè diversus est à præsentì. Ibidem citatur *La Croix* dicens: « Quamvis agatur de valore sacramenti neque sit casus absolutæ necessitatis neque etiam ecclesia possit supplere aut dispensare, nihilominus licitum est operari secundum sententiam probabilem, si alioquin administratio aut susceptio sacramentorum fieret obnoxia nimis scrupulis aut difficultatibus. » Hæc doctrina admitti nequit, si per istam sententiam probabilem de dispositione pœnitentis talis intelligatur probabilitas, ut ejus contraria etiam sit probabilis: tali enim in casu inter duas æquales vel fere æquales probabilitates soli dubio est locus et dubiè dispositi ob periculum sacramenti frustrandi neque absolute absolvi possunt neque conditionaliter præter casum necessitatis in quo certitudo dispositionis pœnitentis humano modo obtineri nequit, u' in moribundis, semifatuis, pueris etc. de quorum usu rationis dubitatur. Quòd si verò per sententiam istam probabilem intelligatur talis probabilitas ut ejus contraria sit tantum tenuiter aut dubiè probabilis (quæ utpote tenuis probabilitas prudenter contemnitur) vera est doctrina aptaque cavendis scrupulis confessariorum, qui certitudinem de dispositione pœnitentis pos-

58. — Quæritur 7. An et quando minister teneatur ministrare sacramenta? Commune est, ut dicunt *Holz. t. 2. p. 64. num. 286. Salm. tr. 4. de Euch. c. 9. p. 3. n. 28. et Croix l. 6. p. 1. n. 133. cum Suar. Lugo, Dic. et Aversa, contra Sylv. etc.* quòd pastores tenentur ex justitia, ratione stipendii quòd exigunt, sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem. Pastores autem dicuntur superiores, respectu religiosorum: et respectu sæcularium, Episcopi, et parochi, vel qui curam subsidiariam cum obligatione habent; ita *Croix ibid. cum Gob.* Et proinde peccat pastor, qui morosum, vel difficilem subditis se reddit, ut *Gob. cum Croix n. 134. Salm. ibid. n. 50. Conc. t. 8. p. 98. num. 3.* Ideòque rectè monuit *S. Carolus Borromæus Act. p. 4. Quàcunque verò diei vel noctis horà ad sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponet; imò populum præmonèbit, ut cum opus est parochiali administratione, liberè se accersat, nullà habità, neque temporis, neque loci distantis, etc. ratione.* Excusabitur tamen à mortali, si semel, vel iterùm extra necessitatem sacramenta denegat; quia non videtur tam strictè se obligasse. *Croix cum Suar. et Arriag. ibid. item Suar. ap. Bus. infra n. 623. cum Aversa ibid.* qui excipit, si subditus peteret ex urgente occasione, v. gr. festi solemnìs, etc.

Ministri autem, qui non sunt pastores, in extrema necessitate tenentur ex charitate, etiam cum periculo vitæ, proximo sacramenta ministrare, ut *Conc. p. 99. n. 7. et Croix l. 2. num. 174. et alii omnes.* An verò teneantur in gravi necessitate proximi? *Vide dicta de charitate l. 3. n. 27. v. Hinc.* An parochus tempore pestis teneatur ministrare Eucharistiam? *Vide in hoc. l. 6. n. 255.* Quoties teneatur eam mini-

sibili majorem desiderant. Hoc in sensu ea, quæ in hac tertia exceptione *S. Alphonsus* dicit, accipienda esse patet ex hujus lib. n. 432 et 461, ubi *S. auctor* ad absolvendum pœnitentem requirit dispositionis certitudinem moralem, non maximam quidem adversùs quam sola militat possibilitas contrarii, sed moralem minimam, adversùs quam præter possibilitatem contrarii, militant quoque momenta, sed quæ quippe levia rationabiliter contemnuntur. Potest itaque certitudo ista moralis requisita ad absolvendum à mente *S. Alphonsi* sic enuntiarì: probabilitas de dispositione absque alia probabilitate de indispositione, seu: probabilitas de dispositione absque prudenti formidine de contrario, seu: probabilitas notabiliter major de dispositione, ut contrarium duutaxat tenuiter probabile esse queat.

Edit,

strare? *Vide n. 253. et 254. Quoties ministrare poenitentiam? Vide n. 623.*

59. — Quæstio 8. An liceat unquam simulare administrationem sacramenti? Communiter DD. distinguunt simulationem in formalem, et materialem: *formalis est, quâ directè intenditur alterius deceptio; materialis est, quâ alterius deceptio tantùm permittitur.* Damnata autem est ab *Innoc. XI.* propos. 29. quæ dicebat: *Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi.* Et meritò quidem, cum talis simulatio sacramentò gravem injuriam irroget, et Deo illudat. Sed quæritur, an in hac propos. fuerit damnata sola simulatio formalis, an verò etiam materialis? Alii ut *Viva in dict. prop. n. 2. et Conc. tom. 8. p. 101. num. 12.* dicunt fuisse ibi indefinitè damnatam simulationem tam formalem quàm materialem, tum quia propositio indefinita æquivalet universali; tum quia (ut ajunt) nemo unquam catholicorum dixit esse licitam simulationem formalem, sed *Sancius, et alii*, quorum opinio damnata fuit (ut fert *Viva*) tantùm propugnarunt licitam esse materialem. Alii tamen, ut *Carden. in dict. prop. 29. et Vidal in eadem prop.* dicunt damnatam fuisse simulationem formalem, et etiam materialem in re vitiosa; non verò materialem in re indifferenti. Quæstio hæc inanis mihi videtur, quia tandem omnes in idem coïncidunt; nam, sive loquamur de simulatione formali, sive materiali in re vitiosa, aut indifferenti, omnes conveniunt, numquam esse licitum 1. Proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum. 2. Hostiam non consecratam pro consecrata præbere. 3. Celebrare missam non proferendo verba consecrationis. Ita *Palaut tr. 2. d. 1. p. 13. Croix l. 6. p. 1. n. 154. Card. Milante, Viva, et Vidal in d. prop. 29.*

Præterea, quamvis præfata propositio non loquatur de quocumque metu; tamen commune etiam est apud DD. non licere administrationem sacramenti simulare, etiam ob metum mortis. *Concina l. c. Croix n. 155. Carden. n. 37, Viva n. 15. et Milante l. c.*

E converso omnes dicunt licitum esse confessario, super indispositum aliquid orare, et dare crucem, ne ejus indispositio prodatur; quamvis alii reputent eum absolutionem recipere; quia (ut ait *Carden.*) ex una parte tenetur confessarius

non proderè indignitatem pœnitentis in confessione cognitam , juxta præscriptum in *c. Omnis , de pœnit. et remis.* ubi dicitur : *Caveat autem (confessarius) omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquem prodat peccatorem.* Ex altera parte hæc non est propriè simulatio administrationis sacramenti , quia verba illa respectu sacramenti indifferenter se habent. Aliâ tamen ratione utuntur *Viva , et Milante*, dicentes hoc esse licitum , quia tunc confessarius licitè occultat veritatem , quam non tenetur nec potest manifestare. Rectè verò advertit *Cardenas n. 54.* quòd tunc confessarius non debet intendere deceptionem adstantium , sed tantùm occultationem veritatis ; nam aliàs mendacii reatum non effugeret, cùm ex *D. Th. 2. 2. q. 3. a. 1.* mendacium non solùm committatur verbis , sed etiam facto. An autem liceat super indispositum dicere : *Ego te non absolvo* , submissè dicendo verbum *non ?* Affirmat *Cardenas in dict. prop. 29. n. 53.* sed negant *Roncaglia c. 4. q. 6. r. 2. Milante, et Viva in ead. prop. n. 11.* Ratio , quia semper ac verbum *non* percipi nequit à circumstantibus , hæc esset quidem restrictio purè mentalis , quæ nunquam est licita , juxta dicta *l. 4. n. 168.* Sed ratio hæc non convincit , quia in tantum occultatio hæc non est licita in sermone , in quantum loquens tenetur (ne decipiat proximum cum quo loquitur) taliter proferre verba , ut audiens possit veritatem percipere , et ideò in sermone restrictio purè mentalis est vetita ; at in prolatione formæ sacramenti non tenetur minister ita proferre verba , ut sacramentum suscipiens illa audiat. Quapropter non videtur obstare , quòd talis occultatio esset restrictio mentalis ; et hinc prima opinio non videtur improbanda.

60. — Ex eadem ratione irreverentiæ , non solùm qui administrando , sed etiam qui suscipiendo sacramentum simularet , non excusaretur à mortali , ut dicit *Croix ib. n. 157. cum Carden. et Gorm.* Sed hoc currit quando adest vera simulatio sacramenti. Hinc insertur I. cum *Carden. in d. prop. 29. nu. 73. et Croix nu. 158. cum Dicast. Gormaz, etc.* quòd si quis nolens confitèri ingrediatur confessionale , et genuflexus alloquatur confessarium de aliquo negotio , non simulat sacramentum , nec peccat peccato mendacii , quia cùm hoc sit valde usitatum , quòd aliqui accedant ad confessarium causâ petendi cleëmodynam , aut consulendi circa scrupulum.

pulos, infertur actionem illam esse indifferentem. Secùs ait *Cardenas n. 71.* si quis accederet cum intentione, ut circumstantes credant ipsum confitèri, tunc enim dicit peccare peccato mendacii, et sacrilegii. At quoad peccatum sacrilegii, nequeo huic doctrinæ acquiescere, cùm enim ibi desit materia, et forma, nescio intelligere, ubi sit simulatio sacramenti.

61.— Infertur II. quòd in casu, quo aliquis non poterit se disponere ad communionem, posset aliquando convenire cum parochò, ad infamiam, vel scandalum vitandum, ut hic dicat tantùm super ipso verba: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat, etc.*, et non præbeat hostiam, ut admittit *Croix l. 6. part. 1. n. 160. cum Moya, Leand. Henr. Dian. etc.*, quia tunc reverà non simulatur sacramentum. Secùs dicendum, si parochus porrigat ex conventionem hostiam non consecratam, ut docent *S. Th. Sot. Suar. Vasq. et alii cum Croix n. 159. communiter, contra alios.* Ratio, quia tunc, licèt nec etiam simuletur sacramentum, quod ibi non est, tamen exponitur panis adorationi adstantium, et ipsius suscipientis, qui sicut peccaret externè adorando idolum, etiam ex metu mortis; sic quoque semper peccaret, externè adorando hostiam non consecratam; et peccaret graviùs, quàm si indignè communicaret, ut patet ex *cap. 7. De homine, de cel. miss.* ubi dicitur, graviùs peccare sacerdotem, qui in missa non consecraret, quàm qui sacrilegè consecraret et communicaret.

62.— Infertur III. non esse illicitum ob gravem metum simulare celebrationem matrimonii, ut cum communi sententia docent *Sanch. de matr. l. 1. d. 11. n. 2. Palaus tr. 5. d. 2. p. 12. P. Conc. t. 8. p. 102. n. 15.* qui etiam communem asserit, *Cardenas n. 79. Viva n. 12. Croix n. 162. cum Henr. Conin. Arriaga, Gormaz, etc. contra P. Milante.* Ratio, quia tunc deest materia et forma sacramenti, cùm desit voluntarius consensus; sacramentum enim non conficitur, nisi super vero contractu, qui tunc non adest, cùm invalidetur ex lege Ecclesiæ ratione coactionis. Et in hoc casu is qui simularet, excusaretur etiam à mendacio, si adstantes possent ex circumstantiis advertere cum nolle contrahere; vel casu quo id non possent percipere, contrahens, dicendo *volo*, intelligeret velle in quantum in se est, ut notat *Scotus in 4. dist. 29.* Et ex eadem ratione dicunt *Carden. n. 82. et Sanch. Hurt. Dic. et Gob. apud Croix. l. c.* non peccare peccato sacrilegii, qui

contrahit matrimonium, sciens se habere impedimentum dirimens.

DISSERTATIO

. De clerico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari sacris.

63. — **Q**UÆSTIO, quam infrà exponam, nuper Neapoli magnoperè inter sapientes fuit agitata. De hac ipse in libro mearum adnotationum in *Busebaum* nimis concisè, et quasi obiter in quodam loco tractavi. Sed inde, cùm seduliùs animadverterem, valde utile ac necessarium esse, ut ejus vera decisio confessariis innotesceret, quo ipsi studeant eam tenere sententiam, quam bono Ecclesiæ magis expedire judicaverint; idcirco operæ pretium esse duxi diligenter ac funditùs rem ad trutinam revocare.

Quæstio nimirum hæc est, utrùm sit neganda absolutio clerico habituato in peccatis lasciviæ occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere sine præcedenti experimento continentia?

Quidam Neotericus, et doctus auctor libri Romæ editi, cui titulus, *Istruzione per li novelli confessori*, de hoc puncto agens (*Part. 2. c. 3. n. 63.*) sic scripsit: (1) *Oggi non v'è alcuna Legge diretta, nè divina, nè umana, che vieti d'ordinarsi, precisamente per essere alcuno abituato nella lasci-*

(1) *Id est: « Hodie nulla est lex positiva, sive divina, sive humana quæ quempiam ob id solùm ordinari vetet, quòd in vitio turpi aliove peccato occulto habituatus sit; nisi ex homicidio voluntario aut alià culpà irregularitatem incurrisset... Quum verò continentia lege ecclesiasticà, aut voto implicito sacris ordinibus annexa sit, dubium oriri potest, utrùm legem naturalem non offendat ordinandus, qui, contra dictamen veræ prudentiæ, onus assumere velit cui ferendo impar perhibetur, etc. Nobis quidem videtur, attentà solà lege naturali, hic distinctione opus esse. Si enim ordinandus sincerè et coram Deo credat se castè vivere posse, pravosque habitus vincere et omnia exequi quæ tam proprio quàm discreti confessarii judicio ad emendationem necessaria atque opportuna videbuntur, nostrà sententià ad ordines promovèri valet nec ab his recipiendis à confessario arceri potest... Addimus eum, si cæteroquin, ut supponimus, sacramento penitentia indignus non sit, nec sacramento ordinis, strictè loquendo, indignum dici posse, cùm, ut dignè recipiatur, non requirat nisi statum gratiæ, nec alicui per se peccandi sit occasio, sed novam et specialem animæ conferat gratiam.... sed et dicimus illum, qui sacros ordines recipere cupit, non credens, ut dictum est, obstante pravo habitu, se continentiam servaturum, non posse promovèri; sique à mente non desistat, ei tamquam indigno et indisposito absolutionem deuegandam esse. »*

Edit.

via, o in altro occulto peccato, se non che per l'omicidio volontario, o per altra colpa avesse contratto l'irregolarità... Ma bensì può dubitarsi per conto della legge naturale, in quantochè essendo per legge ecclesiastica, o pel voto implicito annessa la continenza à sacri ordini, l'ordinando contro il dettame della vera prudenza vuole assumere un peso che non può portare ec. A noi pare che stando nella legge naturale sola, si debba qui procedere con distinzione; imperocchè se l'ordinando creda sinceramente, ed in buona coscienza di poter vivere casto, e poter disfarsi da' mali abiti, e di far tutto ciò che al giudizio suo, e del discreto confessore si stima necessario ed opportuno per la emendazione; egli si può promuovere, e'l confessore non glielo può interdire. Deinde addit (n. 66.) Ed inoltre aggiungiamo, che non essendo questi (come supponiamo) indisposto per lo sacramento della penitenza, neppur si dee dire, precisamente parlando, che lo sia pel sacramento dell'ordine, il quale per riceversi degnamente non richiede se non lo stato di grazia; e per se stesso non è ad alcuno occasione di peccato, anzi da all'anima nuova e distinta grazia. Subaddit tamen (n. 67.): Diciamo che uno che voglia promuoversi à sacri ordini, e non creda (siccom'è detto) sinceramente di poter osservare in quello stato la castità per lo mal'abito della lascivia, non possa promuoversi; ed insistendo di farlo, gli si debba come ad indegno ed indisposto negar l'assoluzione. Ita præfatus Auctor.

Alii verò è converso videntur nimis rigidè locuti fuisse, nam *Natalis Alexander in sua Theol. dogm. et mor. t. 1. l. 2. de sacr. ord. c. 3. a. 14. reg. 19.* hanc regulam statuit: *Nemo ad sacros ordines promovendus, nisi vel qui innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturnâ pœnitentiâ diluerit.* Idem tenet *Jueninus in tr. de sacr. diss. 8. q. 7. c. 2.* Idem *Habert de sacr. ord. p. 3. c. 3.* qui magnam et longam curam requirit, dicens nec unum sufficere annum ad hujusmodi probationem. Idem *Van-Espen t. 4. p. 2. c. 2. §. 8.* Sentit *Cont. Tourn. de 6. dec. præc. art. 10. reg. 3. v. Quoto,* clericum habituatam probandum saltem per 20 aut 18 menses. Id eruit ex *D. Gregorio l. 4. aliàs 5. epist. 26. ad Januar.,* ubi: *Ne unquam ii qui ordinati sunt, pereant, provideri debet quales ordinentur, ut priùs aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit.* Adducitque *Natal. Alex n. 60.*

dicentem quòd confessarii debent clericis in luxuria habitutatis prohibère tam ascendere ad altiores gradus, quàm ministrare in susceptis.

64. — Sed inter harum opinionum varietatem operam adhibui, ut à quamplurimis neapolitanæ urbis theologis res plenè examinaretur; et post longas hinc inde discussiones, in hanc sententiam sive conclusionem, duas partes habentem, convenimus, mediam tenentes viam, nempe I. quòd hodierna et antiqua Ecclesiæ lex, semper constans, obstringit tam Episcopos, quàm confessarios, et promovendos, ut cùm aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem, sive ad subdiaconatum, sive ad diaconatum, aut presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincerè sit conversus ad Dominum, et idèò possit statim absolvi; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiæ violat in re gravi. II. Quòd potest tamen dari casus, quo Deus donet pœnitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quæ reddat eum adèò probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere; et idèò (si idipsum confessario ex validis conjecturis constet) beneficium absolutionis suscipere, sine eo quòd temporis experientiã priùs comprobetur.

65. — Prima pars probatur 1. ex illo apostoli (1. ad Tim. 3.) *Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum... non neophytum, etc.* Illud irreprehensibilem explicat D. Greg., dicens: *Vitium in Episcopo est non quàm optimum esse.* Illud autem non neophytum commentat D. Th., et inquit: *Hoc quod dicit, ad eos pertinet, qui non solum ætate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione.* Quòd verò nomine Episcoporum intelligantur omnes sacerdotes, asserunt S. Ambr. S. Joan. Chrysost. et S. Th. Vide apud Corn. à Lap.

66. — Probatur 2. sacris canonibus. A quorum norma (dicit Sum. Pont. Bened. XIV. loquens de hac materia ad Episcopos, in Litt. encycl. Ubi primum), quæ omninò servari debet, ne patiamini vos abduci. Innoc. III. in c. A multis. Extra, de ætat. et qual. Ord. sic ait: *Erubescant impii, et intelligant iudicio Spiritus sancti, eos, qui in sacris ordinibus,*

*presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate. Et iterùm: Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis existat. Item habetur in ep. 1. Siricii Papæ c. 9. quòd subdiaconus ad diaconi gradum, si se, ipsâ primitus continentia præeunte, dignum probarit... accedat. Item S. Greg. l. 1. ep. 42. sic præscripsit: Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Idem sancitum fuit à synodo Trid. in sess. 23. c. 13. de Ref. ubi: Subdiaconi, et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus probati... qui sperant Deo auctore se continere posse. Et licèt verba, et in minoribus ordinibus probati, directè intelligantur de probatione externa, quam Episcopus exigere debet de probitate ordinandi, ut ego cum aliis censeo; nullo modo tamen negari potest, quòd concilium non tam requirit probitatem externam (quæ reapse sine interna non esset probitas, sed vera hypocrisis et deceptio), quàm principalius internam; at quoniam Ecclesia non iudicat de occultis, ideò illic requirit explicitè sive directè solam externam, sed eam postulat tamquam indicium probitatis internæ. Et hoc patet ex textu *D. Pauli* suprâ relato, ubi disertè distinxit apostolus probitatem tam externam, quàm internam, et utique utramque requisivit in sacerdotibus, verbis illis: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, etc.* Ecce necessitas probitatis internæ; deinde induxit necessitatem probationis externæ verbis quæ subdidit, nempe: *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Ideò *D. Thomas* hanc epistolam apostoli explicans, scribit: *Primò ergò ostendit quales debent esse Episcopi secundum se, secundò quantum ad alios* Et ideò conc. quoque Trid. in ead. sess. 23. c. 12. ait: *Illos tantùm promovendos ad sacros ordines, quorum probata vita senectus sit.* Quid autem sit hæc senectus probatæ vitæ, habetur in *Sapientia* (c. 4. v. 9.) *Ætas senectutis vita immaculata.* Et propter id concilium c. XI. sess. cit. ad finem majoris probationis bonæ vitæ, præscribit interstitia inter diversos ordinum gradus, dicens: *Ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat.* Atque hinc in Pontificali romano Episcopus ordinans, loquendo de sacerdotibus initiandis, dicit: *Ut cæ-**

lestis sapientia, probi mores, et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendent. Hinc Innoc. XII. in sua bulla Speculatores, edita anno 1694. loquens de interstitiis ordinandorum, sic præcipit: Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur; nec unquam heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum antistites veteres vitio, virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur. Sed ii tantum, juxta constitutas à majoribus leges, ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui diurnâ conversatione inter clericos fuerint comprobati. Et D. Hieronym. apud eumd. D. Th. l. c. inquit: Non solum Episcopi, et presbyteri, et diaconi debent magnoperè providere, ut cunctum populum, cui præsident, et sermone et conversatione præcedant, verum etiam inferiores gradus et omnes qui Domini oraculo deserviunt.

67. — Probatur 3. ratione et auctoritate DD. quia, ut quis ad sacri ordinis dignitatem ascendat, non sufficit simplex et actualis status gratiæ, sed requiritur etiam bonitas præcellens, et habitualis. Et idcirco pœnitens, qui è luto habituali libidinum mox emersit, quamvis conversus, quia talem pravis habitibus irretitus adhuc infirmus existit, is vix capax erit absolutionis, sed non ordinis sacri. Propterea quòd, si quis taliter affectus, et à sanie vitiorum nondum purgatus ad altaris fastigium ascendere audet, nisi prius sufficienti probetur experimento, iste prout temerarius etiam sacramentalis absolutionis manifestatur indignus. Unde S. Bernardus de Conv. ad cler. cap. 21. scripsit: *Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata.* Et hic notandum, quòd id quod dictum est de vitio luxuriæ, idem dicendum de quocumque alio, nimirum ebrietatis, avaritiæ, blasphemiarum, odii, etc. Quòd autem ad sacros ordines suscipiendos minimè sufficiat simplex gratia sanctificans, sed ultrà requiratur interior perfectio, constat ex consensu communi SS. patrum et doctorum, qui uno ore illam efflagitant. Et in primis S. Th. 2. 2. qu. 184. art. 6. loquens de exercitio sacrorum ordinum, ait: *Quamvis interior perfectio ad hoc requiratur, quòd aliquis dignè hujusmodi actus exercent. Et in ead. quæst. art. 8. dicit sacerdotem excellere religiosum quantum ad dignitatem, quia per*

sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris, ad quod requiritur (nota) major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status. Item q. 189. art. 1. ad 3. loquens pariter de probitate clericorum, et monachorum, dicit: *Ordinis sacri præexigunt sanctitatem, sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam; unde pondus ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis, sed pondus religionis desiccatur parietes, id est homines ab humore vitiorum.* Et idem prius dixit S. Joann. Chrysost. l. 2. de sacerdotibus. c. 3. *Multò magis integritas huic, quam illis necessaria.* Item S. Thom. in Suppl. qu. 36. a. 4. ad 3. ait: *Ad minus, (id est non solum ad minus, ut ibi explicat Glossa) hoc requiritur, quòd nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati: sed etiam amplius exigitur, ut secundum mensuram ordinis, vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.* Et confirmat testimonio S. Dionysii (in d. q. 36. art. 1.), qui scripsit: *In divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus et Deo simillimus.*

Magis autem urget id quod docet S. Thomas in Suppl. quæst. 35. art. 1. ad 3. ubi dicit: *Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.* Nec valet dicere, quòd hic S. Doctor requirat quidem bonitatem excellentem ad executionem ordinum, non autem ad susceptionem, eò quòd in ipsa susceptione gratia confertur suscipienti ad sacra ministeria dignè exercenda. Nam in eodem loco Angelicus expressè requirit meritum sanctitatis positivæ tam ad executionem, quam ad susceptionem ordinum. Ad hoc videndum observare oportet, quòd S. Doctor non aliud intendit probare in cit. art. 1. nisi quòd in sacramento ordinis certè conferatur gratia gratum faciens. Hinc sic sibi opponit in tertia objectione: *Nulla causa præsupponit effectum suum; sed in eo qui accedit ad ordines, præsupponitur gratia, per quam fit idoneus ad susceptionem ordinis* (Hoc autem præsupposito, mox videbimus, quod non quidem negetur, sed approbatur, et confirmatur à S. Doctore in suo responso). *Ergò talis gratia non confertur in ordinis collatione.* Hucusque objectio, deinde sic respondet:

Ad tertium dicendum, quòd ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur bonitas excellens. De hoc autem rationem reddit: Ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Hinc confirmans præsuppositum objectionis, ut diximus, id est quòd ad ordines suscipiendos requiritur utique gratia gratum faciens, sive meritum præcedens sanctitatis, sic infert: et idèd præexigitur (nota) gratia quæ sufficiat ad hoc quòd dignè connumerentur in plebe Christi. Demùm concludit: sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei. Quibus verbis intendit S. Th. probare, quòd gratia sacramenti non erit quidem inutilis, sed majora auxilia præstabit suscipienti, ut idoneum se reddat ad majora merita acquirenda: sed jam præsupponit et exprimit præexigi in suscipiente gratiam gratum facientem, quæ sufficiat ad dignum eum faciendum, ut connumeretur inter altaris ministros. Unde sicut non sufficit qualiscunque gratia ad executionem ordinum, ita neque ad susceptionem. Rectè enim ait Habert de ordine p. 3. c. 3. in fine, quòd pœnitentia pro infirmis est instituta, et idèd infirmis est conferenda; sed ordo, cùm non ad salutem propriam, sed aliorum institutus sit, sanis conferri debet. Idem confirmat Glossa in præfato textu, dicens: Licèt enim in illo, qui ascendit ad sacramentum ordinis, præsupponatur gratia gratum faciens, secundùm modum quo possit dignè ordinem suscipere; tamen non supponitur secundùm gradum illum, quo causatur ab ordine suscepto. Accedenti enim sufficit esse in gratia, sed jam eidem suscipienti ordinem augetur gratia illa. Adverte illa verba: Licèt præsupponatur gratia secundùm modum quo possit dignè ordinem suscipere. Ergò ad ordinem suscipiendum non sufficit sola gratia sanctificans, ut quidam hanc Glossam intellexit, sed requiritur talis gradus gratiæ et meriti, ut initiandus dignè possit ad illum ascendere. Et quamvis Glossator ibi subdat: accedenti enim sufficit esse in gratia; intelligit profectò non de simplici gratia sanctificante, sed de gratia explicata, secundùm modum, etc.

68. — Idem sentit Sotus in 4. Sent. dist. 25. q. 1. n. 3. ubi agens de sacram. ord. dicit sanctitatem positivam in ordinando esse necessariam de præcepto divino; en sua verba: Prima

conclusio, quamvis morum integritas non sit de essentia sacramenti; est tamen præcepto divino maximè necessaria... At verò quod articulo præsentis de idoneitate eorum, qui sacris sunt initiandi ordinibus, definitur, non est generalis illa dispositio, quæ in suscipiente quodcunque sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratia obicem inveniat. Est etiam illa quædam actualis præparatio, sed definitio ad modum habitus attinet (significat hic Sotus, quòd promovendus debet esse habitualiter bonus); enimverò quòd ad sanctitatem ordinis homo non solum gratiam suscipit, sed ad sublimiorem gradum conscendit, requiritur in eo morum honestas et virtutum claritas. Idem asserit Sanchez (conf. c. 1. d. 46. n. 1.): In promovendo ad ordines requiritur bonitas vitæ, quod non est intelligendum de generali bonitate, id est ut careat peccato mortali, hoc enim ad omnia sacramenta requiritur; quia per sacramentum (ordinis) homo ad sublimiorem gradum conscendit, requiritur in eo morum honestas, scilicet ut sit sobrius, castus, etc. Idem dicunt Salm. (de sacr. ord. tr. 8. c. 5. p. 2. n. 40.): Ad hoc ut aliquis ad ordines promoveatur, bonitas vitæ requiritur, non illa solum quæ ad receptionem omnium sacramentorum licitam postulatur, nimirum quòd sit expers lethalis culpæ, sed ultrà requiritur, quòd sit honestis moribus imbutus. Accedit P. Holzmann, qui (de ordin. n. 96.) sic ait: Requiritur 4. ut (ordinandus) effulgeat speciali vitæ probitate: speciali, inquam; non enim sufficit ad suscipiendos ordines probitas communis, quæ ad quælibet sacramenta recipienda exigatur, sed necessaria est specialis, ex qua sperari possit fore, ut ordinandus bono exemplo præluceat... Consistit autem specialis illa probitas in recta intentione specialiter serviendi Deo, in casta et sobria vita, in bona conversatione ordinandi.

Si igitur constat, quòd clericus qui ad altaris celsitudinem vult ascendere, non tantum à culpa mortali immunis esse debet, sed amplius præseferre probitatem habitualement, atque adeò excellentem, ut hæc meritò esse possit præparatio correspondens gratiæ per sacramentum ordinis præstandæ, quæ confertur per modum habitus, sive quæ confertur, ut perpetuò sua peculiaria auxilia tribuat ordinato; certum etiam est, quòd ille qui usque adhuc in luxuriis est versatus, si fortè præstiterit simplicia signa pœnitentiæ, erit quidem capax

absolutionis, sed non erit simul sacro ordine dignus; aliud enim sanè est, et valde diversum, esse simpliciter in statu gratiæ, aliud magnam bonitatem possidère. Idcirco ex omnibus prædictis concluditur, præceptum esse divinum, et ab Ecclesia omni tempore custoditum ac promulgatum, ut qui in flagitiis, etsi occultis, sit recidivus aut habituatus, priusquam sacros ordines assumat, convenienti castitatis experientiâ sit probandus. Alioquin ei ob ipsius gravem præsumptionem, et quia in re gravi legem Ecclesiæ offendit, confessarius tenebitur absolutionem denegare.

69. — Quoad secundam autem partem, minimè negandum censemus, aliquando contingere posse, quòd clericus, quantumvis in vitio carnis consuetudinarius, et recidivus, tali compunctionis gratiâ à Deo sit donatus, ut dignus existimetur, qui gradum sacri ordinis statim assumere possit; et idè tunc capax benè evadet absolutionis, quamvis præcedenti experimento non sit probatus. Probatio quidem non solùm exterior, sed etiam interior; ut diximus, in hujusmodi pœnitentibus ab Ecclesia necessariò postulatur; sed non necessariò requiri dicimus probationem temporis.

Olim juxta priscam Ecclesiæ disciplinam nemini, qui post acceptum baptismum lethale peccatum commiserat, ascendere ad ordines unquam permittebatur, etiamsi condignam egisset pœnitentiam, ut testantur *S. Isidorus*, *S. Hieronymus*, et *S. Martinus Papa I. apud Natal. Alex.* atque ii, qui post ordinem susceptum semel graviter peccarent, ipso facto manebant perpetuò suspensi, prout scripsit *S. Gregor. l. 4. ep. 7.* Deinde tamen aliquot post sæcula tantùm illi, qui infamiam passi erant ob aliquod grave crimen, aut publicam egerant pœnitentiam, ab ordinibus excludebantur, juxta id quod legitur in concil. Carthaginen. IV. *can. 68.* ubi, *Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur.* Demùm à sæculo XI. ut ferunt *Habert*, et *Jueninus*, remissa fuit hujus disciplinæ severitas, ut patet ex *can. Fraternalitatis, dist. 34.* ubi *Pelagius Papa* requisitus ab Episcopo Florentino, an conferre posset diaconatum clerico, qui aliquando, cùm esset conjugatus, inhonestè versatus fuerat cum sua ancilla, respondit: *Et quamvis multa sint, quæ in hujusmodi casibus observari canonicè jubeat sublimitatis auctoritas, tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora*

ipsa hominum defecerunt, districtio illius non patitur in omnibus manere censuram : et ætas istius de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatum possit provehi, temporum, ut dictum est, condescendentes defectui, concessisse nos noveris. Item in cap. Ex tenore, de temp. ordin. sic habetur : Verùm quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus, quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, et suadeas, ut parte pœnitentiæ peractâ, ordine suscepto utatur; quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen, quia peccatum occultum est, si promovèri voluerit, eum non debes aliquâ ratione prohibère. Attamen notandum, ut diximus n. 52. hunc canonem correctum fuisse in parte à Trident. in c. 1. sess. 14. de Reform. etc. ubi habetur, quòd Episcopi benè possunt ob peccata occulta, etiam extrajudicialiter cognita, prohibère initiandos, quominus ordinentur.

70. — Cùm igitur neque Ecclesiæ præceptum, neque præsentis disciplinæ consuetudo coget ad probandos solâ temporis diuturnitate eos, qui ad sacros ordines sunt promovendi, ad prudentem confessarium spectabit cognoscere, an pœnitens vel temporis experimento, vel aliâ viâ sit convenienter probatus, atque dispositus ad tantam dignitatem assumendam. Benè autem evenire potest, quòd Deus, cujus judicia, et misericordiæ admirabiles sunt, auxilia tam efficacia gratiæ alicui largiatur, ut compunctionis vehementia temporis probationem compenset. Docet enim *D. Thomas*, quòd Deus aliquando tollit peccati reliquias successivè per suam gratiam cõperantem, aliquando verò statim per magnam commotionem, quâ homo perfectam sanitatem spiritualem consequitur. Hoc docet 3. part. quæst. 86. art. 5. ad 1. ubi quærens utrùm, remissâ culpâ mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati? objicit sibi (in 1. object.) auctoritatem *D. Augustini* in lib. de pœnit. c. 2. t. 4. qui ait : *Nunquam Dominus aliquem sanavit, quem omninò non liberavit; totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione.* Respondet inde Angelicus : *Quandoque tantâ commotione convertit (Deus) cor hominis, ut subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissâ culpâ, sed sullatis omnibus peccati reliquiis; ut patet de Magdalena Luc. 7. Quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam*

operantem, successivè tollit peccati reliquias. Si ergò divinæ gratiæ efficacia valet auferre omnes peccati reliquias, id est animæ debilitatem ex vulneribus peccati causatam; idcirco, quamvis habitus pravi in potentiis sensitivis non tollantur, mens tamen ex vigore gratiæ talem acquirere potest vigorem, ut illis facilè resistat. Hoc docuit idem D. Th. Supplem. qu. 50. art. 1. ad. 2. dicens: Reliquiæ autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati; sed quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens; quæ sublata, etiam eisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum. Nulla igitur tali habituato erit necessitas experimenti, quod non requiritur, nisi ut debilitas animæ ex malis habitibus contracta sanetur, et pravis dispositionibus facilè resistat, cùm hoc idem ex vigore gratiæ is æquè, et fortè viriliùs adeptus fuisse comperitur. Rectè enim dicit S. Cyprianus: Non pro mora temporum, sed compendio gratiæ maturatur charitas.

71. — Non quidem negandum hujusmodi conversiones extraordinarias esse, nec sæpè evenire, neque etiam in exercitiis spiritualibus, quæ ad sacros ordines præmitti solent; quoniam plerùmque ad hujusmodi exercitia promovendi coacti accedunt. Ideòque alia extraordinaria signa debet confessarius in suo pœnitente agnoscere, ut ei ad sacrum ordinem ascendere permittat. Quòd si quandoque (licèt rarò) tales conversiones extraordinariæ accidant; nulla patet ratio, cur in eo casu magis dispositum ad ordines suscipiendos pœnitentem evincat longi temporis probatio, quàm manifesta cordis vera et vehemens contritio, ac voluntas adeò firma, quæ innixa spe divinorum auxiliorum, præcipuè actualium, quæ in sacramento ordinis à Deo impertiuntur, ut castè et honestè in Ecclesiæ ministeriis vita ducatur, non solum se emendare proponat, sed etiam omnia media opportuna adhibère, quæ valeant tum concupiscentiam refrænare, tum dignum eum reddere, ut sacra adeat mysteria; imò pœnitens ex illo singulari dono contritionis jam incæperit instanter et enixè castitatem à Deo postulare, et simul concupiscentiæ ardorem notabiliter imminutum in se cognoscat, ita ut jam paratum se sentiat ad castitatem servandam. Quòd si sufficienter probatus existimatur, qui per aliquod tempus se continens habitum extirpare cura-

verit, multò magis is probatus censeri debet qui per specialem Dei gratiam vehementi contritione manifestè compunctus est. Diurnitas temporis ideò sufficiens creditur probatio, quia signum est firmæ voluntatis pœnitentis; attamen non rarò evenire solet, quòd aliquis etiam longo tempore se à vitiis pro mundi hujus honestate contineat (juxta verba *S. Gregorii*); sed horum magis est timendus relapsus, quàm eorum qui talem contritionis gratiam ostenderunt, ut prudens confessarius directè eos voluntatem immutasse cognoscat; unde rectè prudentem ac fundatam spem concipere possit, quòd promovendus auxilio divinæ gratiæ, et mediis quæ adhibere ipse proposuit, castitatem servabit, juxta illud Tridentini (*in c. cit. 13.*): *Qui sperent, Deo auctore, se continere posse.*

Id sat confirmatur tùm à Pontificali, tùm à Catechismo romano. In Pontificali enim habetur, quòd Episcopus alloquens initiandos ad subdiaconatum, sic dicit: *Stusque nunc fuistis ebrii, amodò sobrii: si usque nunc inhonesti, amodò casti.* Notentur verba, *si usque nunc*, ad significandum, quòd hodie non excludit Ecclesia eos, qui fortè usque ad tempus ordinationis fuerint inhonesti, modò habeant talem cordis conversionem, quæ ipsos reddat dignos non solùm absolutionis beneficio, sed etiam sacri ordinis gradu, si sine temporis probatione ad eum ascendere velint, juxta illud quod scripsit *D. Anselmus (l. 1. epist. 56.)*: *Nec apud Deum reprobatum officium alicujus propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines dedecoratum sacri ordinis dignitas propter personam, cujus ipsi peccatum non agnoscunt.*

72. — In Catechismo autem romano (*de sacr. ord. n. 31.*) primò ibi dicitur, quòd initiandus in sacris morum integritatem magnopere præferre debeat. Deinde additur, quòd eà vitia corporis, quæ in veteri lege homines ab altaris ministerio excluderent, hodie in nova lege evangelii intelligenda sint de vitiis animæ quæ homines repellunt ab ordinum sacrorum susceptione. Et hic sedulò advertendum, quòd inter corporales defectus in lege antiqua computatum fuit vitium inveteratæ scabiei, ut legitur in Levitici c. 21. *Œ. 20. Si jugem scabiem, etc.* Quod communiter interpretatur pro vitio libidinis, ut explicant *D. Hieronymus*, et *D. Gregorius*. Demùm Catechismus concludit, quòd promovendi, qui hujusmodi vitiis fuerint contaminati, tenentur juxta præsentem Ecclesiæ disci-

plinam sacramento pœnitentiæ conscientias diligenter purgare, sine eo quòd ibi ulla temporis probatio præscribatur. En verba Catechismi : *Primum itaque in eo, qui sacerdos creandus est, vitæ et morum integritas commendetur magnoperè oportet.... Et simul illud docendum, ea corporis vitia, quæ in veteri lege ex Domini præscriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant, in Evangelica lege ad animæ vitia præcipuè transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut, qui sacris initiandi sunt, prius pœnitentiæ sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.* Ex quo patet, Catechismum supponere, quòd aliquis, etsi vitiis fuerit obnoxius, benè possit absolutionis beneficio frui, et inde sacros ordines recipere, etiam sine præcedenti temporis experientia: intelligendum, dummodò aliunde ritè dispositus iudicetur ad tantam dignitatem ascendere.

Hinc ipse *Jueninus* in præsentì quæstione, licèt hic rigidarum sententiarum acerrimus sectator alibi in *Opere de sacram. diss. 8. qu. 7. c. 2.* omninò indixerit necessitatem probationis temporis, ut clerico vitio turpi illaqueato possit permitti ad ordines sacros ascendere; attamen in suis *Inst. theol. t. 7. p. 8. diss. 7. q. 5. in fin.* loquens de habituato in vitio turpi, veluti seipsum corrigens, et benigniùs agens, sic inquit: *Verum, cum pauca sint regulæ, quæ aliquas exceptiones non patiantur, negotium hoc sapientis ac eruditi directoris prudentiæ committendum est.*

73. — Sed dices I. Ut quis licèt ordines sacros suscipere possit, requiritur non tantùm externa, sed etiam interna vocatio divina; at quomodo existimari poterit vocatus à Deo ille qui diu vitio lasciviæ est sœdatus, nisi prius per longam pœnitentiam et virtutum exercitia signa veræ vocationis ostendat? Et quomodo confessarius absolutionem ei impertiri poterit, quem non agnoscit à Deo vocatum? Respondetur: Nulli dubium, quòd si quis accedere auderet ad sacram ordinationem, sciens à Deo se vocatum non esse, excusari nequiret à culpa lethali, tum ob gravem præsumptionem se intrudendi in sanctuarium contra Dei voluntatem, cum dicat apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Hebr. c. 5. v. 4.* tum ob periculum certum damnationis cui tunc ipse se exponit, ut asserit *Abëly* in suo aurco opusculo, cui titulus, *Sacerdos Christi,*

c. 4. ubi ait : *Qui sciens , nullâ divinæ vocationis habita ratione , in sacerdotium se intruderet , haud dubiè seipsum in apertum salutis discrimen injiceret , peccando scilicet in Spiritum sanctum ; quod quidem peccatum vix , aut rarissimè dimitti ex evangelio discimus.* Attamen verò , ut promovendus à culpa excusetur , sufficit ipsi , quòd bonum præseferat finem , et Episcopo se offerat , ut probetur , dummodò non certè sciat se nunquam fuisse à Deo vocatum. *Juvenius in cit. libro de sacram. diss. 8. qu. 7. c. 2.* postquam probavit necessitatem divinæ vocationis , inquit : *Licet quoque clericis offerre se Episcopo , quo probentur , an debeant ad majores ordines promovèri.* Etenim , ut addit : *Qui examini se offert , an ad majores ordines promovendus sit , non ob id eorum dignum se judicat ; ac proinde non est reus præsumptionis.* Tantò magis igitur confessarius non poterit hujusmodi clerico volenti ordinem suscipere absolutionem denegare post acceptam ejus confessionem , nisi certus sit , quòd illi deficiat divina vocatio. Sed quomodo in nostro casu hanc certitudinem confessarius habère poterit ? Vitiosa vita peracta à suo pœnitente non præbet quidem ipsi certitudinem , quòd is nunquam fuerit à Deo vocatus. Cur non accidere potuit , quòd Dominus cum aliquando verè vocarit , et ipse auxiliis resistens jam paratis malè corresponderit ? Judas procul dubio fuit à Christo Domino vocatus ad apostolatam , at illè quàm malè ad eum se disposuit ? Cur etiam censèri non poterit , quòd illa extraordinaria conversio , quam supponimus , sit vocatio divina , quâ pœnitens eodem tempore sit à Deo donatus ? Fortè Deus non vocat ad sacerdotium etiam peccatores pœnitentes ? Unde concluditur quòd in casu nostro , supposito cum circumstantiis ut suprâ descriptis , confessarius ex hoc capite deficientiæ vocationis nequit denegare absolutionem suo pœnitenti , qui ad illam per confessionem adeptus est jus strictum et rigorosum.

Dices II. Si Ecclesia agnosceret , quòd clericus usque tunc sic luxuriosè vixisset , nullo modo eum ad ordines admitteret. Sed respondetur , quòd si Ecclesia agnosceret simul suam resipiscentiam , et vehementem compunctionem à Deo donatam , modo quo eam asseruimus , illum non repelleret.

74. — Dices III. Hujusmodi clericus in vitio turpi diu versatus , volens subdiaconatum assumere , exponitur periculo

proximo relabendi in eadem peccata, et illa augendi reatu sacrilegii, cum sibi imponat votum castitatis perpetuæ indissolubile, quod ipse ob pravam habitum contractum difficulter observare valebit; quapropter hic velut temerè agens est indignus absolutione, ut supponit *Habert l. c.* Sed hæc objectio, licet magnam vim habere videatur, reverà tamen nullius est momenti. In tantum diximus, quòd talis consuetudinarius, quamvis sit capax absolutionis, si non vult ordinari, non poterit tamen absolvi si sacrum ordinem assumere audeat, nisi per extraordinariam compunctionem sit probatus; in quantum constat, ut observatum est, quòd ad sacros ordines suscipiendos non sufficit simplex status gratiæ, sed necessariò insuper requiritur bonitas excellens, quæ per divinum auxilium superabundans potest à pœnitente instante acquiri. Cæterùm, si quicumque alius habituatus in lascivia, sed jam sat dispositus ad absolutionem, vellet statim sine experientia emittere votum castitatis, cur non poterit confessarius eum statim absolvere? Numquid votum adhuc in eo casu non erit de meliori bono? Si non esset de meliori bono, esset quidem nullum; sed communissimè docent doctores, ut asserit *Sporer (de voto c. 2. n. 61.)* quòd hujusmodi votum emissum ab habituato in lascivia est validum. Idem ait *La Croix lib. 3. p. 1. n. 481. cum Pal. Moya, ac aliis*, et contrariam sententiam ipse dicit non audeò dicere probabilem. Idque disertè confirmat *D. Thom. (Opusc. 17. c. 3.)*, ubi quærens, an quis post diuturnam vitam in vitiis ductam possit vota religionis profiteri? Respondet, non esse expediens magna opera hominibus tenuis virtutis imponere: *Si tamen (addit) mox conversi sponte propria volerint manum mittere ad altiora, quis eos audebit arcere?*

73. — Præterea, si quis sic habituatus nollet nubere, dici deberet, quòd non posset absolvi quamvis dispositus, quia iste vellet remanere in periculo proximo recidendi. Sed quis unquam asseruit, matrimonium esse remedium necessarium ad se continendum? Scripsit quidem apostolus: *Quòd si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quàm uri. 1. ad Cor. c. 7. v. 9.* Verùm hoc communiter ab interpretibus intelligitur, nisi aliquis nolit alia media adhibere. Hinc quæstio agitur inter DD. an valeat votum, quod quis emitteret nubendi, ut se liberet ab habitu incontinentiæ. Alii,

ut *Lessius lib. 2. c. 40. n. 44. Palaus t. 5. tr. 15. d. 1. n. 14. Sotus l. 7. q. 1. art. 2. cum Fag. Prad. etc. apud Salm. tr. 17. de voto c. 1. p. 2. §. 2. n. 40.* dicunt omninò invalidum esse hujusmodi votum, quia nunquam est de meliori bono, sicut est cœlibatus. Alii verò, ut *Sanch. Dec. l. 4. c. 8. n. 53. Bellarm. l. 2. de mon. c. 14. in fin. Bon. Nav. et plures communiùs cum Salm. l. c. n. 41. et 42.* asserunt, tunc solùm validum esse votum, quando vovens nolit, aut non possit aliis mediis uti. Idem ait *Sporer de voto n. 61. et 62.* dicens, quòd tali voto obligatur tantùm is, qui aliud remedium adhibere nolit. Idem asserit ut certum *Laym. l. 1. tr. 4. c. 2. n. 12.* his verbis: *Dicendum secundò cum Lessio, et Conin., tale votum obligatorium esse secundùm hypothesim, si in tali statu peccandi perseverem, et non media efficaciam adhibeam ad emendationem, quæ cum Dei gratia possum; ita ut talis homo aliud vovere censendus non sit, nisi hoc saltem remedium (quod est nuptiarum) peccatis suis adhibiturum, si aliquid melius, quod est continentia, non adhibuerit: ideòque, si firmum ejus propositum, et conatum præstet, à voto liberatur.*

Instabis: sed laïcus nolens tunc nubere, remanet tamen liber, ut possit nubere postea si velit; non sic subdiaconus post susceptum ordinem. Respondetur, sed si ille laïcus statueret firmo animo, nunquam velle matrimonio ligari, sed aliis mediis uti, numquid ob hoc poterit ei absolutio denegari?

76. — Dices IV. Docet *D. Gregorius (in Pastoral. p. 1.)*: *Non debet aliquis non purgatus sacra mysteria adire.* Unde *Jueninus (Op. de sacramen. l. c.)* ait non posse promovèri ad sacros ordines, qui nondum peccata purgarit per condignæ pœnitentiæ labores. Sed respondetur cum *S. Thoma*, qui (2. 2. q. 185. a. 2.) quærens, *utrùm liceat episcopatum injunctum omninò recusare?* Respondet ad object. 2. (in qua refert præfata verba *D. Gregorii*) quòd si impedimentum nequeat tolli à subdito, tunc non tenetur obedire, quia nullus tenetur obedire ad aliquod illicitum; secùs autem, *si impedimentum removèri potest per ipsummet, putà si habeat peccandi propositum, quod potest deserere.* Ergò supponit Angelicus, quòd licet alicui sacra mysteria adire, suscipiendo episcopatum, *vel etiam sacros ordines* (ut ibidem subditur), etiamsi nondùm sit à suis peccatis purgatus; dummodò, ut supponendum, sit

interiùs probatus ad hujusmodi gradus assumendos ; aliàs dicendum ex suprà allatis , quòd neque ordinari posset , neque teneretur obedire. Aliud enim est aliquem non esse purgatum , aliud non esse probatum.

Qua de re , omnibus tamen mox prædictis non obstantibus , omninò tenendum , quòd , ut clericus in vitiis habituatus possit absolvi , etsi ipse velit statim sine temporis probatione accedere ad sacros ordines , debet tali compunctione extraordinarià esse à Deo manifestè donatus ut satis probatus ostendatur ad tantæ dignitatis sublimitatem.

77. — Præterea advertendum , quòd confessarius toto conatu curare debet , persuasum reddere hujusmodi initiandum , quamvis extraordinariè (ut suprà) compunctum , ut differat ordines suscipere quoadusque probatione alicujus notabilis moræ magis purgatum se præbeat à sceleribus patris. Imò addo , consultius et congruentius esse , ut etiamsi ipse sit contritus , et ex compunctione habita sufficienter dispositus non solùm ad absolutionem , sed etiam ad ordinem assumendum , tamen ei absolutio differatur , ipso quoque non consentiente , si velit statim ordinari , ut temporis experimento firmiùs probetur. Dummodò verò , excipio , ipse ex hac dilatione ordinationis non sit subiturus notam , sive proximum periculum infamiæ ; nam in hoc casu censerem cum *La Croix l. 6. p. 2. n. 1764.* non posse confessarium pœnitenti disposito beneficium absolutionis differre , quia tunc ille ex confessione peracta habet jus non tantùm ad absolutionem , sed ad eam statim obtinendam. Cæterùm fateor , magnam adhibendam esse cautelam in hujusmodi clericis absolvendis , qui vix è vitiorum cœno emersi ad altaris ministerium ascendere inhiant , nulli enim dubium , quòd horum frequenter malus exitus deploratur , non sine maximo Ecclesiæ detrimento , et populorum ruina.

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

DUBIUM I.

Quæ dispositio requiratur ad valorem sacramenti in suscipiente?

78 Vide quæ habentur apud Busemb.

79 An solus homo viator sit capax sacramentorum? An soli baptizati validè suscipiant alia sacramenta?

- 80) Nulla requiritur intentio in pueris et perpetuò amentibus quoad baptismum, confirmationem, et ordinem.
- 81) Quæ intentio requiratur in adultis? An sufficiat intentio neutralis? An habitualis? Quid de dormientibus, ebrüis, et lapsis in amentiam?
- 82) An sufficiat intentio interpretativa?

78. — « **R**ESP. Ad valorem sacramenti in adultis ratione utentibus intentio percipiendi sacramentum interpretativa saltem requiritur, et sufficit (excipe pœnitentiam, de qua infra). Ita *Commun.* theologi omnes cum *S. Thom. contra Cajet.* qui putat, in suscipiente nullam intentionem requiri, modò contrariam non habeat. Ratio responsionis est, quia sicut adultus non justificatur sine proprio consensu, ita nec per sacramentum initiatur, et consecratur Deo, sine eodem consensu, si ejus sit capax. *Bonacina d. 1. q. 6. p. 2.*

« Dixi, *adultis*, etc. quia cùm tantum requirantur conditiones juxta subjecti capacitatem, parvuli autem, et perpetuò amentes non sint capaces propriæ intentionis, sufficit illis intentio Christi, et Ecclesiæ. *Fill. tom. 1. cap. 8.*

Unde resolves :

« 1. Parvuli, uti et perpetuò amentes, validè baptizantur confirmantur, communicantur, ordinantur: quod ultimum nefas esset, priora autem olim permittebantur. *Bon. l. c.*

« 2. Ægris ratione jam privatis rectè datur unctio, non tantum si antè petierint, sed etiam si fuerint catholici, neque constet esse in mortali: nam hoc ipso censentur interpretativè voluisse, et petiisse, quod alii christiani, etiamsi de ea nunquam audierint. *C. de Lugo de sacramentis in genere, d. 9. n. 122. et comm.*

« 3. Invalidum est sacramentum, 1. quod quis suscipit cum intentione neutrali, habens se negativè. 2. Quod suscipit fictè, id est simulatè: non tamen quod fictè, id est indispositè. 3. Quod per meram vim, animo omninò repugnante, suscipitur. *Bon. l. c.*

« 4. Validum est sacramentum, 1. quod qui accipit, vult, quod christiani accipiunt, etsi non credat, aut non velit sacramentum. 2. Quod quis per metum coactus suscipit,

» cùm metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen
 » gravi metu, v. gr. injustæ mortis, initum, censetur irri-
 » tum, ut docent *Sanch. l. 4. de matr. d. 12. et 14. C. de Lugo*
 » *d. 9. n. 133.* Et qui ordines gravi metu coactus suscepit,
 » etsi characterem habeat, non tamen tenetur ad continen-
 » tiam, potestque, secluso scandalo, nubere, ut suo loco di-
 » cam.» (*Vide dicenda de sacr. ord. n. 841.*)

79. — Ante omnia hic notandum est I. solùm hominem via-
 torem esse capax sacramentorum, quia solus homo viator
 capax est primæ gratiæ, aut ejus augmenti; ita communiter
Suar. et alii, contra Bernal. Vide Tourn. Prælect. theolog.
de sac. quæst. 8. art. 1. qui id probat. Notandum II. suscep-
 tionem baptismi omninò præexigi ad validam susceptionem
 aliorum sacramentorum. Id certum est apud omnes, *vide*
Lugo de sacram. d. 9. num. 1. et Croix num. 165. Ratio,
 quia sacramenta instituta sunt pro sola Ecclesia, et per solum
 baptismum fiunt homines de corpore Ecclesiæ, ut definivit
Eugenius IV. in decreto fidei ad Armenos. Hinc matrimonium
 infidelium non est sacramentum, idè est dissolubile, ut
 notant *Sanch. de matr. lib. 2. disp. 8. et Croix loc. cit. cum*
communi, ex c. Quando 7. de divort. Vide dicenda de matr.
num. 957.

80. — Plura autem hic adnotanda circa intentionem re-
 quisitam in suscipientibus sacramenta. In infantibus nulla
 quidem requiritur intentio, cùm suppleat in eis intentio Chri-
 sti, vel Ecclesiæ, sicut enim sine propria voluntate ipsi pec-
 catum contraxerunt, ita sine voluntate ab illo liberantur.
 Hoc certum est cum *D. Th. 3. p. qu. 68. a. 9.* et est de fide
 definitum à *Trid. sess. 7. de sacram. can. 13.* ubi dicitur: *Si*
quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent,
suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse; ac
propterea, cùm ad annos discretionis pervenerint, esse re-
baptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quàm ecs
non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; ana-
thema sit. Idem dicendum de perpetuò amentibus, ut docet
S. Th. l. c. art. 12. ad 1. Et quod dicitur de baptismo, idem
 dicendum de sacramento confirmationis, ut *Salm. de confirm.*
tr. 3. c. 3. p. 3. n. 26. cum communi DD. Idem de sacra-
 mento ordinis infantibus (sive perpetuò amentibus) collato,
 ut rectè dicit *Lugo d. 9. num. 112.* Idque hodie certum

est ex bulla : *Eo quamvis tempore, nostri SS. P. Benedicti XIV. edita 4 Maji anno. 1745. ubi postquam in §. 20. id declaratur definitum communi suffragio theologorum et canonistarum, deinde præscribitur §. 27. quòd ipsi infantes ordinati, cùm pervenerint ad annos discretionis, non teneantur ad castitatem : præcipit verò Pontifex ex concil. Tolet. II. relato in can. De iis. dist. 28. ut in anno 18. detur eis optio, et si voluerint castitatem servare, admittantur ad exercitium ordinis; secùs si noluerint. Et §. 40. subdit, quòd ipsi post ratihabitionem invalidè contrahunt matrimonium, et tenentur ad officium divinum.*

81. — In adultis verò certè requiritur intentio suscipiendi sacramentum; ratio, quia, ut docet *D. Th. d. q. 68. art. 7.* loquens de baptismo : *Ad hoc quòd homo moriatur veteri vitæ, requiritur in habente usum liberi arbitrii voluntas quæ cum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, quæ intendat vitæ novitatem.* Dixit autem *Caj. in l. c. D. Th. in suscipiente baptismum sufficere intentionem neutralem, nempe quòd non consentiat, neque dissentiat; sed hæc opinio communiter reprobatur à DD. ut à Lugo d. 9. n. 117. Petrocor. tom. 5. pag. 87. Salm. de sacram. in gen. c. 8. p. 1. n. 7. et signanter à SS. N. P. XIV. in *Instruct. de bapt. incipiente, Postremo mense.* Et talis opinio est quidem contra doctrinam expressam *D. Th. mox suprârelatam.* Idem quod de baptismo dicendum est de aliis sacramentis cum *Lugo, et aliis communiter.**

Certum est etiam apud omnes non requiri in suscipiente sacramenta intentionem actualem, aut virtualem; sed sufficere habitualement, id est aliquando habitam, et non retractatam. Ita *Lugo de sacr. d. 9. nu. 105. Wigandt tract. 11. ex. 4. n. 26. res. 4. Petroc. tom. 3. p. 91. Antoine de sacr. c. 3. q. 1. res. 2. Suarez 3. p. disput. 14. sect. 2. Holzm. tom. 2. p. 8. nu. 59. Sporer tom. 3. p. 22. Ronc. c. 3. q. 2. res. 2. Elbel t. 3. p. 27. n. 56.* Idemque docet *SS. N. Benedictus XIV. in præfata Instr. n. 46. cum aliis communiter.* Idque probatur ex universali Ecclesiæ praxi, quæ non reiterat sacramenta baptismi, et ordinis iis qui ea suscipiunt ex voluntate priùs habita. Et hoc procedit in omnibus sacramentis, præter pœnitentiam, et matrimonium, ut infra explicabimus.

Utrùm autem validè conferantur sacramenta dormientibus,

ebriis, vel lapsis in amentiam, qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi? Negat *Ronc. l. c.*, quia (ut ait) non est præsumendum eos habuisse intentionem in tali tempore recipiendi sacramentum, sed solummodò more et ritu christiano. Sed communissimè, et probabiliùs affirmant *Lugo d. 8. num. 119. Pal. de bapt. d. un. p. 7. n. 2. Salm. tr. 2. c. 6. p. 3. n. 43. cum Henr. Graff. et Angles, ac Croix l. 6. p. 1. n. 176. cum Gobat. Avers. et Diana, et aliis.* Ratio, quia ad validitatem sacramenti non requiritur, ut suscipiens agat modo humano, et more solito; sed satis est quòd ipse sit subjectum capax, prout reverà est qui jam priùs habuit intentionem recipiendi sacramentum. Idque confirmatur auctoritate *Innoc. IV. in cap. Majores, §. Item quæritur, de bapt. (apud Lugo l. c.)* qui, postquam dixit, dormientes et amentes non recipere sacramentum, si contrariam habuerint voluntatem, addit: *Secùs si habuissent propositum baptizandi; tunc ergò characterem sacramentalis imprimit operatio.* Et ejusdem sententiæ est *N. SS. Bened. XIV. in cit. Instruct. n. 46.* Cæterùm rectè advertunt *Suar. 5. p. d. 24. sect. 1. et Salm. l. c. n. 44.* illicitum esse iis conferre sacramenta, nisi in probabili periculo mortis, vel nisi quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum, aliàs expectandum ad tempus in quo suscipiens fiat compos rationis. Idque expressè docet *D. Th. in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2.* ubi ait: *Si autem necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizetur in statu illo, sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans.*

82. — Sufficit etiam intentio interpretativa (nempe quæ nunquam fuit habita, sed præsumitur habenda à suscipiente, si esset ipse compos rationis) in suscipientibus sacramentum extremæ unctionis, ut dicunt *Lugo d. 9. n. 127. Wigandt tr. 11. ex. 4. n. 26. r. 4. Elbel t. 3. p. 17. n. 58. Ronc. de sac. c. 5. q. 2. r. 2. Spor. t. 3. p. 23. n. 154. et Croix lib. 6. p. 1. n. 172. cum communi*: idque probatur ex *Rituale rom. de extrema unct.* ubi dicitur: *Hoc sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu verosimiliter (nota) petiissent.* Et si fortè æger fuerit sensibus destitutus in actu peccati mortalis, probabiliter ait *Viva de sacr. q. 1. art. 7. n. 6.* saltem sub conditione extremam unctionem tunc esse

illi ministrandam, prout etiam de sacramento pœnitentiæ dicemus n. 480.

Ita etiam per voluntatem interpretativam, seu generalem potest moribundo sensibus destituto conferri sacramentum confirmationis, ut dicunt *Lugo d. 9. num. 132. Sporer l. c. n. 154. Elbel d. p. 17. et Croix lib. 6. p. 1. n. 169. cum Conc. Arriaga, et Bern. (contra Escob. l. 8. n. 55.)*. Et idem dicunt de sacramento Eucharistiæ *Lugo d. 9. n. 126. Sporer loc. cit. et Croix cum Suar. Conc. Aversa, Bernal, etc.*

Sacramentum autem baptismi, et ordinis invalidè quidem confertur habentibus solam intentionem interpretativam, quia sine voluntate explicita nemo debet subire obligationem legum Ecclesiæ, et status clericalis. Ita communiter *Lugo d. 9. n. 119. et 127. ac Viva de sacr. q. 1. a. 7. n. 5. et 5. cum Suar. etc. Verumtamen Conin. Spor. Dicast. etc. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 168.* censent ad suscipiendum baptismum sufficere intentionem implicitam contentam in contritione, vel attritione habita à suscipiente. His contradicunt *Suar. et alii*. Sed rectè *Lugo n. 129.* primam sententiam ait posse habere locum tantum in infideli, qui semper invincibiliter veram fidem ignoraverit. Ad sacramentum autem pœnitentiæ non sufficit intentio neque interpretativa, neque habitualis, sed requiritur intentio vel actualis, vel saltem virtualis, cum ibi requirantur pro materia actus pœnitentis, qui non possunt quidem haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum; et hoc tenendum saltem in praxi, juxta dicenda *de sacr. pœn. num. 457.* Ad sacramentum verò matrimonii suscipiendum, certè non sufficit intentio interpretativa: sed sufficere aliquando habitualement censent *Holzm. t. 2. p. 8. n. 56. Croix l. 6. p. 1. n. 174. cum Sporer, Dic. Arriag., etc.* Et casum accidere posse, ait *Croix*, quando celebratur matrimonium per procuratorem; quia si hic contrahit dum principalis dormit, perficitur matrimonium cum intentione principalis, quæ non aliter quàm habitualis dici potest. Sed verius sentit *Lugo d. 6. n. 134.* in matrimonio semper requiri voluntatem saltem virtualem, quia cum uterque conjux non solum sit suscipiens, sed etiam minister sacramenti, in singulis eorum certè requiritur ea intentio qualis in ministris aliorum sacramentorum exigitur, ut diximus n. 16. et 18. In præfato autem casu procuratoris, rectè dicit *Lugo n. 139.* quòd illa

intentio veriùs dicenda est virtualis quàm habitualis, cùm procurator contrahat virtute mandati, sive consensùs à principali præstiti.

DUBIUM II.

Quid requiratur, ut licitè et cum fructu suscipiatur?

83 Quæ requirantur in suscipiente sacramenta mortuorum, et quæ vivorum?

84 An aliquando possit ministrari viaticum à laïco, vel sacerdos non jejunos celebrare?

85 An magis dispositi majorem fructum recipiant? An sumant cum fructu hostiam ii qui nesciunt esse consecratam?

86 Plura nolanda de suscipiente sacramenta cum mortali, aut veniali.

87 An omnia sacramenta causent gratiam, remoto peccato?

88 An liceat petere sacramentum à ministro excommunicato?

89 An à ministro peccatore?

83. — « **R**ESP. Ad effectum baptismi et pœnitentiæ, requiritur, et sufficit præter voluntatem sumendi sacramentum, dispositio fidei, spei, et attritionis, non autem requiritur charitas, sive ut gratiam habeat; » (*Vide dicenda n. 139. et 437.*) « quia hæc sacramenta dicuntur mortuorum, quòd ipsa primam gratiam, seu vitam donent. Ad reliqua verò sacramenta, quæ dicuntur vivorum, requiritur, ut sit in gratia » (*Sed nota hic prop. damnatas ab Alexand. VIII. nempe prop. 22. quæ dicebat: Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam pretendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. Et prop. 23. Similiter arcendi sunt à sacra communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers*), « quia ista non primam, sed secundam tantum gratiam, id est augmentum tantum gratiæ conferunt. Etsi subinde per accidens dent primam, cùm quis putat bonâ fide se carere mortali. *Laym. dub. 6. Bonac. d. 1. q. 6. p. 2.*

84. — Hoc quidem probabile est cum *D. Thom.* *Vide dicenda num. 87.* Hinc rectè dicunt *Gonet, Henno, et Cont. Tourn.* (*vide infra n. 237.*) posse laïcum moribundo viaticum ministrare, si desit sacerdos qui cum absolvat: et etiam sacerdotem celebrare posse non jejunos ad ministrandum viaticum moribundo sensibus destituto, qui non possit confitèri, ut

Viva q. 1. art. 5. n. 6. cum Laym. Fill. Secus autem, si absolutionem sacramentalem ille receperit; vide infra n. 286.

Unde resolves:

85. — « 1. Etsi æqualiter dispositi æqualem, magis tamen » dispositi majorem sacramenti fructum præter characterem » consequuntur; tum quia congruum est sacramenta ita instituta esse, ut uberior gratia detur pro dispositione subiecti; tum quia non videtur is, qui vehementem attritionem ad baptismum vel pœnitentiam affert omni fructu carere. » 2. Qui sumit hostiam, quam nescit esse consecratam, » cum instar alterius animalis, sine intentione sumendi sacramentum, sumat, accipit quidem materialiter rem, » quæ est sacramentum, non tamen sacramentaliter, et cum » fructu. » (*Ita S. Th. p. 5. q. 80. art. 5. ad 5. cum Lugo, Suar. Croix l. 6. p. 1. n. 178. contra Arriag. et Dic. quorum sententiam immeritò probabilem vocal Croix*). « Idem docet » Bon. de eo, qui sumit sacramentum ex causa famis, quod » videtur intelligendum, si ex ea sola: neque enim videtur » sacerdos fructu sacramenti privari, etsi sumpturus calicem, » simul etiam levare sitim intenderet. Vide Bon. l. c. n. 5.

86. — Notandum I. Ad baptismum requiritur actus fidei, et spei, saltem virtualis, ut omnes docent cum *Suar. et Croix l. 6. p. 1. n. 187.* etiam actus contritionis, sive attritionis, ut tenent *Salm. cum D. Th. (vide infra n. 139.)* si baptizandus habeat grave peccatum, ut patet ex *Trid. sess. 14. c. 1. de pœnit.* Ad Eucharistiam autem præmitti debet ex speciali præcepto confessio, et absolutio ab omni mortali. Utrum autem pro aliis sacramentis vivorum sufficiat præmittere tantum contritionem? Affirmatur communissimè cum *Lugo d. 8. sect. 9. Laym. Vasq. Croix n. 190. et aliis, contra Marsil. et Adrian. Vide dicta n. 34.*

Not. II. Est certè peccatum grave, sacramentum suscipere cum mortali; et est gravius, quàm illud indignè ministrare, aut conficere, ut *Croix n. 195. cum Dic. et aliis.* Utrum autem in aliquo casu liceat suscipere sacramentum in mortali? Videtur negare *Suar. de Euch. d. 66. sect. 1.* loquens de sumenda communione; sed communiùs affirmant *Henriq. Aversa, et Bosco ap. Croix l. 6. p. 1. n. 194.* Idque pro casu rarissimo non videtur improbableè, putà si hostia consecrata esset profananda ab hæreticis, et ab aliis pro illa subita irruptione

non posset tam citò conteri; tùm videtur posse eam sine peccato sumere, licèt sine fructu; tunc enim non sumeret ut sacramentum, sed tantùm absconderet in corpore suo, sicut in pariete, ad eam liberandam ab injuria, ut dicunt *Lugo de sacr. d. 9. num. 8. de Euch. d. 14. n. 3. Croix l. 6. p. 2. n. 514. Tamb. de comm. c. 1. n. 76. et Dian. p. 5. tr. 13. r. 74. cum Vasq. Hurt. et Ochag.* Idem probabiliter dicunt *Lugo dict. d. 9. cum Vasq. et Croix num. 517. cum Hurt. Ochag. Diana, et Leand.* de laïco accumbente in scamno communicantium, qui recordaretur peccati mortalis, et non posset clicere contritionem ob angustiam temporis. *Vide dicta n. 53.*

87. — Quæritur I. An sacramenta validè, sed, cum fictione suscepta, remoto obice, reviviscant? Nomine *fictionis* hic non intelligitur ea quæ reddit sacramentum nullum, ut est defectus intentionis, sed ea cum qua sacramentum validè suscipitur, nempe cùm quis accedit sine dispositione requisita ad sacramentum. De sacramento baptismi (excepto *Scoto et aliis paucis*) omnes communiter id affirmant *cum Petroc. t. 3. p. 99. q. 6. Conc. tom. 8. p. 185. n. 11. Lugo de sacr. d. 9. n. 22. Tourn. Prælect. theol. de bapt. q. 4. art. 2. concl. 2. et aliis ex D. Th. 3. p. q. 69. art. 10.* ubi loquens de gratia baptismi sic ait: *Impedietur autem quandoque per fictionem; unde oportet quòd, remotà eà per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.* Et priùs id docuit *S. Aug. lib. de bapt. contra Donatist. cap. 12.* ubi dixit: *In illo qui fictus (ad baptismum) accesserat, tunc valère incipiet, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Ratio, quia peccatum ante baptismum, vel in ipsa perceptione baptismi consummatum non subjicitur Ecclesiæ clavibus, unde necesse est remitti per solam virtutem baptismi, qui sublato obice habet effectum priùs suspensum ratione fictionis. An autem ad hunc effectum obtinendum requiratur in suscipiente contritio? Negant *Suar. 3. p. d. 28. sect. 5. concl. 1. et Lug. n. 53. cum Conc. et commun. (contra Vasq.)* dicuntque sufficere attritionem; *vide dicenda n. 139.* Idem quod de baptismo dicunt etiam de sacramento pœnitentiæ (casu quo fieret confessio valida et informis, juxta dicenda *num. 441.*) *Lugo d. 9. n. 100. Salm. de bapt. c. 6. p. 3. n. 53. (contra Petr. ex S. Thom. in 4. d. 17. qu. 5. art. 4. q. 1.* qui loquens de pœnitente, qui fecerit confessionem validam, sed

informem, dicit : *Quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam est de aliis sacramentis.* Ratio (ut ait *Lugo*) quia si hic postea conteritur, jam peccatum ei remittitur, et remittitur quidem, sine eo quòd directè illud clavibus subjiciat. Idem ajunt *Lug. n. 103. et Suar. d. 63. s. 8. Croix n. 199. cum Palud. Sylv. Conc. ap. Salm. de sacram in genere c. 5. p. 5. n. 67. (contra Sotum, Hurt. Bosco, et Bernal ap. Croix l. c.)* de sacramentis characterem imprimantibus, prout de confirmatione, et ordine; quia cùm hæc sacramenta nequeant iterari, videtur consentaneum divinæ bonitati, ne tales suscipientes relinquuntur destituti gratiâ sacramentali, tam proficuâ in confirmatis ad resistendum tentationibus, et in ordinatis ad obeunda munia clericalia; et hanc sententiam ait *Petr. solidissimum habere fundamentum.* Idem dicunt *Escob. l. 8. num. 182. Croix num. 202. Salm. l. c. cum Pal. Arriaga, Cajet. etc. ac Lugo n. 105. cum Suar. et Conc. de sacramento extremæ unctionis, et de matrimonio; quia (ut ajunt) etiam congruum videtur, quòd, cùm extrema unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimonium vivente eodem conjugè, interim fideles non careant gratiâ sacramenti.*

Rectè autem *Lug. n. 108. Croix n. 200. cum Suar. Conc. Fill. etc. communiter, contra alios, negant hoc de Eucharistia, quæ ex sua institutione frequenter potest iterari: idcirco non fuit opus hanc tribuere efficaciam tali sacramento, ut subveniatur fragilitati hominum. E converso in hoc sacramento sequeretur absurdum, quòd sacerdos qui pluries in sua vita sacrilegè celebrasset, si in morte eum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; imò quòd sæpius indignè celebrasset, eò uberiùs gratiis ditaretur. Censet autem *Croix n. 200. cum Scoto, Palao, etc.* quòd si quis communicet et removeat obicem, antequam species Eucharistiæ eonsumentur, is non carebit gratiâ sacramenti. An autem suscipiens sacramentum eum veniali habituali, vel actuali, peccet? *vide dicenda de Euchar. n. 270.**

88. — Quæritur II. An liceat petere sacramenta à ministro indigno? Hic distinguere oportet ministrum indignum ob aliquam censuram, vel inhabilitatem, et indignum ob peccatum mortale. Resp. I. Si minister est indignus per censu-

ram, etc. et non est toleratus, nimirum sit excommunicatus vitandus, vel publicè et nominatim suspensus, vel irregularis per sententiam (*vide Croix lib. 6. p. 1. n. 210.*), certè non licet ab eo petere sacramenta, nisi in extrema vel gravissima necessitate: in qua omnes dicunt licitum esse suscipere baptismum, et pœnitentiam, ut *Suar. 3. p. dist. 11. sect. 1. n. 6. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. urt. 1. §. 3. Antoine de sacr. c. 2. q. 13. Bonac. de excommunic. dub. 2. q. 1. p. 2. §. 3. Croix l. 6. p. 1. n. 209. et Salm. de sacram. in gen. c. 8. p. 2. n. 16. et 18. cum Sayr. Gran. Corn., etc. ex D. Aug. l. 1. de bapt. cap. 11. Idem probabiliter de sacramento Eucharistiæ dicunt Nav. cap. 22. n. 4. Suar. l. c. n. 17. Bon. l. c. Viva de sacr. q. 1. a. 8. num. 10. cum Sot. et Salm. ibid. n. 22. cum Cornejo, Nugn. (contra Sayr. Avila, etc.). Et adhæret *Cont. Tourn. loc. cit. ex cap. Quod in te, de pœnit. et rem. ubi Innoc. III. quamvis neget morientibus extremam unctionem tempore interdicti generalis, non negat tamen pœnitentiam, viaticum. Idem sentiunt de sacramento extremæ unctionis Escob. Henr. et Dic. ap. Croix d. n. 209. eò quòd tale sacramentum potest per accidens gratiam causare; sed meliùs id non admittunt Suar. Bon. ll. cc. Elbel tom. 3. p. 69. n. 67. item Conc. Fill. Avila, et Cornejo apud Salm. ibid. n. 23. nisi quando infirmus non potuerit aliud sacramentum recipere. Pariter dicunt Suar. l. c. et Corn. ap. Salm. ibid. n. 24. licitum esse recipere sacrum ordinem ab Episcopo excommunicato, quando in aliqua provincia remota ille solus existeret, et talis ordinatio redundaret in bonum communitatis. Idem dicunt præfati AA. de sacramento matrimonii, casu quo esset necessarium vel ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset minister. An autem excommunicatus vitandus validè ministret sacramentum pœnitentiæ in extrema necessitate? Hoc negandum: *vide dicenda num. 560.***

Resp. II. Si verò minister sit excommunicatus, vel suspensus toleratus, quæstio est inter DD. an liceat ab eo petere sacramenta sine gravi causa? Negant alii, sed veriùs affirmandum; quia conc. Constantiense absolutè concessit fidelibus communionem cum toleratis; *vide dicta num. 55. et dicenda de cens. n. 139.*

89. — Resp. III. Cùm autem minister est indignus ob peccatum mortale, *D. Th. 3. p. q. 64. art. 6. ad 2.* videtur indistinctè concedere posse suscipi sacramenta à peccatore occulto, dicens: *Quamdiu (minister) ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum non communicat peccato ejus.* Et idem habetur in *cap. Vestra. 7. de cohabit. cler. etc.* ubi dicitur: *Sine dubitatione teneatis, quòd à clericis, et presbyteris quamquàm fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam* (id est ut explicat Glossa, quando ipsi non sunt condemnati vel confessi in jure), *licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur sacramenta ecclesiastica.* Hoc tamen sanè intelligendum valère tantùm ad excusandum, ne contraveniatur prohibitioni Ecclesiæ; cæterùm, ad suscipiendum sacramentum à peccatore, semper requiritur rationabilis causa, juxta dicta *lib. 3. num. 47. et 49.* Utique alibi docet idem *D. Thom. in 4. d. 24. qu. 1. art. 3. qu. 5. ad 5.* ubi ait: *Præter necessitatis articulum non esset tutum, quòd eum* (scil. pastorem) *induceret ad aliquod sui ordinis exequendum, durante tali conscientia, quòd ille in peccato mortali esset.* Nomine autem necessitatis rectè explicat *Cont. Tourn. ibid. concl. Cæterùm,* intelligi hic moralem necessitatem; unde probabiliter sufficit ad excusandum etiam causa gravis utilitatis, ut docent communissimè *Suar. part. 3. d. 18. sect. 1. Sanch. de matr. lib. 7. d. 9. num. 8. Pal. t. 3. tr. 18. d. 7. p. 15. num. 3. Viva qu. 1. art. 7. n. 10. Croix l. 6. p. 1. n. 211. Mazzot. t. 3. pag. 68. Tolet. l. 1. c. 88. Fill. tr. 1. c. 8. qu. 6. Escob. l. 8. n. 312. Anacl. pag. 533. num. 36. Holzm. t. 2. p. 16. n. 84. Elbel t. 3. p. 18. n. 63. citans Scot. in 4. d. 5. qu. 2. §. Quantum. Spor. t. 3. p. 27. n. 179. Bon. d. 1. q. 6. p. 5. n. 1. cum Con. Val. Reg. Henr. et Salm. de sacram. in gen. c. 8. p. 2. n. 34. cum Led. Nunn. et communi, ut asserunt.*

Hinc ajunt DD. licite recipi sacramenta à ministro peccatore: I. Si urgeat præceptum confessionis, vel communionis, ut dicunt *Suar. l. c. Conc. t. 8. p. 105. n. 9. et Escob. lib. 8. n. 316. cum Vasq. etc.* II. Si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus. *Cont. Tourn. loc. cit.* III. Si debes implere præceptum missæ audiendæ. *Suar. loc. cit. cum Concina. et Scoto apud Escob. num. 314.* IV. Si

aliàs diu debeas permanere in mortali, et nequeas alium adire confessarium; ita *Tourn. l. c.* Sed meliùs *Suar. l. c. et Antoine de sacr. c. 2. q. 13. r. 3.* excusant ab omni culpa cum, qui est in mortali, si nolit neque ad horam expectare, quia non est modica utilitas quamprimùm à peccato liberari. V. Si carere debeas (saltem diu) communione, ut *Suar. loc. cit. et Escob. n. 319.* Et idem ait *Suar.* si carere debeas fructu confessionis, etiamsi non habeas mortale. An autem sufficiat causa non carendi fructu alterius sacramenti? Negat *Croix n. 211.* Sed affirmant *Suar. et Escob. n. 316.* si minister sit parochus, vel sit paratus, et non sit alius dignè ministrans. VI. Si aliàs nequeas lucrari jubilæum. *Cont. Tourn. et Croix loc. cit.* VII. Si indigeas perito direttore, et non habeas alium. *Cont. Tourn. ibid.* Modò (addit *Sporer tom. 3. pag. 27. n. 179.*) diu debeas alium expectare. VIII. Si vis missam applicare pro amico defuncto, ut *Sporer loc. cit.*

Dicit autem *Cajet. in 3. p. q. 64. art. 6. ad 2.* absolute licitum esse petere sacramentum à proprio paroco, sine ulla gravi causa; sed veriùs hoc negant *Conc. p. 105. n. 5. et Salm. l. c. n. 58. cum Nav. Soto, Bon. et Led.* si facile possis alium adire. Sic etiam dicunt *Conc. et Antoine ll. cc.* non licere petere sacramenta ab hæretico, vel schismatico nisi in casu extremæ, vel gravissimæ necessitatis. Sed de hæretico *vide num. 360.* An autem sit mortale sine gravi causa petere sacramentum ab indigno ministro parato? Negant *Sotus, Nav. Sa, Dian. etc. apud Salm. tr. 1. c. 8. p. 2. n. 43.* Sed rectè affirmant *Salm. ibid. num. 42. cum Sylv. Molin. Valent. Arag. etc. juxta dicta l. 5. num. 47. et 79.* Tantùm exciperem eum, qui sumeret Eucharistiam à sacerdote indigno, qui eam actu aliis ministraret: ut dicunt *Suar. l. c. et Escob. n. 319.* juxta sententiam allatam *num. 55. v. Hinc,* nempe quòd unum tantùm sit peccatum pluribus Eucharistiam ministrare. Sic pariter puto illicitum esse sine gravi causa inservire sacerdoti indignè celebranti; contra *Suar. l. c. Bon. n. 7. et Salm. n. 41. cum aliis,* qui id admittunt, quando sacerdos facile possit alium invenire.

Certum est autem, quòd quivis minister præsumitur dignus, nisi constet oppositum, ut communiter docent *Con. t. 8. p. 105. n. 4. Cont. Tourn. de sac. cap. 2. art. 1. §. 5.*

v. Not. 1. ex illo Apostoli, 1. Corinth. c. 13. §. 5. *Charitas non cogitat malum; Elbel et Croix lib. 6. num. 216. cum Avila, Dic. et aliis communiter.* Hinc probabiliter inferitur posse peti sacramentum adhuc ab eo qui scitur paulò antè peccasse. quia præsumentus est ipse jam se disposuisse saltem per contritionem: ita *Suar. d. 18. sect. 1. in fine, Bonac. punct. 5. num. 6. Croix num. 216. Mazzott. cum Sporer, Salm. l. c. n. 40. cum Vasq. Con. Sayr. Reg. Dic. et aliis communiter: et idem sentit Tourn. p. 36. v. Not. I.* dicens: *Imò ut sciam ab eo recens et graviter peccatum esse; adhuc enim sapienter præsument eum, si præsertim ad ministranda sacramenta spontè præsto sit, id, quod sui erat, fecisse, ut Deo reconciliaretur; certè (ait S. Th. in 4. dist. 24. q. 1. art. 5. q. 5. ad 3.), quia in instanti homo à divina gratia emendatur.* Rectè tamen id limitant 1. *Suar. et Bon. ll. cc. cum Conc. Vasq. Sayr. Reg. et aliis communiter*, si constet ministrum esse consuetudinarium, vel esse in occasione proxima peccandi (intellige voluntaria). Limitat 2. *Gob. apud Croix dicto num. 216.* si minister post peccatum confessionem non præmiserit ante missæ celebrationem.

CAPUT IV.

Quid sint sacramentalia, et quid efficiant

90 *Quid, et quæ sint sacramentalia?*

91 *An sacramentalia vim habeant ex opere operato?*

92 *Quomodo per sacramentalia remittantur peccata?*

93 *Plura nolanda.*

94 *De usu agnorum Dei, aquæ benedictæ, et similibus.*

90. — **R**ESP. 1. Cæremoniæ ecclesiasticæ, quæ vulgò dicuntur sacramentalia, sunt actus externi religionis, ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio dominica, aqua benedicta, esus eulogiarum olim in usu, confessio generalis, elcēmosyna, benedictio ab Episcopo, vel abbate consecrato data, quæ ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia, continentur hoc versu:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

» Ad quæ etiam revocantur tinctio pectoris, unctio in regem

» et similes; item multæ aliæ cæremoniæ, et res etiam ipsæ
 » sacræ, quæ in Ecclesia partim ab apostolis traditæ, partim
 » postea institutæ sunt, ut exorcismi, insufflationes, prima
 » tonsura, benedictiones, et consecrationes variarum rerum,
 » et personarum, ut Ecclesiæ, calicum, etc. ipsæ etiam her-
 » bæ, lumina, vinum S. Joannis, cerei agni, signum S. Cru-
 » cis. Quæritur ergò, quam vim habeant: nùm ex opere
 » operantis, cùm certum sit, sicuti per alia pia opera, sic etiam
 » iis nos merèri; seu ex opere operato?

91. — « Resp. 2. Non habent vim ex opere operato confe-
 » rendi gratiam, aut remittendi peccata vi sua, et per se,
 » sed tantùm quatenus in nobis pium motum excitant. Ratio
 » prioris est, tùm quia nusquam promissio gratiæ, aut re-
 » missionis peccatorum iis facta reperitur; tùm quia pecca-
 » tum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiæ,
 » quam conferendi ea nullam per se habent vim. Ratio po-
 » sterioris est, quia id accommodatum est sacramentalium
 » institutioni, et consecrationi, quæ fit per preces Ecclesiæ,
 » quibus ipsa nobis tales motus precatur. *Conc. q. 71. art. 3.*

92. — Quæritur ergò, quomodo culpæ veniales remittan-
 tur per sacramentalia?

Prima sententia cum *Sot. Val. Led. Vict. etc. apud Croix l. 6. p. 1. n. 221.* dicit sacramentalia ex institutione Ecclesiæ vim habere venialia remittendi ex opere operato; quia sacramentalia semper venialia remittunt, etsi non semper in nobis pium motum excitent.

Secunda sententia tamen communior, et verior, cum *Cont. Tourn. de sac. cap. 4. art. 2. Wigandt tr. 13. exam. 2. n. 25. S. Th. Lug. Suar. Bus. Croix l. c. Viva de sacr. qu. 1. a. 8. n. 7. et seq.* tenet per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato, sed tantùm quia per ea pius motus doloris, aut charitatis in nobis excitatur, quo venialia remittuntur. Idemque expressè docet *D. Th. 3. p. q. 87. a. 3. ad 1.* ubi ait: *Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium implicitè, vel explicitè.* Hinc omnibus fidelibus consultum fit post sumptionem aquæ benedictæ, etc. se excitare ad aetum doloris, sive amoris.

Unde resolves :

93. — « 1. Gratiae prævenientes, et pii motus conferuntur » per sacramentalia, per modum impetrationis, quæ non » omninò infallibilem effectum habent.

« 2. Peccat graviter, qui sacramentalibus falsam materiam » supponit, ut pro aqua lustrali faciendo urinam.

« 3. Sacramentalia quandoque operantur beneficia corpo- » ralia, v. g. sanitatem, per modum impetrationis, ratione » precum Ecclesiæ. Imò quædam etiam vim habere (v. g. » fugandi dæmonem) per modum operis operati, ex singulari » privilegio, docent *Henr. l. 1. c. 2. Sotus, et alii*. Quia, inquirunt, » etiam ethnici, in quibus nec intercesserunt preces Eccle- » siæ, nec meritum operantium, quandoque signo crucis » (quod quidam etiam putant de nomine Jesu) à dæmone » liberati fuisse dicuntur : quod tamen alii eorum virtuti » objectivæ, quasi naturali, adscribunt; de quo plura apud » *Schol. Vide Merat. d. 10. sect. 1.*

94. — Inter sacramentalia enumerantur agni Dei ex cera à Papa benedicti : super his notandum 1. Vetitum est sub excommunicatione eos inaurare, aut pingere, ut *Azor. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 225*. Not. 2. Vendere eos cariùs, quia benedicti sunt, est injustitia, et simonia. Licitum tamen est eos vendere secundum suam materiam, ut rectè dicunt *Sanch. Dian. et Croix ib. cum communi, contra Azor*. Not. 3. Quamvis *Gobat. etc.* dicant esse veniale laicis eos tangere absque aliqua necessitate; probabile tamen est nullum esse peccatum, juxta usum nostrorum temporum, ut ajunt *Sanch. Dian. et alii ap. Croix n. 225*.

Projicere canibus ossa agni, vel ova, quæ benedicuntur, putat *Greterus* esse illicitum; sed negandum cum *Caj. et Croix n. 227*. Sicut etiam licitum est uti aquâ benedictâ, et candelis ad usum profanum, ut *Croix ibid. cum Tamb. contra alios*.

Missalia autem, et Biblia sacra, sicut etiam sacræ imagines non debent adhiberi ad usum profanum; secùs verò dicendum de aliis chartis, ubi incidenter, et accessoriè inscribuntur nomina sacra. Ita *Croix n. 228. cum Gob.*

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

De baptismo.

- 95 *Quomodo distinguatur baptismus?*
96 *De baptismo fluminis.*
97 *De baptismo sanguinis.*
98 *An, ut martyrium remittat culpam, requiratur in peccatore contritio, vel charitas?*
99 *Quando martyrium gratiam conferat?*
100 *An sint martyres, qui moriuntur in obsequio peste infectorum?*
101 *An liceat se offerre ad martyrium? Vel se prodere catholicum per abstinentiam à carnibus.*

95. — « **N**ON agitur hic de baptismo sanguinis, id est » martyrio; nec de fluminis, seu spiritus, id est contritione, » cum voto baptismi vel desiderio, quia non sunt sacramenta; » sed de baptismo fluminis, qui definitur: *Ablutio corporis » exterior, facta sub præscripta forma verborum.*

Baptismus igitur ex voce græca, quæ significat ablutio-
nem, sive immersionem in aquam, distinguitur in bap-
tismum *fluminis, fluminis, et sanguinis.*

96. — Infrà dicemus de baptismo *fluminis*, qui valde probabiliter cum *S. Th. 3. p. q. 66. art. 2. Salm. de bapt. c. 1. p. 2. dub. unic. n. 24. et seqq. Mag. sent. Sot. Vas. etc.* fuit institutus ante passionem Christi Domini, tempore quo Christus baptizatus est à Joanne. Baptismus autem *fluminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia, cum voto explicito, vel implicito veri baptismi fluminis, cujus vicem supplet (juxta *Trid. sess. 14. c. 4.*) quoad culpæ remissionem, non autem quoad characterem imprimendum, nec quoad tollendum omnem reatum pœnæ: dicitur *fluminis*, quia fit per impulsum Spiritûs sancti, qui flamen nuncupatur. Ita *Viva de bapt. q. 2. art. 1. n. 2. Salm. tr. 2. c. 1. p. 1. n. 2. cum Suar. Vasq. Val. Croix l. 6. p. 1. n. 244. et aliis.* De fide autem est per baptismum fluminis homines etiam salvari, ex *c. Apostolicam, de presb. non bapt. et Trid. sess. 6. c. 4.* Ubi dicitur neminem salvari posse *sine lavacro regenerationis, aut ejus voto. Vide Petroc. p. 142. q. 6.*

97. — Baptismus verò *sanguinis* est sanguinis effusio, seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana, ut docent *S. Th. 2. 2. qu. 124. art. 5. Viva l. c. n. 2. Croix l. 6. p. 1. n. 232. cum Avers. Gob. etc.* Hic autem baptismus æquiparatur vero baptismo, quia quasi ex opere operato ad instar baptismi remittit culpam et pœnam: dicitur *quasi*, quia martyrium non ita strictè operatur sicut sacramenta, sed ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi, ut dicunt *Bell. Suar. Sot. Caj. etc. apud Croix n. 238. et fuscè Petroc. t. 3. c. 2. q. 3.* Ideò martyrium prodest etiam infantibus, dum Ecclesia SS. Innocentes prout veros martyres colit. Hinc benè docet *Suar. cum aliis apud Croix num. 237.* oppositum saltem temerarium. In adultis autem requiritur acceptatio martyrii saltem habitualiter ex motivo supernaturali, *Conin. Caj. Suar. Bon. et Croix n. 231. contra Viva n. 5.* qui nullam requirit acceptationem.

Patet autem martyrium non esse sacramentum, quia martyrium non est actio instituta à Christo; et ideò nec etiam fuit sacramentum baptismus Joannis, qui non sanctificabat hominem, sed tantùm præparabat ad Christi adventum. *Viva l. c. num. 3.*

98. — Quæritur tamen hic I. An, ut martyrium remittat

culpam et pœnam, requiratur in peccatore contritio, vel dilectio Dei super omnia, an sufficiat attritio? Certum est ad remissionem culpæ aliquam pœnitentiam requiri, ex *Trid. sess. 14. c. 1.* Ad quæsitum autem respondent *Wigandt tr. 11. ex. 5. n. 73. Con. t. 8. p. 151. n. 10. Viva d. q. 2. art. 1. n. 4. cum Bell. Caj. Pal. Less. etc. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 238. et 259.* attritionem satis esse ad martyrium, sicut satis est ad baptismum; hoc enim privilegium, dicunt, martyrium obtinere ex privilegio, ut diximus, ob imitationem passionis Christi. Probabilius tamen est, quod requiratur contritio, vel dilectio Dei supra omnia, ut docent *S. Bon. Scot. Con. Sayr. etc. ap. Croix, et Petroc. tom. 5. p. 134. q. 3. ex S. Th. 3. p. q. 66. art. 12. ad 2.* ubi dicit: *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate.* Et probatur ex *Apost. 1. Cor. c. 13. v. 3. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Neque martyrium subire, importat semper charitatem perfectam habere; nam posset quis velle potius mori, quam peccatum novum committere propter metum inferni. Cæterum, ipsi adversarii advertunt necessarium semper esse, ut peccator ante martyrium conetur ad contritionem, vel confessionem, ne periculo damnationis exponatur.

99. — Quæritur II. Quandonam martyrium gratiam conferat, an in instanti mortis, aut vulneris lethalis. Probabile est cum *Suar. Bon. Dic. etc. cum Viva art. 1. n. 6.* conferre gratiam, quando martyr accipit lethale vulnus, aut cruciatum, licet postea miraculosè non moriatur; et ita verè martyr fuit *B. Joannes* in dolium ferventis olei immissus, et regina martyr *B. Virgo Maria*, stans juxta crucem Jesu. Ratio, quia tunc jam in causa mors accipitur.

100. — Not. I. De illis, qui in obsequio pestiferorum ex charitate moriuntur, dicit *Martyrol. Rom. 28. Febr. Quos velut martyres religiosa fides venerari consuevit.* Et veros martyres esse tenent 12 academice, 13 Cardinales, et plus quàm 300 auctores, contra *Hurt. et alios; vide Croix l. 6. p. 1. num. 256.*

101. — Not. II. Illicitum est, sine divino instinctu, vel sine periculo scandali, temerè se ingerere in martyrium, ut communiter docent *S. Th. Navar. Sanch. Dic. etc. cum Croix n. 241.* Tùm quia hæc esset quædam tentatio Dei: tùm

quia homo non est dominus vitæ suæ. Vide dicta l. 4. n. 52. Hinc dicunt *Laym. l. 5. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 6. et Gobatus ap. Croix l. c.* quòd peccaret, qui die veneris, à carnibus abstinendo, manifestaret se catholicum cum periculo vitæ; quia eo casu cessat præceptum ecclesiasticum abstinendi à carnibus, et urget præceptum naturale, quod est potius, servandi propriam vitam.

DUBIUM I.

Quid sit materia baptismi ?

- 102 *Quæ sit materia remota baptismi ?*
 103 *I. Quæ sit materia certè valida ? II. Quæ certè invalida ? III. Quæ dubia ? An in necessitate liceat ibi uti opinione etiam tenuiter probabili ?*
 104 *Dub. 1. An sit materia apta aqua per artem chemicam educta ? Dub. 2. An saliva, sudor, aut lacrymæ. Dub. 3. An aqua fluens ex vite ? Dub. 4. An nix non soluta ?*
 105 *Quæ sit materia proxima baptismi ?*
 106 *Quær. I. An valeat baptismus, si quis projiciat puerum in flumen ? Quid si baptizet cum aqua defluente ex tecto ? An liceat in necessitate projicere puerum in flumen, ut baptizetur ? An autem cum aqua nociva baptizare ?*
 107 *Quær. II. An infans in necessitate possit baptizari in utero matris ? Quid si baptizetur puer tantùm in capite egresso ex utero ? Quær. III. An valeat baptismus, si aqua attingat tantùm vestes aut capillos ? Qu. IV. An valeat baptismus collatus in scapulis, vel pectore ? Quær. V. An requiratur trina ablutio. Quær. VI. An sufficiat ad baptismum una vel altera aquæ gutta ?*

102. — **R**ESP. 1. *Materia remota* licita est aqua consecrata, si haberi potest; valida est omnis, et sola aqua elementaris, quæ morali hominum æstimatione sit naturalis, et usualis, qualis est putei, maris, paludis, pluvie, et item resoluta ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter quoad colorem, saporem, et odorem, alterata sit, ut aqua sulphurea, lixivium, jusculum ita tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modicè admixta, ut usum communem, et æstimationem aquæ retineat. Ratio

» responsionis est, ex *Joan. c. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* Quam *S. Th.* confirmat triplici congruentia: 1. est maxima commoditas aquæ. 2. Ejus facillimus usus. 3. Aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio à peccato.

Unde resolves :

« 1. Inepta materia baptismi est saliva, lotium, lacrymæ, sudor, cerevisia, item aqua sic permixta, ut non amplius sit apta ablutioni, nec vocetur aqua; v. gr. lutum, brodidium, vinum lymphatum, item aquæ artificiales ex rosis, herbis, succisque expressæ; denique nix, grando, glacies non resoluta. Ratio est, quia morali hominum æstimatione non censetur aqua naturalis, et usualis. *Laym. l. 5. t. 2. c. 5. Bon. q. 2. p. 5.*

« 2. Quia de quibusdam tùm ex dictis, tùm aliis dubium est, v. gr. de jusculo et cerevisia valde tenui, lixivio (et secundùm. *Gran. in 3. p. c. 4. tr. 1. d. 3. dub. 2.* aqua rosea); hinc in necessitate licet illis uti, etsi postea baptismus sub conditione sit repetendus. *Vide Escob. Laym. Bonac. ll. cc.*

« 3. Uti aquâ impurâ, vel non consecratâ, cùm alia haberi potest, esse grave peccatum, ob sacramenti irreverentiam. *Bon. l. 1. c. 1. n. 7. Diana part. 9. t. 6. r. 33. et alii quinque.* Licet *Granad. et Quintanad.* putent non esse mortale, uti non benedictâ. » (*Genericè loquendo omissio aquæ benedictæ est mortale, ut dicunt Cont. Tourn. de bapt. cap. 3. art 1. in fin. Ronc. c. 2. q. 2. cum Cabrera, et Diana, ac Salm. tr. 2. c. 2. p. 1. n. 14. cum Conc. Bon. et Pal. ex Clement. unic. de bapt. contru aliquos. In baptismo autem privato dicit Croix n. 263. cum Pasq. Gob. et Quintan. non requiri aquam benedictam (1); sed Cont. Tourn. paulò suprâ, asserit quòd baptismus, adhuc necessitate domi conferendus, debet curari, ut fiat aquâ benedictâ, sive lustrali ob majorem decentiam).*

(1) « Cæterùm, inquit *S. Alph. Hom. ap. tr. 14. n. 8.* in baptismo privato probabile est, licere uti aqua non consecrata: *Croix, Gobat. Pasqual. et Quintan.* »

103. — Certum est et de fide, materiam remotam baptismi non esse aliam nisi aquam materialem, sive elementarem, ut patet ex concilio Lateran. relato in *c. Firmiter, de sum. Trin. et ex Trid. sess. 7. can. 2. de Bapt. ex illo Joannis c. 3. §. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Hinc videndum, quænam aqua sit materia valida, quæ invalida, et quæ dubia? I. Materia certè valida est 1. *Aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum, et pluvialis; et sic quæcumque simplex et pura, quæ propriam aquæ speciem retineat; nec refert frigida sit an calida: ita habetur in Rituali rom. jussu Gregorii XIII. 2. Est aqua resoluta ex nive, glacie, vel grandine, ut communiter docent Concina. num. 6. Cont. Tourn. loc. cit. v. Collig. 1. Holzm. t. 2. c. 1. num. 95. Elbel t. 5. p. 23. num. 8. Ronc. de bapt. c. 2. Croix l. 6. p. 1. n. 262. et alii omnes. 3. Aqua sulphurea sive mineralis ut docent S. Th. 3. p. q. 66. art. 4. ad 4. Cont. Tourn. ibid. Holzm. Salm. l. c. n. 9. Antonin. et alii communiter. 4. Aqua defluens in tempore nimboso à pariete, foliis, etc. Cont. Tourn. Elbel n. 8. Ronc. c. 2. cum Gob. et Tamb. 5. Aqua turbida mixta cum alia re, modò aqua sit materia prædominans. S. Th. loc. cit. Cont. Tourn. Salm. ibid. Elb. Antoine, etc. sed vide infra not. III. 6. Ros, et aqua collecta ex vaporibus densatis, putà in operculo ollæ, ut Croix l. 5. part. 1. n. 22. Diana p. 3. tr. 4. r. 5. etc. et adhæret Conc. tom. 8. p. 127. n. 9.*

II. Materia certè invalida est 1. Sanguis, lac, vinum, urina, pituita, ut *Gonet, Man. tom. 6. c. 3. Salm. ibid. n. 5. et alii communiter. 2. Succus expressus ex floribus, herbis, et radicibus, ut S. Th. l. c. ad 3. Salm. tr. 2. c. 2. p. 1. n. 6. Gonet, Cont. Tourn. loc. cit. Elbel, etc. Textum autem Stephani II. ap. Gonet p. 88. ubi videtur Pontifex approbasse baptismum collatum in vino, suppositum esse probant ipse Gonet, Conc. n. 7. Cont. Tourn. ibid. cum Juenin. et Petrocorens. tom. 3. pag. 154. cum P. Nicolai.*

III. Materia autem dubia est 1. Jus, et lixivium; nam licèt *D. Th. d. q. 66. art. 4. ad 2. et 4. dicat esse hæc materiam aptam ad baptismum, modò non habeant plus de aliena substantia quàm de aqua, imò addat, quòd si ex liquore sic inspissato exprimat aqua subtilis, bene potest in ea fieri*

baptismus, sicut et in aqua quæ exprimitur ex luto; et S. Doctorem sequuntur *Conc. Salm. ibid. n. 9. Cont. Tourn. et Ronc.* Attamen non improbabilius *Palaeus tr. 19. part. 3. Elbel, Tamb. Dian. et Pasq.* dicunt absolutè jus, et lixivium esse materiam dubiam, cum talis aqua magis corpus polluat, quam lavet. 2. Aqua ex sale soluto; nam licet *Pal. Laym. Sylv. Ang.* omninò negent hanc esse materiam aptam; tamen *Cont. Tourn. cum Bonacina et Henr. ac Conc. cum Leand. et communi* ut asserunt, dicunt esse materiam dubiam. 3. Cerevisia tenuis, ut ajunt *Antoine q. 1. et Sporer de bapt. p. 185.* et idem ait de tenui atramento *Croix n. 261. cum Gobat. Steph. et Esparsa.* Et hic sedulò notandum, quòd in extrema necessitate, si nequit haberi materia certa potest et debet adhiberi qualiscumque dubia sub conditione, ut communiter dicunt *Conc. Cont. Tourn. Salm. ib. n. 12. cum Lugo, Dian. et aliis.* Et hoc procedit non solum quando est tantum probabilis opinio pro valore sacramenti, sed etiam quando est tenuiter probabilis, ut rectè dicunt *Antoine n. 2. Holzm. n. 99. Viva Append. ad pr. damn. n. 11. v. Ratio. Croix lib. 6. part. 1. n. 110. et p. 2. n. 1162. ac Carden. in prop. Innoc. XI. cum Navar. et Soto.* Ratio, quia conditio sub qua sacramentum ministratur, sat reparat sacramenti injuriam; et contrà, necessitas sat justa est causa, sacramentum eo casu sic conditionatè ministrandi. Et quando minister potest sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ sic conferre, ad id tenetur quidem sub gravi ex præcepto charitatis; ut benè ajunt *Antoine, Holzm. et Viva l. c. cum Suar. Cajet. Sylvest. Con. Vasq. etc. communiter.*

104. — Dubitatur 1. An aqua per artem chemicam educta ex floribus, plantis, aut radicibus sit materia valida ad baptismum, vel saltem dubia?

Prima sententia omninò negat, et hanc tenent *Gonet. Man. tom. 6. c. 3. Conc. n. 12. Salm. tr. 2. c. 2. p. 1. n. 6. et alii cum D. Th. 3. p. q. 66. art. 4. ad 3.* Quia aqua artificialis nunquam naturalis dici potest.

Secundu sententia verò, quam tenent *Elbel p. 25. n. 10. Holz. p. 21. n. 93. Cont. Tourn. cum Tann. Putean. etc. Croix n. 260. cum Dic. Item Conc. Tamb. Verricel. apud Renzium l. 1. de sacram. meritò censet hanc esse materiam probabiliter validam, et idcò in necessitate extrema omninò adhibendam.*

Ratio, quia, ut philosophi existimant, in mixtis verè et formaliter remanent elementa, quorum quodlibet virtute chemicà resolvi potest in suam speciem, ita ut materia aquea sic resoluta sit vera aqua, prout satis videtur probari ex *c. In quadam, de cel. miss.* ubi Pontifex loquens de aqua quæ fluxit ex latere Christi, asserit verè esse aquam, quia dicit: *Sive fuit divinà virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta; cum naturaliter (nota) possit elementatum in elementa resolvi.* Dices: Ergò etiam vinum, et oleum hoc modo posset esse materia baptismi; cum in vino et oleo etiam adsit pars aquea. Respondeo, quòd ideò hæc non sunt materia baptismi, quia substantia aliena superat aquam: sed bene posset esse, si per artem aqua è vino vel oleo eliceretur. Nec convincit ratio opposita, nempe quòd aqua artificialis differat specie ab aqua naturali; talis enim aqua extracta, ut suprà, dicitur quidem artificialis, non quia arte fiat aqua, id quod non erat aqua; sed quia aqua naturalis arte separatur ab aliis elementis. Meritò autem dicunt *Sylv. v. Bapt., et Renzi l. c. q. 5.* aquam distillatam esse veram aquam naturalem, cum sit ejusdem speciei; unde aquæ distillatæ cum rosis, aut aliis floribus similibus cum materia prædominans sit aqua, videtur non dubitandum esse materiam validam (quamvis non licitam) ad baptismum, ex *D. Th.* qui cum aliis communiter (*d. qu. 66. art. 4. ad 2.*) docet aptam esse materiam aquam mixtam cum alia re, quæ sit minoris quantitatis. *Vide dicta n. 103.*

Dub. 2. An saliva sit materia apta, vel saltem dubia ad baptismum? Affirmant *Pal. p. 3. n. 2. et Conc. apud Tamb. Gonet, Cont. Tourn. Salm. Croix, Antoine, et alii communiter*; et patet ex *cap. penult. de bapt.* ubi *Innoc. IV.* loquens de baptizatis cum saliva respondit: *Dubitare non debes illos verum non habere baptismum.* Et idem dicendum de sudore cum *Tamb. Renzi, Fill. c. 2. n. 26. et communi, ex cap. In quadam, de cel. miss.* ubi dicitur: *Cum in sacramento baptismatis non regeneremur in phlegmate, sed in aqua.* Et idem rectè docet *Filliuc. cum aliis communiter* de lacrymis ob eandem rationem, accepto nomine *phlegmatis* tam pro sudore, quàm pro lacrymis.

Dub. 3. An sit materia baptismi aqua fluens ex vite, aliisque arboribus? Omnino negant *Salm. Ronc. et Conc. tom. 8. p.*

127. n. 8. cum communi ut asserit, quia liquor ille succus est arboris, non aqua. Sed meliùs *Cont. Tourn. cum Dicast. et Renzi cum Pasqualig. Verricel. etc.* dicunt esse materiam dubiam.

Dub. 4. An glacies sive nix non soluta sit materia apta? Negant pariter *Conc. n. 7. et Croix n. 262. cum Tannero*; sed dubitant *Aversa ap. Croix, et Hurtad. Præp. ac Putean. apud Renzi*; idè dicunt posse in necessitate adhiberi sub conditione.

105. — « Resp. 2. Proxima materia baptismi est ablutio :
 » quæ validè fit tribus modis, scilicet immersione, aspersione,
 » infusione, juxta praxim diversarum Ecclesiarum, quæ ser-
 » vanda est, ita ut morali hominum judicio censeatur esse
 » lotus; ex præcepto tamen caput abluendum est, quod praxis
 » Ecclesiæ habet. Ratio est, quia quolibet horum modorum
 » fieri potest ablutio. Et quidem trinam mersionem non esse
 » necessariam constat ex concilio Toletano. Ubi tamen trina
 » vel immersio, vel infusio usitata est, sine gravi peccato ex-
 » tra necessitatem non potest prætermitti, ut docet *S. Th.*
 » Etsi alii, secluso scandalo, et contemptu, dicant esse tan-
 » tùm veniale. *Laym. l. c. n. 4. Bonac. loc. cit.*

Unde resolves :

« 1. Non verè baptizatur, cujus nulla pars immediatè tan-
 » gitur, v. g. infans in utero, vel cista; vel adultus, cujus
 » vestes tantùm sint aspersæ. *Laym. Bon. ll. cc.*

« 2. Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur emergat
 » ex aqua : » (*putà si immergatur in flumen*): « quod tamen
 » grave peccatum est, esto nihilominùs moriturus esset bap-
 » zandus. *Laym. c. 3. n. 5.* uti etiam matrem nihilominùs
 » morituram, vel mortis ream aperire, ut infans baptizetur.
 » *Laym. l. 5. t. 2. c. 3. num. 2.* ubi unicum casum excipit,
 » si nimirùm mater sit morte digna, et si supplicium dif-
 » feratur, infans certò sit moriturus ante nativitatem. Verùm
 » rectè addit ex *Suar.* casum hunc vix moralem, et practi-
 » cum esse. *Vide l. c.*

« 3. Invalidus est baptismus: I. Si quis labatur in aquam,
 » vel ab alio protrudatur, et tamen formam pronuntiet. II.
 » Si formam pronuntians teneat puerum, et alter abluat,

» aut aquam effundat. III. Si aqua è fonte prosiliente , aut
 » stillicidio decedente , baptizandus ei se submittat. Ratio est ,
 » quia in his non tu , sed alter abluit. *Bon. part. 3.*

« 4. Ob probabilem utrinque sententiam , dubius est baptis-
 » mus (ideòque si in necessitate datus , repetendus sub con-
 » ditione) I. Si tantùm una , vel altera gutta sit adhibita ,
 » v. gr. si more aquæ lustralis multitudo sit aspersa : quod
 » sine necessitate non licet , cùm ad ablutionem non videatur
 » sufficere quicumque aquæ contactus , sed requiri successi-
 » vus , cum aliquo motu. *Bon. l. c. n. 13. ex Suar. Conc. etc.*
 » In casu tamen necessitatis sic baptizare concedunt *Merat.*
 » *t. 3. d. 2. sect. 4. Granad. in 3. p. c. 4. tract. 1. d. 4.*
 » *n. 12.* II. Si tantùm sit abluta pars minùs principalis , v. g.
 » digitus , manus , vel pes ; nam si pars principalis , v. g.
 » scapulæ , vel pectus , nemo dubitat. III. Si tantùm crines
 » sint tincti , licèt *Card. de Lugo resp. mor. l. 1.* hunc validum
 » esse contendat. IV. Si infans tinctus sit involutus adhuc se-
 » cundinis suis , id est pelliculæ corpori annatæ , in neces-
 » sitate tamen in prædictis casibus baptismus debet conferri
 » sub conditione. *Hurtad. de bapt. d. 1. diff. 12. Vide Laym. l. c.*

« 5. Cùm terna usurpatur affusio , aut immersio , ad nomen
 » Patris , et Filii , et Spiritùs sancti , juxta praxim Ecclesiæ ,
 » cavendum , ne ter , sed semel tantùm pronuntietur forma.
 » Quæ rectiùs ita profertur , ut ante tertiam ablutionem non
 » finiatur ; quia forma , cum quacumque prima ablutione ,
 » baptismum constituit. *Reg. lib. 27. cap. 3. Laym. lib. 5.*
 » *t. 1. c. 3.*

106. — Quær. I. An valeat baptismus , si quis præcipientem
 infantem in puteum , vel flumen , et formam pronuntiet ?

Prima sententia negat , et hanc tenet *Scotus in 4. dist. 4.*
q. 3. quem sequuntur *Mastrius , Frasaen , et alii Scotistæ com-*
muniter , item *Cont. Tourn. de bapt. cap. 3. art. 2. concl. 2.*
et Sotus , Sylvest. Tamb. etc. Ratio , tum quia non potest dici
 immersio , cui non succedit emersio ; tum quia contactus aquæ
 debet esse à ministro , at hæc ablutio non esset à ministro ,
 sed à mole corporis in aquam projecti.

Secunda sententia verò affirmat , et hanc tenent *Suar. d. 20.*
sect. 3. Laym. p. 3. n. 3. Conc. t. 8. p. 158. n. 11. cum Gonet ,
Val. Pal. Panorm. Fill. Vict. etc. et probabilem vocant *Salm.*
(r. 2. c. 2. p. 2. n. 25.) Ratio , quia jam ibi concurrunt omnia

requisita, nempe materia, forma, et intentio ministri. Utraque probabilis est, et quia talis quæstio vix ad praxim reducitur, superfluum censeo in ea immorari. Benè autem advertit *Cont. Tourn. loc. cit.* quòd si talis infans superviveret, esset quidem saltem sub conditione rebaptizandus.

Certum est autem cum *Cont. Tourn. ibid. et communi*, validum esse baptismum collatum cum aqua venenata, aut ferventi, unde infans enecetur; quia hæc jam reputaretur usualis ablutio: quòd autem aqua sit venenata, fervens, vel gelida, per accidens se habet. Sic etiam validus est baptismus, si quis, aquâ defluente ex tecto, puerum submittat, et formam proferat, ut rectè dicunt *Conc. n. 12. et Cont. Tourn. de bapt. cap. 3. art. 2. concl. 1. v. Collig. 4.* Secùs autem ait *Cont. Tourn. ibid.* si accessio aquæ ad corpus baptizandi fieret ab altero, quia tunc non verificaretur forma, *Ego te baptizo*, quæ requirit abluitionem faciendam ab ipso baptizante.

Omninò autem tenendum est cum *Cont. Tourn. loc. cit. in fin. Conc. l. c. Antoine p. 470. art. 4. Salm. c. 2. n. 35. cum Suar. Vasq. Pal. Conc. Laym. etc. communiter (contra aliquos apud Dian. p. 5. tr. 3. r. 14.)*, nunquam licère projicere in flumen infantem ad eum baptizandum, quamvis sit mox decessurus sine baptismo; quia nunquam est licitum ob quamcunque causam directè occidere innocentem; ex illo *Exodi c. 23. §. 7. Insontem, et justum non occides.* Et ob eandem rationem non licet incidere ventrem matris proximè morituræ, ut ejus infans baptismum recipiat, ut communiter etiam dicunt *Cont. Tourn. de bapt. cap. 7. art. 1. sect. 2. concl. 1. in fin. ac Salm. tr. 2. c. 2. p. 2. n. 35. cum Con. (contra Comitol.) ex D. Th. qui in 3. p. q. 68. art. 11. ad 3. id expressè docet*, inquires; *Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Nec valet dicere, quòd vita spiritualis infantis debet præferri vitæ temporali matris; nam hoc intelligendum, ut quisque debeat quidem mortem sustinère, non autem, ut debeat, nec ut possit mortem sibi inferre, vel alterum occidere pro salute spirituali proximi. Hic autem benè advertit *Croix n. 293.* quòd, mortuâ matre, statim os ejus est aperiendum, ne infans suffocetur. Insuper putat *Cont. Tourn. de præc. charit. sect. 4. punct. 1. concl. 2. v. Collig. 3. et Croix l. 6. p. 1. n. 293. cum Raynaud. Gob. etc. ex judicio*

medicorum, benè posse matrem incidi, et infantem baptizari, sine morte matris: et hoc casu dicunt licitè fieri incisionem, et matrem tenèri eam pati, si mater sit robusta, et chirurgus peritus: et hoc casu dicunt DD. licitè chirurgum incisionem facere, et matrem tenèri eam pati, etiamsi (*Cont. Tourn. ibid.*) adsit periculum suæ mortis. Sed hic omninò puto distinguendum: nam respectu ad chirurgum, dico tunc cum posse incidere matrem, si periculum mortis illius sit remotum; secùs si proximum aut probabile: sicut enim illicitum est occidere matrem, ut puer baptizetur, ut vidimus cum communi ex *D. Th.*, sic etiam non licet matrem probabili periculo mortis exponere: quod periculum non video quomodo vitari possit in tam gravi incisione; videant periti. Respectu verò matris, an ipsa teneatur incisionem pati? Dico quòd si periculum ejus mortis sit probabile, ipsa nec tenetur, nec potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere; tantum posset, et teneretur illam pati, si chirurgus sine suo consensu (ipsa omninò negativè se habente) incideret, et spes probabilis adesset prolem fore baptizandam, ac mors matris non esset certa, nam in dubio utrinque probabili tenetur ipsa vitam spiritualem prolis vitæ suæ temporali præferre. Si autem sua mors sit certa, et salus prolis dubia, nempe si proles non sit certè baptizanda, non tenetur ipsa vitam certè amittere (1). Valde autem probabile est id quod dicunt *Suar. q. 68. art. 11. et Renzi q. 6. cum Laym. Con. Fill. et Præp.*, nempe quòd si mater gravida sit per sententiam ad mortem damnata, quamvis ex *l. Prægnantis, ff. de pœnis* debeat expectari tempus puerperii, tamen, si censetur infans certè decessurus, priusquam perveniat ad lucem, licitè potest secari venter matris, anticipando supplicium, quia aliàs dilatio, quæ datur ob bonum prolis, tunc cederet in ipsius detrimentum.

Illic operæ pretium duxi adnotare plura quæ scribit *Franciscus Emanuel Cangiamila in sua Embryologia sacra*. Ibi dicit I.

(1) Dicunt hodie medici, incisionem seu sectionem cæsaream matris vivæ quidem semper periculosam esse vitæ, ita tamen ut ex tribus sectis matres duæ in vita servari possint. Ast etiam notandum esse dicunt, hujusmodi sectione infantes feliciter vita et baptismo donari, nec, omisa incisione, matrem in minoris vitæ periculo versari, cum ex communiter contingentibus fœtus mortuus in utero disseccari nequeat absque magno vitæ matris discrimine.

l. 2. c. 15. n. 1. cum Possev. Gobat, etc. graviter peccare parentes qui negligunt incisionem fieri et chirurgos qui eam facere omittunt, aut differunt. Additque parochum tenèri ad omninò curandum, ne mater sepeliatur, antequam fiat incisio: alioquin putat ipsum non excusari ab irregularitate, cùm parochus teneatur ex officio mortem infantium impedire. Sed huic non acquiesco, quoniam eo casu, cùm vita infantis non sit certa, ne certa quidem ejus est mors, *juxta dicenda l. 7. num. 347.* Item addit *c. 16.* quòd si invenitur alius, etsi non chirurgus, qui animum habet ad incisionem perficiendam, ille tenetur eam efficere. Dicit *II. l. 4. c. 6. n. 2.* quòd cùm infans non est omninò egressus ab utero, baptisma non est ministrandum à parochò, sed ab obstetricè. Dicit *III.* maximè animadvertenda esse eo casu, quæ sint signa periculi in pueris, nempe 1. Si puer oritur sine vagitu, et lacrymis. 2. Si modicè respiret. 3. Si apparet lividus præsertim in facie, aut capite. 4. Si nascitur post multum temporis, aut laboris obstetricis. 5. Si nascitur ante septimum mensem. 6. Si cranium habet valde molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas.

Quamvis autem non liceat puerum in flumen injicere, licitum est tamen aquâ etiam gelidâ, si alia habèri non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda, ut communiter docent *Laym. c. 3. n. 5. Pal. p. 4. n. 24. et Salm. tr. 2. c. 2. p. 2. n. 36. cum Vasq. Con. etc.* Tùm quia mors tunc non eveniret per se, sed per accidens, cùm talis actio per se non tendat ad occisionem, sed ad ablutionem; tùm quia eo casu potest negligi parva illa vitæ jactura, ut infans vitam æternam consequatur.

107. — Quær. II. An infans in periculo mortis possit baptizari in utero matris? Certum est non valère baptismum, si conferatur puero, abluendo corpus matris, quia infans est persona à matre distincta. *Vide S. Th. 3. p. q. 68. art. 11. Salm. tr. cit. c. 6. p. 1. n. 5. et alios communiter id docentes.* Dubium est, an validè baptizetur infans, reserato uteri ostio, etsi nulla pars in lucem prodierit, si per instrumentum puer aquâ tingi possit?

Prima sententia negat, et hæc tenent Nat. Alex. de bapt. c. 7. prop. 2. in fine, Conc. tom. 8. pag. 135. num. 5. cum Comit. et Juenin. ac Gotti apud S. P. Bened. XIV. in Op.

de Syn. lib. 7. cap. 5. n. 2. Ratio, quia nemo dicitur renasci, nisi prius fuerit natus, ex illo Joan. c. 3. §. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* Et pro hac sententia videtur esse D. Th. loc. cit. cum dicat: *Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, non ergo debet aliquis baptizari, priusquam ex utero nascatur.* Et clarius D. August. (Epist. 57. ad Dardanum) ubi ait: *Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, cum restat illi adhuc nasci, renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.* Idque confirmant ex S. Isidoro, qui in c. 115. de consec. dist. 4. sic loquitur: *Qui natus adhuc secundum Adam non est, regenerari secundum Christum non potest,* Et ex Rituali rom. de bapt. ubi dicitur: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Secunda sententia verò satis probabilis affirmat, et hanc tenent Suar. 3. p. d. 25. sect. 6. art. 11. p. 276. Cont. Tourn. de bapt. c. 3. art. 2. concl. 1. v. Collig. 3. Holzm. t. 2. num. 137. Elbel t. 3. p. 29. n. 22. et 51. cum Babenst. et Croix l. 6. p. 1. n. 292. Con. Pignat. Led. Victor. Dic. et Aversa, atque non parùm adhæret noster P. Bened. XIV. l. c. Ratio, quia talis infans, cum jam existat homo viator, benè potest baptismum suscipere. Nec obstat ratio opposita, quòd nequeat renasci, qui nondum est natus; verè enim aliquis potest dici natus, non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, juxta illud Angeli ad Joseph de conceptu Verbi incarnati Matth. c. 1. §. 20. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Id asserit idem D. Thom. in 4. dist. 12. q. 1. ad. 2. dicens: *Duplex est carnalis natiuitas, prima in utero, secunda extra uterum.* Et apertius hoc probatur cap. 4. de bapt. ubi Innoc. IV. exprimit, tum dici hominem nasci, cum concipitur, inquit: *In carnali generatione, quæ proles ex viro et foemina nascitur.* Nota to ex viro et foemina nascitur: ergo proles tantum ex viro et foemina generata, benè dicitur nata. Et de hac natiuitate congruè explicari potest textus Joannis: *Nisi quis renatus fuerit, etc.* Nam ex Trid. sess. 5. in decr. de peccat. orig. n. 4. textus ille sic explicatur: *Ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Ergo sicut peccatum originale per solam generationem contrahitur, ita pariter, ut homo per gratiam regeneretur, sufficit ut sit jam generatus; et idè à concilio baptismus vocatur regeneratio,

quæ non requirit nativitatem ex utero, cum non hæc dicatur generatio, sed tantum illa nativitas quæ fit in utero, et quæ homo sit filius Adam. Atque tandem *D. Th.* in hanc sententiam clarè descendisse videtur in *eod. art. 11.*, ubi postquam negavit posse puerum baptizari in utero matris, ratione ductus, quia ut ait: *Corpus... infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua; statim addit: Nisi fortè dicatur quòd ablutio baptismalis, quæ corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest.* Ergò *S. Doctor*, sicut etiam *S. Augustinus*, *S. Isidorus*, et *Rituale rom.* negando puerum posse baptizari in utero matris, intelligunt de puero in utero omninò clauso, quem validè baptizari per abluitionem corporis matris *Julianus* et alii hæretici perperam contendebant, contra quos scripsit *Augustinus*; non verò de puero qui per aliquod instrumentum potest tingi aqua; hoc enim casu, ut ait *Cont. Tourn. loc. cit.* explicans verba *Augustini*, per uteri aperitionem saltem inchoatè dicitur natus; et ideò *D. Th.* dixit puerum in utero non posse baptizari, nisi ablutio ad filium in ventre existentem perveniat. Addit quidem: *Sed hoc esse non potest*; intelligendo utique de ablutione sine aperitione uteri: ergò, si potest ablutio pervenire, ut benè arguit *S. P. Bened. XIV.*, benè potest puer baptizari. Et quòd possit, ait noster Pontifex cum *Comitolo* constare ex iudicio medicorum et obstetricum. Imò affert doctrinam *Syvestri* et *Vasq.* qui dicunt infantem involutum in secundina validè baptizari, quia hæc habetur velut pars infantis: cum ipsa continuetur cum infantis umbilico: idque probabile censent *Laym. c. 3. n. 5. ex Ang. et Arm. ac Dian. part. 5. tom. 5. r. 4. cum Præp.* His positis, puto in casu necessitatis omninò infantem (sub conditione tamen) baptizandum esse in prædictis casibus.

Hic autem sedulò animadvertendum est id quod docet *D. Thom. d. q. 68. art. 11. ad 4.* dicens: *Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors imminet; si tamen primò caput egrediatur debet baptizari, periculo imminente: et non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nullu exteriorum partium integritas vitæ ita con-*

sistit, sicut in capite, videtur quibusdam quòd propter dubium, quodcumque alià parte corporis ablutà, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo. Quidquid autem dicant Sambovius, et Pontas apud Cont. Tourn. loc. cit. v. Collig. 2. in fin. nempe quòd puer etiam eo casu baptizatus in capite, est sub conditione rebaptizandus, quia non dicitur natus qui solùm caput extra matrem extulit; certum tamen mihi est oppositum ex præfata doctrina D. Th. et aliorum communiter, cum Rit. romano, ubi id expressè sic confirmatur: Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si virus evaserit, iterùm est baptizandus.

Quær. III. An valeat baptismus, si aqua tantùm vestes, aut crines baptizandi tangat? Si tangat tantùm vestes, invalidus est baptismus, ut meritò dicunt Concina p. 154. n. 8. Elbel n. 25. et Salm. tr. 2. c. 2. p. 3. n. 57. cum aliis comm. (contra Leandrum, qui laudat Sot. Valent. etc.) Idem dicunt Conc. n. 7. et Bon. d. n. 21. cum aliis de baptismo cum ablutione crinium dumtaxat; sed absolutè oppositum tenent Tol. Val. Con. Henr. Graff. Led. etc. ap. Lug. Resp. mor. l. 1. dub. 1. n. 3. quorum sententiam meritò ipse Lugo probabilem putat. Ratio, quia, licèt capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed benè sunt hominis partes, sicut est cutis exterior, quæ neq̃ etiam informata est ab anima, et tamen hæc utique in baptismo aqua abluitur, non cutis interior. Hinc rectè dicunt Laym. c. 3. n. 3. Lugo loc. cit. Viva q. 2. art. 3. n. 5. Salm. ibid. n. 41. et Diana p. 5. tr. 3. r. 4. cum Soto, Vasq. Præpos. et Ochagav. baptismum in crinibus collatum saltem dubium esse; et ideò in necessitate, si in alia parte præstari non potest, adhibendum esse sub conditione. Et idem dicendum est cum Salm. tr. 2. c. 2. p. 3. n. 41. in med. et D. Thom. ut suprà, de baptismo qui non possit conferri, nisi in digito, pede, aut alia minima parte corporis.

Quær. IV. An valet baptismus collatus in alia parte principali, quàm in capite, putà in scapulis, humeris, vel pectore? Communissima est sententia affirmativa, quam tenent Busemb. ut suprà, et Suar. d. 20. sect. 3. Fill. c. 2. n. 53. Holz. n. 105. et alii apud Croix n. 267. Attamen Conc. t. 8. p. 154. n. 9. Anacl. p. 548. et Platell. apud Croix l. c. putant dubium esse

tale baptismum; et ratio videtur assignari à *D. Th.* 3. p. q. 68. art. 11. ad 4. ubi ait: *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quoddam propter dubium, quæcumque aliâ parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, etc.* Unde propter ali-quale dubium, quod in tali baptismo præterquam in capite collato intervenit, meritò dicunt *Viva q. 2. art. 3. n. 5. et Salm. l. c. n. 39. cum Trull. Led. Turrebl. et Ant. à Spir. S.* ad majorem cautelam licitè posse illum repeti. Et idem sentit *Cont. Tourn. de bapt. cap. 3. art. 2. concl. 1. v. Collig. 2.* dicens: *Sed quia in re tanti momenti tutiora semper sequenda sunt, quisquis alibi quàm in capite baptizatus fuerit, denuò re-baptizandus est sub conditione, ex D. Th. qui alibi (q. 66. a. 7. ad 3.) sic ait: Si totum corpus aquâ non possit perfundi propter aquæ paucitatem, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ.*

Quær. V. Utrùm ad baptismum requiratur trina ablutio? Quod ad validitatem spectat, nulli dubium, validum esse baptismum per unam ablutionem collatum, ut omnes docent cum *D. Th. q. 66. a. 8. ex can. De trina, de consecr. dist. 4.* ubi *D. Gregorius* id ut certum habet dicens: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo vel ter vel semel immergere.* Et aliquando in Ecclesia una tantùm immersio adhibita fuit, ut ferunt *Antoine, Renzi, et alii.* Verùm *Laym. c. 3. n. 3. et Elbel t. 3. p. 29.* dicunt in hoc servandam esse consuetudinem uniuscujusque Ecclesiæ. In nostro autem Rit. rom. trina præcipitur infusio. Utrùm verò hic ritus servandus sit sub mortali? Negat *Holzm.*, sed veriùs affirmat *Renzi*, quia hujusmodi ritus est materia satis gravis; cùm enim in baptismo exprimatür mysterium SS. Trinitatis, congruum est, ut trinâ ablutione conferatur. Idque expressè docet *D. Th. l. c.* loquens de trina immersione, quæ tunc fieri solebat, dicens: *Et idèò graviter peccaret aliter baptizans; quasi ritum Ecclesiæ non observans.* Et hic benè advertunt *Antoine, et Busemb. ut suprâ cum Reg. et Laym.* curandum, ut forma non perficiatur, antequam trina fiat ablutio.

Quær. VI. An sit materia sufficiens una vel altera gutta ad baptizandum? Affirmant *Vasq. d. 145. num. 23. et Henriq. apud Laym. c. 3. ac Leand. et Diana cum Ochagav. Merat.*

etc. Sed negant communiter Laym l. c. Cont. Tourn. loc. cit. v. Collig. 1. et Conc. p. 126. n. 4. cum Soto, Suar. et Val. præsertim si gutta non fluit. Probabilius tamen Holz. n. 99. et Elbel n. 16. dicunt esse materiam dubiam. Sed si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi, Anacl. p. 347. n. 14. et Bon. punct. 3. n. 14. cum Scot. Con. Fill. et communi habent baptismum ut certum, licet Cont. Tourn. ibid. in fin. adhuc de hoc dubitat.

DUBIUM II.

Quænam sit forma baptismi?

- 408 Vide apud Busemb. quæ sint formæ validæ. Quæ invalidæ. Quæ dubiæ.
 409 Quot modis possit forma variari? I. Per mutationem.
 410 II. Per corruptionem. III. Per transpositionem.
 411 IV. Per additionem.
 412 V. Per diminutionem. Hinc dub. 1. An invalidet baptismum omis-
 sio conjunctionis Et? dub. 2. An omissio præpositionis In?
 dub. 3. An valeat baptismus collatus tantum in nomine
 Christi?

408. — « **R**ESP. Forma necessaria baptismi est hæc: Ego
 » te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,
 » Amen. A qua non differt illa Græcorum substantialiter:
 » Baptizetur (vel, ut Arcudius vult, baptizatur) servus Chri-
 » sti, in nomine Patris, etc. » (Damnata fuit ab Alexand.
 VIII. propos. 27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma
 collatus: In nomine Patris, etc. prætermisiss illis; Ego te
 baptizo). « Porro quinque sunt, quæ significantur in prola-
 » tione formæ, juxta quæ valor ejus debet expendi: 1. Per-
 » sona baptizantis, saltem implicite, quod in forma Græco-
 » rum non negligitur, cum te baptizetur idem valeat, ac
 » baptizetur à me. 2. Actus baptizandi, quia alioqui forma
 » non haberet connexionem cum materia, eamque non deter-
 » minaret, cum ablutio ad varios fines possit referri. 3. Per-
 » sona baptizandi, quia, uti ablutio, ita et forma circa cer-
 » tam personam versari debet. 4. Unitas divinæ naturæ, quod

- » fit per voces, *in nomine*. 5. Trinitas personarum : idque
 » explicitè, et distinctè vulgaribus vocabulis. *Fill. c. 3.*
 » *Laym. c. 4. Bon. p. 4.*

Unde resolves :

« 1. Validè baptizat, etsi venialiter peccet, qui pro *baptizo*,
 » dicit, *abluo*, *mergo*, etc., vel pro *te*, utitur communi no-
 » mine, Græcorum more, vel proprio; vel *baptizo Petrum*;
 » vel qui honoris causâ dicit, *baptizo dominationem vestram*.
 » *Laym. c. 4. n. 6. Bon. p. 4. n. 9. et seq.*

« 2. Valet forma, etsi omittat *Ego*, et *Amen*; quia omnia
 » significata per formam salvantur, secùs si omittat *te*: quia
 » non significatur persona baptizandi. *Ibid.* » (*Est communis*
cum Salm. de bapt. c. 3. p. 2. n. 6. et p. 4. dub. unic. n. 59.)

» 3. Non valent hæ formæ: *Baptizo te in nominibus Patris*,
 » et *Filii*, etc., quia multiplicatur natura, seu essentia divina.
 » 2. *Baptizo te in Patre*, et *Filio*, etc. vel *cum Patre*, etc. vel
 » *per Patrem*; vel *in nomine Patris*, *per Filium in Spiritu*
 » *sancto*; vel *in fide*, *virtute*, *majestate Patris*, etc. (quam
 » tamen alii dubiam esse volunt). Ratio est, quia significatur
 » diversitas essentiæ, aut certè unitas non satis exprimitur.
 » 3. *Baptizo te in nomine Dei*, vel *sanctiss. Trinitatis*: vel
 » *in nomine Dei unius*, et *trini*: vel *in nomine trium perso-*
 » *narum*: vel *Patris*, et *Filii*, omissâ personâ *Spiritus sancti*.
 » Ratio est, quia non exprimuntur distinctè tres personæ. 4.
 » *In nomine Domini nostri Jesu Christi*, quâ tamen formâ
 » olim apostolos usos, sed ex speciali privilegio, multi docent;
 » alii negant, dicuntque eos baptizasse *in nomine Christi*,
 » addendo illud nomini secundæ personæ, non omissis nomi-
 » nibus aliarum personarum. Dum ergò *Nicolaus Papa* dixit,
 » eam formam valere, vel intellexit, si pro nomine *Filii*
 » ponatur nomen *Christi*, vel *in nomine Christi*, pro vice
 » *Christi*, intellexit; vel locutus est ut doctor privatus. *Vide*
 » *Auct. cit.*

» 4. Dubiæ sunt formæ, ob sententiam utrimque probabi-
 » lem Auctorum: I. *Baptizo te in nomine Patris*, *in nomine*
 » *Filii*, *in nomine Spiritus sancti*: vel *Baptizo te in nomine*
 » *Patris*, *baptizo te in nomine Filii*, etc. Ratio est, quia non
 » exprimitur unitas essentiæ. II. *Baptizo te in nomine Genito-*

» ris, Geniti, et Spirati; vel in nomine Omnipotentis, Sapien-
 » tis, et Boni: vel in nomine Ingeniti, Geniti, et Boni. Ratio
 » est, quia Trinitas personarum non explicatur vocibus, qui-
 » bus à fidelibus omnibus debet, et potest apprehendi. III.
 » Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et
 » Mariæ Virginis: quia dubium est de intentione ministri:
 » qui si eo sensu voluit dicere Mariæ, quo Patris et Filii,
 » et Spiritus Sancti, non valet, cum sit contra sensum essen-
 » tialem à Christo intentum: si verò tantum voluit illam
 » invocare, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ, vel aliter,
 » valet, cum tantum sit mutatio accidentalis. *Filliuc. t. 2. c.*
3. n. 50. Vide etiam Laym. et Bon. ll. cc.

109. — Vera et legitima forma baptismi hæc est: *Ego te*
Laptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.
 Ita definitum in conc. Later. c. *Firmiter, de Summ. Trin. et*
in Trident. sess. 7. can. 4. de Bapt. ex illo Matth. c. 28. x. 19.
Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine
Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Multipliciter autem potest
 hæc forma variari, nempe 1. per verborum mutationem, 2.
 corruptionem, 3. transpositionem, 4. additionem, 5. dimi-
 nutionem. In his autem omnibus ad discernendum quando
 variatio invalidet vel non sacramentum, attendi debet,
 an ipsa sit substantialis, aut accidentalis. *Substantialis* enim
 variatio est, cum corrumpitur substantia sensus verbo-
 rum à Christo Domino intenti, et hæc quidem sacramentum
 invalidat; *accidentalis* verò est, cum idem remanet sensus,
 et hæc non invalidat, nisi, ut advertit *D. Th. 3. part. q. 60.*
art. 8. aliquis formam sic mutando intendat alium ritum in-
ducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, quia non videtur
quòd intendat facere id quod facit Ecclesia.

Hinc I. quoad *mutationem* verborum pertinet, variatio
 accidentalis est, 1. si mutatur idioma, ut communiter omnes
 docent, imò *Lugo d. 2. n. 107. Con. q. 68. n. 68. et Croix*
l. 6. p. 1. n. 30. cum Suar. Caj. Dic. et Arriaga, dicunt hoc
 procedere, etiamsi plura idiomata in eandem formam con-
 flarentur; quia licet tunc propositio non videatur moraliter
 significativa apud homines, in sacramentis tamen non requi-
 ritur ut audiens, vel ut proferens verba intelligat, modò
 voces per se sint significativæ, et ipse velit id significari quod
 Christus intendit. Præterea, rectè notat *Croix cum Sa, Trull.*

Victor. Reg. Gob. et Dic. melius esse ut mulieres, cœterique rudes, si baptizent, utantur linguâ maternâ, cùm nesciant perfectè proferre latinam. Advertunt tamen *Salm. tr. 2. c. 3. p. 3. n. 12. cum Suar. et Filliuc.* verbum *baptizo* retinendum quantum fieri potest, dicendo: *Io ti battezzo, etc.*, quia ex accommodatione verborum factum est, ut verbum hoc utrique linguæ inserviat. 2. Etiam variatio accidentalis est, si substituantur verba synonyma, v. g. *abluo, lavo, intingo*, pro *baptizo*, ut communiter dicunt cum *Busemb. n. 14. ut suprâ, Suar. d. 21. sect. 2. Nat. Alex. art. 3. Reg. 10. Tol. lib. 2. c. 19. Spor. t. 3. n. 28. cum Laym. Bon. et Croix, Salm. tr. 2. c. 3. p. 3. n. 11. cum Con. et Leand. Elbel c. 3. n. 43. et Conc. t. 8. p. 143. num. 46. cum Soto, Vasq. Berti, et commun. contra Alens. Gabr. etc.* qui putant non valere tale baptismum, quia tunc censetur minister non habere veram intentionem faciendi ritum Ecclesiæ, cùm illa diversa verba potius profanam quàm sacramentalem significant abluionem; sed bene respondet *Conc. l. c.* quòd tunc sacramentum, si infirmaretur, non jam infirmaretur ex defectu verborum, sed intentionis ministri: sed cùm minister veram habet intentionem baptizandi, verè baptizat, determinando per intentionem verba illa profana ad abluionem sacramentalem, juxta dicta cum *D. Th. suprâ n. 23. v. Prob. 3.* Idem dicitur, si proferatur forma more Græcorum, nempe: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc.* ut approbatum fuit ab *Eugenio IV.* in concilio Florentino.

Utrùm autem valeat baptismus, si dicatur: *In nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque?* Affirmat *Caj. 3. p. q. 66. art. 3.* Ratio (quam ait *Conc. p. 143. n. 11.* non carere suo fundamento) quia in communi theologorum sermone pro eodem accipi solent nomina Genitoris, Geniti, etc. Sed baptismus taliter collatus saltem est dubius, ut docent *Laym. c. 4. n. 4. Pal. de bapt. p. 3. n. 16. Cont. Tourn. de bapt. cap. 4. art. 2. concl. 4. v. Quæres. Holzm. t. 2. n. 114. Salm. ibid. p. 4. dub. unic. n. 33. in fin. Ronc. c. 2. q. 6. et Conc. l. c. cum Estio, Suar. Vasq. et communi Thomistarum, et Scotistarum.* Atque expressè id docuit ipse *D. Th. 3. p. q. 66. art. 3. ad 7.* ubi de hoc rationem assignat dicens: *Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communiter ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma*

baptismi assumuntur illa nomina (scil. Patris, et Filii, etc.), quibus communiùs consueverunt nominari personæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum. Hinc, ut refert *Cont. Tourn. loc. cit. art. 1. concl. 2.* S. Pius V. cùm nova editio fieret Romæ operum *Caj.* jussit suam opinionem eradi. Putat autem *Conc. l. c.* validum esse baptismum sic collatum: *In nomine Patris, et Jesu Christi, et Spiritûs sancti*, quia, ut ait, Jesus Christus verè est Filius Patris, sed huic meritò non acquiescit *Frassen. t. 10. p. 271.* quia, licèt Jesus Christus noscatur esse Filius Patris, tamen hic id non sufficienter exprimitur; secùs, dicit *Frassen.* si pro nomine Spiritûs sancti dicatur *Spiritus Paracliti*, quia in verbo *Spiritus* jam satis exprimitur tertia persona.

110. — II. Quoad *corruptionem* verborum pertinet, notat *D. Th. q. 60. art. 7. ad 3.* faciliùs induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris* dicatur *Matris*; secùs, si corruptio fiat in fine. Hinc *Zacharias* Papa in *can. Retulerunt, de consecr. dist. 4.* validum declaravit baptismum sic collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritus sancta.* Idem dicitur, si quis ob balbutiem, vel præcipitantiam dicat: *Batizo*, aut *Babatizo*, aut *Battizo*, pro *Baptizo*; vel *Fili*, pro *Filii*. Ratio hujus est, quia voces ita constitutæ sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significant; ita *Cont. t. 8. p. 146. n. 14. et Croix n. 36. cum Lugo, Suar. et communi.* Et sic etiam valere baptismum ait *Con. ib.* si dicatur abbreviatè: *in nom Patris, etc.*

III. Quoad *transpositionem*, inquit *S. Th. q. 68. a. 8. ad 3.* *Nomina, et verba transpsita idem significant.* Hinc transpositio per se facit mutationem tantùm accidentalem, ut si dicas, *Te Baptizo ego in nomine Patris, etc.* Idem dicunt *Lugo d. 2. n. 112. et Croix n. 32. cum Tol. Dicast. Aversa, et aliis*, si dicas: *Te baptizo ego in nomine Filii, et Patris, et Spiritûs sancti.* Nec obstat, si præponendo Filium velles significare hunc esse principium Patris; nam, ut rectè ait *Lugo l. c. (contra Sotum)* ex naturali significatione ipsum nomen Patris sonat esse principium Filii; nec error ministri internus præjudicat valori sacramenti, ut docuit *Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 104. apud Tourn. Prælect. theol. de baptismo. quæst. 1. art. 4. tit. Solvuntur objectiones ubi dixit: Jam satis, inquit (Augustinus), ostendimus*

ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiuspiam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quàm doctrina cœlestis insinuat.

111. — IV. Circa additionem, valet baptismus, si addantur formæ verba sensum non corruptentia, putà, ut docet *S. Th. qu. 60. art. 8.* si quis diceret: *In nomine Patris omnipotentis, et Filii unigeniti, etc.* Vel si diceret: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, qui te creavit, etc.* Secùs ait *D. Th.* si quis baptizaret dicendo: *In nomine Patris majoris, et Filii minoris; nam sic tolleretur veritas sacramenti.* Validum tamen esse baptismum putat *Conin. n. 72.* si diceretur: *Baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem, etc.,* idque non immeritò, nam error (ut mox diximus) ministri, quem ipse per se junctam propositionem ibi adderet, non obstat sensui à Christo intento.

Quid si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, etc.?* Censet *Bon. q. 11. p. 4.* hunc baptismum non esse validum, quia ibi non satis exprimeretur unitas divinæ essentiæ: sed probabiliùs validum esse censet *Conc. p. 144. n. 8. Pal. p. 3. n. 17. cum Con. Laym. Suar. et Henriq. ac Diana apud Croix n. 34.* Ratio, quia repetitio nominis nullo modo sensum immutat, prout neque immutaretur sensus si diceretur: *In nomine Dei Patris, in nomine Dei Filii, etc.* Pluraque affert *Conc.* Sacramentaria, in quibus to nomine repetitum legitur. Idem dicunt *Tol. l. 2. c. 19. Estius dist. 3. §. 6. et Conc. p. 146. n. 12. cum Soto, Leand. etc.* si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, etc.* Nec ob stare ait *Conc.,* quòd videantur istæ tres formæ imperfectæ, ut objicit *Comitolus;* nam respondet hanc reverà esse unam formam perfectam, cùm moraliter continuetur. Attamen, quia prima opinio *Bonacinæ* non est omninò improbabilis, prout putant *Bus. ut suprà n. 4. Cont. Tourn. de bapt. cap. 4. art. 2. in fin. Salm. tr. 2. c. 3. p. 4. n. 20. in fin. cum Nugn.* idè talem formam censeo non esse tutam. Certè autem non esset validus baptismus, si diceretur: *Ego te baptizo in nominibus Patris, et Filii, etc.,* quia sic nullo modo explicaretur unitas essentiæ divinæ; sicut etiam esset saltem valde dubius baptismus collatus sequentibus formis, *in virtute Patris, etc.; vel in nomine SS. Tri-*

nitatis; vel in nomine *Unius*, et *Trini*; vel in nomine *Trium personarum*. Vide *Conc. n. 10. et Sporer n. 23*. Si quis autem ad nomina trium personarum adderet nomen *B.V. M.*, dicit *D. Th. 3. p. q. 60. art. 8.* quòd si hoc faceret mente hæretica, intendens baptismum conferre in nomine *Virginis*, sicut in nomine *SS. Trinit.*, invalidus esset, quia perverteretur vera divinitatis confessio. Secùs, si quis rusticus tantùm ob importunam devotionem nomen *Virginis* adjiceret.

142. — V. Quoad *diminutionem* tandem verborum pertinet, certum est valère baptismum, si omittantur verba *Ego*, et *Amen*, ut omnes conveniunt. Et talem omissionem culpam venialem non excedere dicunt communiter *Salm. ibid. dub. unic. n. 40. Sporer num. 28. Leand. d. 3. qu. 3. cum Fill. Graff., Sot. Vasq. Pal. Turrecr. Led. Granad. Henriq. etc.*, quia hæc verba non sunt de essentia baptismi. Sicut contrà est verbum *te*, cujus ommissio redderet quidem baptismum invalidum, prout rectè dicunt *Petrocor. t. 3. p. 177. et Conc. p. 142. n. 4. cum communi*, adversùs quosdam non audiendos.

Sed dubitatur 1. Utrùm invalidet baptismum omissio conjunctionis *et*, dicendo: *In nomine Patris, Filii, Spiritùs sancti*? Negant *Conc. p. 146. n. 13. et Tolet. Comit. ac Gob. apud Croix n. 35.*, quia hæc nomina *Patris, Filii, et Spiritùs sancti*, utpote inter se relativè opposita, jam significant distinctionem Personarum. Affirmant verò *Reg. Vivald. et Corradus ap. Croix l. c.* Sed ipse *Croix cum Aversa* rectè censet satis esse ad valorem baptismi, si particula *et* præponatur tertiæ personæ; nam ex una parte, juxta communem loquendi usum, quoties plura nomina uni verbo copulativo junguntur, sufficit, ut conjunctio *et* præponatur ultimo nomini; ex altera parte verbum *et* videtur omninò exprimendum saltem ante ultimum nomen, cum nomen *Spiritùs sancti* per se non sit notionale, denotans processionem tertiæ personæ, nomen enim *Spiritùs sancti* competit tam Patri quàm Filio.

Dubitatur 2. Utrùm verbum *in* sit de essentia? Affirmat *Conc. p. 143. n. 7. cum Nav. Sol. Comit. Gabr. etc.* quia omissio præfatæ particulæ variat sensum; dicens enim: *Ego te baptizo nomine Patris etc.* ostendit baptizare auctoritate, potestate vel imperio trium personarum; sed *in nomine* significat in invocatione *SS. Trinitatis*, ut *Tourn. Præl. theol.*

de bapt. q. 1. art. 4. tit. Solv. obj. in init. v. Instab. At probabilius negant Salm. tr. 2. c. 3. p. 4. n. 21. cum Bon. Con. Henr. et Leand. q. 11. cum Hurlad. Fill. Diana, Candido, etc. Ratio, quia in latino idiomate frequentius tacentur præpositiones, quæ percipiendæ sunt ad debitum loquendi modum; unde, quamvis hic reticeatur *to in*, tamen benè subintelligitur ex debita ministri intentione, per quam verba formæ sacramentorum potiùs ad unum quàm ad alium sensum determinantur; tantò magis quòd adhuc expresso verbo *in*, etiam *to nomine* remanet æquivocum, quia etiam potest significari auctoritate vel potestate divinà, prout significavit Christus Dominus, cùm dixit: *In nomine meo dæmonia eicient.* Et alibi: *Spiritus Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo.* Hæc secunda sententia, spectatâ ratione, mihi videtur verior, sed cùm agatur de valore sacramenti, saltem ob auctoritatem DD. dicerem à prima non recedendum. Ideò rectè ait Conc. quòd talis omissio non posset excusari à mortali.

Dubitatur 3. Utrùm valeat baptismus collatus tantùm *in nomine Christi*? Dubium oritur ex verbis illis Actor. c. 8. §. 12. ubi dicitur: *In nomine Christi baptizabantur viri.* Et ex textu in c. *Ac quodam, de consecr. dist. 4.* ubi Nicolaus Papa ad quæsitâ Bulgarorum sic respondit: *Hi profectò, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actib. apostol. legitur, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius), rebaptizari non debent.* Reverà autem S. Ambrosius l. 1. de Spir. sancto c. 3. sic scripsit: *Qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quia unum nomen, potestas una. Et æthiops eunuchus Candacis reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.*

Sed hodie certum est hunc baptismum esse invalidum, ut omnes communiter docent cum S. Th. 3. p. qu. 66. art. 6. Idque habetur expressum in c. *Si reverà 30. de consecr. dist. 4.* ubi Pelagius Papa dixit: *Si hi se solummodò in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Ad textum autem Actorum diversè respondent, et quidem omnes probabiliter; D. Th. l. c. respondet quòd speciali Christi revelatione apostoli in primitiva Ecclesia

in nomine Christi baptizabant. Et sic pariter sentit Scot. in 4. d. 3. q. 2. n. 9. Et huic sententiæ desert Catechismus rom. §. 16. Alii verò communiùs, et probabiliùs respondent, ibi pro nomine Christi intelligi baptismum à Christo institutum ad differentiam baptismi Joannis; sed tunc etiam apostolos baptizasse, sicut et nunc: idque probant ex Act. c. 19. §. 2. ubi, cùm quidam interrogati essent, an Spiritum sanctum accepissent? responderunt se neque si Spiritus sanctus est, audivisse. Hinc subjunxit apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* supponens solitum fuisse in baptismo exprimi nomina trium personarum; alioquin incongrua fuisset illa apostoli admiratio: ita Tourn. Præl. theol. loc. cit. ult. concl. cum S. Joan. Damasc. ejus Continuator tom. 4. p. 509. et Natal. Alex. art. 3. reg. 2. cum S. Basil. S. Cypr. S. Aug. S. Hilar. et S. Ambros. Ad textum autem Nicolai, quidquid alii respondeant, meliùs respondetur cum Gonet d. 1. n. 105. Frassen. t. 10. p. 274. Tourn. Præl. theol. loco cit. tit. Solv. obj. in med., ejus Cont. de bapt. cap. 4. art. 1. concl. 2. Petrocor. tom. 3. p. 170. Pal. de bapt. p. 5. num. 10. Salm. tr. 2. c. 3. p. 4. dub. unic. n. 38. Holzm. n. 113. Nicolaum tantùm dixisse hoc obiter, et non ex cathedra; non enim fuit Papa interrogatus an valeret baptismus ratione formæ, sed solùm, an esset validus baptismus, collatus à Judæo; et ibi obiter exposuit mentem D. Ambrosii. Quæ autem similtas materiæ et formæ reputatur in baptismo, vide dicta n. 9.

DUBIUM III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

ARTICULUS I.

Quis sit minister baptismi.

113 *Quis sit minister validi baptismi, et quis liciti?*

114 *Nemo sine commissione potest baptizare extra suam diocesim.*

115 *A quo baptizandi peregrini, vel casu nati? Et an sufficiat quasi domicilium ad constituendum aliquem parochianum illius loci?*

- 116 Quando diaconus possit baptizare? Dub. 1. An in necessitate possit baptizare solemniter? Dub. 2. An clericus, aut diaconus solemniter baptizans sine commissione fiat irregularis? Dub. 3. An fiat irregularis laicus baptizans solemniter?
- 117 Ordo servandus inter ministros baptismi in necessitate conferendi. Dub. 1. An graviter peccet laicus, qui baptizat præsente sacerdote? Dub. 2. An qui præsente sacerdote excommunicato? Dub. 3. An qui præsente diacono? Dub. 4. An qui præsente clerico inferiori? Dub. 5. An peccent graviter parentes, qui faciunt baptizare prolem à prædicante?
- 118 Not. I. An possit quis baptizare seipsum? Not. II. Quæ dilatio in ministrando baptismo sit mortalis. Not. III. Quinam infantes prohibeantur domi baptizari?

113. — **R**ESP. Validè ministrat omnis homo ratione utens, cujuscumque fidei, vel infidelitatis, statûs, aut sexûs. Licet, tanquam minister ordinarius, et ex officio sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem; vel ex ejus commissione diaconus. In casu tamen extremæ necessitatis omnis qui potest validè, etiam facit licetè, teneturque, ut proximo succurrat. *Laym. lib. 5. t. 2. c. 7.*

Certum est et de fide validum esse baptismum collatum à quovis homine viatore, sive viro sive muliere. Ita definitum in decreto fidei *Eugenii IV.* et in concil. *Lateran. IV.* in c. *Firmiter, de summ. Trinit.* ubi dicitur: *Baptismum tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficere ad salutem* (Contra *Calvinum*, et *Bezam*, qui autumabant non posse baptismum conferri, nisi ab Ecclesiæ pastoribus verbi divini ministris). Et hoc, etiamsi baptismus ab hæretico conferatur, ut definivit *Trid. sess. 7. can. 4.* vel ab infideli, ut declaravit *Nicolaus I.* in c. *A quodam, dist. 4. de consecr. Vide S. Th. q. 67. art. 3. et 4.*

Licetè autem nequit baptismus ministrari ab alio, quàm à sacerdote extra articulum mortis, ut *D. Thom. dict. q. 67. art. 2. et 3. ex c. Constat, de consecr. d. 4.* ubi *S. Isidorus* ait: *Constat baptismum à solis sacerdotibus esse tractandum: ejusdem ministerium nec ipsis diaconis explere est licitum absque Episcopo vel presbytero; nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Quod et laicis fidelibus plerùmque permittitur, ne quispiam sine remedio salutari de sæculo evocetur.* Extra igitur mortis articulum, sive pericu-

lum, ut rectè dicunt *Salm. de bapt. c. 4. p. 2. n. 16. cum aliis*, in quo deficiente sacerdote, vel clerico, quivis laicus potest baptizare, imò tenetur, ut *Salm. ibid. n. 19. cum S. Anton. etc.* duplex est minister baptismi, primus ordinarius ex officio, secundus est minister extraordinarius ex commissione. Minister ordinarius et solemnitatis est Episcopus, et quivis sacerdos, ut declaravit *Eugenius IV.* in suo decreto dicens: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare*: modò adsit licentia Episcopi, ut dicunt communiter omnes cum *Petroc. t. 3. p. 174. et probat Cont. Tourn. de bapt. c. 3. concl. 2. v. Prob. 3. ex Tertull. S. Hieron. S. Ignat. M. etc.* parochus verò etiam reputatur minister baptismi ordinarius, ut omnes dicunt; quia statim ac ab Episcopo parochus approbatur, accipit ab eo licentiam baptizandi, quæ jure communi est ita stabilis, ut sine justa causa non possit eâ privari: et idè parochus potest aliis sacerdotibus committere administrationem baptismi, ut docent *Cont. Tourn. loc. cit. Spor. pag. 189. n. 54. Salm. tr. 2. c. 4. p. 4. n. 35. et alii communiter.*

114. — « 1. Non tantùm diaconus, sed nec parochus, aut » Episcopus, absque commissione, extra suam dioccesim, » vel parochiam, vel intra eam alienos licitè baptizat » (*Ex can. Interdicimus, caus. 16. qu. 1.*): « idèque etiam peccant » parentes, qui sine licentia sui prælati alieno deserunt pro- » lem baptizandam, cùm violent jus parochi. *Laym. l. c.*

115. — Hic plura sunt notanda: I. Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in Ecclesia, quam elegerint, *ex can. Nec numerus, caus. 10. qu. 3. Croix l. 6. p. 1. n. 275. Salm. ibid. n. 57. cum Barb.* Si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parochi est baptizanda: verumtamen, si ille pagus parùm distet à pago proprio, v. g. duabus, aut tribus horis, potest baptizari proles etiam in Ecclesia sua. *Croix n. 575. cum Gob.*

Sed hic dubium fit, an advenæ debeant baptismum, et alia sacramenta suscipere à parochi proprio domicili, vel possint etiam à parochi loci, ubi sunt per quasi domicilium? Adest duplex probabilis sententia.

Prima sententia dicit tenèri suscipere à parochi domicili proprio, quò sunt redituri. Hanc tenet *Henriq. l. 11. c. 3. n. 3. item Rod. Segura, et Ledesma apud Salm. de matr. c. 8. p. 5.*

n. 29. qui putant probabilem cum *Palao d. 2. p. 12. §. 9. n. 8. in fine, et Sanch. de matr. l. 5. d. 23. n. 13.* qui vocat probabilissimam cum *Host. Rosel. Ang. Sylv. Tab. et aliis pluribus.* Quia, ut ajunt, qui habet proprium domicilium, nequit fieri parochianus illius loci, ubi degit tantum ad tempus propter aliquod negotium; aliàs hic haberet duas parochias habitationis, quas habere non potest, nisi qui in utraque æqualiter se collocat, ut tradunt *Sanch. l. 3. d. 24. n. 5. Pont. lib. 5. c. 16. n. 1. et Salm. tr. 9. c. 8. p. 3. n. 52. cum Bon. Perez, Coninck. Trull. etc. communiter ex c. 15. de Sepul. in 6. et leg. Assumptio, §. Viris, ff. ad municip. de incol.*

Secunda sententia verò communior et probabilior, quam tenent *Barbosa de potest. Ep. p. 2. alleg. 52.* cum pluribus dec. rotæ, *Sanch. dicta d. 23. n. 13. Croix l. 6. p. 5. n. 721. Pont. l. 5. c. 15. n. 4. Pal. l. c. n. 9. et Salm. ibid. n. 30. cum Bon. Gut. Con. Trull. Dic. etc. docet posse* (ut ajunt *Salm. et alii apud Sanch. n. 12.* dicunt etiam teneri) advenas recipere sacramenta à parochio loci, ubi jam contraxerint quasi domicilium; contrahitur autem quasi domicilium ab eo qui habitat alicubi, non per transitum, sed per majorem anni partem, aut cum animo permanendi ibi per majorem partem anni, ut dicunt *Sanch. l. 3. d. 23. n. 12. Sylvest. v. Domicilium n. 4. et Salm. l. c. cum Bon. Pal. Pont. Coninc. et aliis.* Imò ajunt *Laym. l. 1. tr. 4. c. 12. n. 1. Nav. de Jub. 52. v. Incolæ, num. 53.* et confirmat *Bened. XIV. Notif. 52. n. 6. ex communi* sufficere ad contrahendum quasi domicilium habitationem per aliquam notabilem anni partem causâ alicujus negotii, putâ ad studendum, vel ad exercendum officium judicis, medici, professoris, mercatoris, famuli, tabernarii, et similium. Ratio hujus secundæ sententiæ est, quia per quasi domicilium quisque jam fit parochianus loci ubi habitat, ut habetur ex *cap. finali de paroch.* ubi confugientes ad aliquam parochiam causâ belli, jam dicuntur illius parochiani.

Notandum II. Benè baptizari potest alienus de licentia proprii sacerdotis expressa, vel rationabiliter præsumpta. *Miranda, Henr. et Salm. de bapt. c. 4. p. 4. n. 58.* III. Possunt religiosi baptizare in casu necessitatis, vel cum licentia ministri ordinarii. *Salm. ibid. n. 59. Petroc. p. 217. etc.* IV. Sacerdos sine licentia extra necessitatem baptizans, etiam sine solemn-

tate, peccat graviter, ex *Clem. unic. de bapt. Vasq. Conc. Laym. et Salm. ibid. n. 41. et communiter. V. Extra necessitatem nemo potest licitè baptizari domi, exceptis filiis Principis, ex ead. Clem. un. Con. Sa, Salm. tr. 2. c. 4. p. 4. n. 42. At de hoc vide dicenda n. 118. Not. III.*

116. — « 2. Diaconus non tantùm in extrema necessitate, » sed etiam in alia notabili baptizare potest. Et quidem cum » solemnitate ex commissione Episcopi, vel parochi, ut si » v. gr. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave im- » pedimentum, id ipsi facere non possint. *Laym. l. c.*

Certum est quòd diaconus ex commissione Episcopi vel parochi potest baptizare, ut *Juenin. Petr. et alii communiter, ex can. Diaconos, dist. 93. ubi Gelasius Papa dixit: Diaconi absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis Ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod etiam laicis christianis facere plerùmque conceditur. Ex præfato autem textu rectè infert Gonet, quòd talis commissio nequit diacono fieri, nisi ob magnam necessitatem, vel Ecclesiæ utilitatem, putà si non adessent sacerdotes; vel ut dicunt *Suar. d. 23. sect. 2. Pal. p. 11. n. 3. Sporer t. 3. p. 489. n. 55. Holz. pag. 26. n. 125. Croix n. 276. Elbel. t. 3. pag. 31. n. 29. Laym. c. 7. n. 4. cum Soto, et Vasq. nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel aliàs occupatus confessionibus excipiendis, aut prædicatione, ut colligitur Actor. c. 6. ubi Apostoli diaconos constituturi, dixerunt: Fratres, viros.... constituamus super hoc opus: nos verò orationi, et ministerio verbi instantes erimus.**

Sed dubitatur 1. An diaconus in casu necessitatis possit solemniter baptizare? Affirmant *Suar. d. 23. sect. 3. et probabile putat Sporer d. num. 55. cum Præpos. Herincx, et aliis. Sed communiùs et probabiliùs negant Palaus p. 11. num. 5. Renzi cap. 3. q. 1. cum Conc. et Diana, Salm. l. c. n. 45. cum Laym. etc.* Ratio, quia diaconus non potest esse minister baptismi solemniter, nisi ex commissione sacerdotis, cùm tantùm sacerdotis vice possit solemniter baptizare.

Dubitatur 2. An diaconus sine commissione solemniter baptizans incurrat irregularitatem? Certum est quòd clerici non diaconi solemniter baptizantes fiunt irregulares, ex cap. Si

quis. 1. de cler. non ord. min. ubi dicitur : Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem de Ecclesia abjiciatur, et nunquam ordinetur. Quoad diaconos verò, negant aliqui ipsos irregularitatem contrahere, quia in citato textu dicitur, quòd sit irregularis *non ordinatus*. Diaconus autem est jam ordinatus ad baptizandum, cùm in Pontificali dicatur: *Oportet diaconum ministrare ad altare, baptizare, et prædicare.* Sed probabiliùs dicendum quòd incurrit (sive in necessitate, sive extra eam solemniter baptizet), juxta sententiam communissimam, quam tenent *Laym. de irreg. cap. 3. num. 2. Cont. Tourn. de bapt. cap. 3. concl. 3. v. Collig. 2. Natal. Alex. de bapt. prop. 2. Habert t. 3. p. 196. Renzi de bapt. c. 3. q. 5. cum Con. Viva de irreg. q. 10. art. 1. n. 3. Bonac. eod. tit. p. 6. n. 3. cum Nav. Avila, et Sayr.* Ratio, quia diaconus, licèt ordinetur ad baptizandum, ad id tamen non ordinatur nisi ex commissione Episcopi vel sacerdotis, qui sunt soli ministri ordinarii baptismi, ut vidimus. Ex illis autem verbis textùs *propter temeritatem* rectè inferunt *Laym. et Viva l. c.* diaconum, sive alium clericum, non fieri irregularem, si per jocum aut ex ignorantia crassa solemniter baptizet, temeritas enim scientiam positivam importat unà cum aliquo contemptu.

Dubitatur 3. An laicus baptizans solemniter contrahat irregularitatem? affirmant *Suar. 3. p. d. 51. sect. 4. cum Sot. Sylvest. S. Anton. Palud. et Concina t. 8. p. 155. n. 8. cum Nav. Fill. et Leand.* Quia præfatus textus *in cap. Si quis*, generaliter loquitur, et proinde non est ad solos clericos restringendus. Sed communiùs et probabiliùs id negant *Palaeus de irreg. p. 18. n. 50. Bon. loc. cit. n. 1. Holzm. t. 1. pag. 417. num. 546. Viva loc. cit. Salm. de censur. c. 8. p. 7. n. 74. in fin. Lugo de pœnit. d. 18. n. 14. Sporer eod. tit. n. 657. Croix lib. 7. n. 485. cum Hurt. et Laym. l. c. n. 5. cum Sa, Cov. Ang. Arm. Rodr. etc.* Ratio, quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in jure, ut habetur *in cap. Is qui, de sent. excom. in 6.* Hæc autem irregularitas minimè videtur expressa; licèt enim textus genericè loquatur, attamen, cùm titulus sit de clerico ministrante, verba illa generalia debent intelligi tantùm juxta titulum qui textui præfigitur. Imò *Laym.* censet satis id exprimi in eodem

textu , cùm ibi dicatur *de Ecclesia abjiciatur* , quod propriè intelligi debet de depositione , quâ non puniuntur nisi clerici : et ratio hujus esse potest (ait *Laym.*) , quia talis usurpatio frequentior esse solet in clericis , quàm in laïcis.

117. — « 3. Cùm in necessitate confertur baptismus , servandus est ordo ita , ut si adsit , et non detrectet sacerdos , vel diaconus , is reliquos præcedat. Sic enim clericus » laicum , vir mulierem , fidelis infidelem , nisi fortè inferior » meliùs noverit modum , ut solent obstetrices » (*Ut Salm. de bapt. c. 4. p. 2. n. 18. cum Moscosa.*) « (quæ proinde » examinari , et approbari debent à pastoribus) , vel alia » justa causa sit , ut quia virum ad parientem ingredi non » decet. » (*Pariter , præsentè tantùm patre , fœmina baptizare debet , quia extra summam necessitatem vetatur parentibus baptizare. Croix n. 277. cum Gob. Et in casu , quo baptizanda esset proles nondùm ab utero egressa , debet ob decentiam mulier baptizare , ut benè notat idem Croix n. 77. cum Platel.*) « Quòd si laïcus baptizet præsentè sacerdote , » et secundùm quosdam etiam præsentè diacono , censent » esse mortale : quia id laïco tantùm competit ob defectum » sacerdotis , qui sine injuria ordinis et sacramenti , talem » licentiam dare non potest. In reliquis , perversio illius » ordinis est tantùm veniale » (*Ut communiter Bonac. Sot. Dic. et Salm. ibid. n. 7.*) « Præterquam si coram fideli hæreticus adhibetur , quod voluit esse mortale *Laym. c. 7. num. 4. Con.*

Quoad ordinem igitur servandum inter ministros baptismi , sic habetur in Rituali rom. *Si adsit sacerdos , diacono præferatur ;* (et parochus sacerdoti , ut rectè dicunt *Cont. Tourn. loc. cit. tit. solv. dub. v. Quær. 1. et Conc. t. 8. p. 124. n. 5. vide dicta num. 113. in fin.*) *diaconus subdiacono , clericus laïco et vir fœminæ , nisi pudoris gratiâ deceat fœminam potius quàm virum baptizare infantem non omninò editum , vel nisi meliùs fœmina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus , ut fideles , præsertim obstetrices , rectum baptizandi ritum probè teneant , et servent.* Hinc rationabiliter censet *Sporer in suppl. t. 4. n. 190. cum Gobat.* quòd parochi tenentur sub gravi obstetrices diligenter examinare , utrùm noverint necessaria ad baptizandum , cùm ipsæ sub mortali teneantur addiscere modum

baptizandi, prout rectè docent *S. Anton. Reg. Henriq. Aversa, et alii plures cum Croix l. 6. p. 1. n. 270.* Nec obstat quòd fortè alii adfuturi sint qui formam sciant, propter quod videntur cas excusare *Suarez, Diana, et Dic. ib.* Nam ipsis ex officio puerperis adesse incumbit, et non ràrò occurrìt eis occasio baptismum in necessitate ministrandi.

Sed dubitatur 1. An peccet mortaliter laïcus, qui in necessitate baptizat, præsentè sacerdote? Negant *Joan. Suar. Val. etc. apud Salm. de bapt. c. 4. p. 2. n. 11.* et probabile putat *Ledesma*, quia sacerdos in casu necessitatis non baptizat ex officio, et ideò laïcus ejus officium non usurpat. Sed veriùs affirmant *Francisc. Suarez d. 31. sect. 4. Cont. Tourn. loc. cit. Concin. pag. 154. num. 6. Holzm. pag. 25. n. 121. Salm. ibid. n. 13. Pal. p. 9. num. 10. cum Layn. Con. Vasq. Bonac. etc. communiter, ex can. 21. dist. 4. de consecr. ubi D. Augustinus sic docet: In necessitate, cùm Episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum ejus, qui petit; etiam laïcos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.* Ergò tunc solùm potest laïcus in necessitate baptizare, cùm deest sacerdos; aliàs peccat, tùm quia verè tunc usurparet jus sacerdotis, cui ex potestate ordinis commissum est baptizare; tùm quia injuriam irrogaret sacramento; quod exigit (cùm fieri potest) ministrari à sacerdote, utpote ad illud consecrato; et ideò etiam sacerdos graviter peccaret, si laïco administrationem cederet, ut rectè dicunt *Suar. et Conc. ll. cc.*

Dubitatur 2. An præsentè sacerdote excommunicato, præferendus sit laïcus non excommunicatus? Negant *Scotus, Henr. etc. apud Renzi c. 5. q. 2. item Leand. et Cornejo apud Salm. tr. 2. c. 4. p. 2. n. 14.* quia in extrema necessitate cuilibet etiam excommunicato conceditur privilegium baptizandi, et ideò tunc servandus est ordo juris communis. Sed veriùs affirmant *Suar. d. 11. sect. 1. Nav. Man. c. 22. n. 6. Pal. p. 9. n. 12.* (qui id ut certum habet) *Salm. ibid. num. 13. cum Gab. Renzi loc. cit. cum Sylvest. Henr. etc.* Ratio, quia privilegium excommunicato conceditur in solo casu necessitatis, quæ non reperitur adesse, cùm alius suppetit non excommunicatus.

Dubit. 3. An peccet graviter laïcus baptizans coram diacono?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Gonet Man. t. 6. pag. 96. Holzm. pag. 25. n. 131. Cont. Tourn. ib. v. An verò, Antoine q. 8. Conc. t. 8. pag. 155. num. 7. cum Vasq. Reg. Fill. etc. Renzi c. 3. qu. 1. cum Con. Præp. etc.* Probatur 1. ex *D. Augustino*, ut *suprà in c. 21. dist. 4.* ubi dicitur permitti laïco baptizare tantùm in necessitate, cùm *Episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur.* Nomine autem *ministrorum* communiter diaconi intelliguntur. Probatur 2. ratione; diaconus ex vi ordinationis deputatur ad baptizandum per commissionem parochi, unde obtinet ipse speciale jus ad hoc munus obeundum. Hæc sententia est quidem probabilis, sed non minùs probabilis mihi videtur cum *Salm. l. c. n. 9.*

Secunda sententia, quam tenent *Suar. d. 51. s. 4. Sot. d. 4. art. 2. Tol. lib. 2. c. 20. n. 8. Ronc. c. 3. q. 1. Bon. q. 2. p. 5. n. 11. cum Sa, Val. Conc. Hen. Reg. et Graff. item Sylv. Led. Dian. Vill. etc.* Ratio, quia diacono vi ordinationis non competit officium baptizandi, nisi ex commissione sacerdotis. Unde cùm ipse baptizat in casu necessitatis sine commissione, non baptizat ex officio, sed eodem modo quo clericus inferior, vel laïcus, *juxta dicta n. 116. Dub. 1. et 2.* Et quamvis ipse ut dignior in jure illis præferatur, tamen hujus ordinis perversio non apparet tam gravis, ut de mortali damnetur.

Dub. 4. An laïcus baptizans, præsentem clericum inferiori, peccet mortaliter? Videtur affirmare P. Conc. t. 8. p. 157. n. 7. cùm dicat, ex jure divino semper sub gravi servandum ordinem, nisi necessitas impediatur. E converso *Pal. p. 9. n. 11.* dicit nullum esse peccatum, cùm de hoc nullum inveniatur præceptum divinum, aut ecclesiasticum. Rectò verò alii communiter docent id non esse mortale, quia talis perversio ordinis non videtur tam gravis, cùm ex vi ordinis nemo præter sacerdotem, et diaconum ex commissione habeatur specialiter deputatus ad baptizandum. Ex altera parte id non videtur excusari à culpa veniali, tùm quia id videtur aliqualis indecentia: tùm quia est contra præscriptum *Ritualis romani.* Ita *Sotus in 4. dist. 4. art. 2. Suar. d. 51. s. 4. v. Unde 3.º Gonet Man. t. 6. p. 96. Petrocor. t. 3. pag. 181. Bon. p. 5. n. 12. Holzm. n. 121. Spor. n. 35. Ronc. qu. 1. r. 2. Renzi qu. 1. cum Laym. et Salm. de bapt. cap. 4. p. 2. n. 7. cum Vill. Leand. et Gabr.*

Dubit. 3. An peccent graviter parentes, qui faciunt baptizare prolem à prædicante, ad evitandas pœnas edicti id præcipientis? *La Croix lib. 6. p. 1. num. 281. et 282.* quamvis fateatur sententiam affirmativam tenendam uti absolutè veram, tamen deinde affert rationes dubitandi, dicens quòd eo casu non recognoscitur prædicans tanquam verus, sed potiùs tanquam validus minister, à quo exquiritur baptizatio ad vitandam vexationem, permittendo tunc fieri, non verò petendo impias ejus cœremonias adhibèri. Sed omninò affirmandum id esse mortale, ut docent *Less. in Auctar. v. Baptismus, Pignat. t. 7. consult. 55. num. 2. Holzm. t. 2. p. 27. n. 133. cum Michel.* Ratio, quia per idem edictum pœnale determinantur parentes ad veram religionem contemnendam, vel saltem ad falsam honorandam. Refertque *Pignat. Clementem VIII.* jam declarasse non licere extra necessitatem extremam, ne à schismaticis quidem petere sacramenta.

118. — Hinc ultimò notandum I. quòd neclitè, nec validè potest unquam aliquis baptizare seipsum, cùm persona baptizantis omninò diversa esse debeat à persona baptizati. Ita communiter *Cont. Tourn. de bapt. cap. 5. solv. dub. v. Quær. 9. Conc. p. 157. n. 12. et aliì omnes, ex c. 4. de bapt.* ubi id expressum habetur.

Notandum II. quòd graviter peccant, qui per multum temporis differunt infantem baptizare. Id commune est apud omnes ex pluribus conciliis provincialibus, quæ decrevèrè pueros baptizandos quàm citò fieri potest, et in Rituali rom. dicitur: *Parochus hortetur, ne pueris sacramentum tantoperè necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Qualis autem reputetur dilatio gravis, *Palauus p. 8. n. 4. ex Suar. etc.* putat dilationem ultra mensem esse gravem, si non adsit causa: si verò adsit, esse gravem duos menses. Ferè idem sentit *Laym. c. 6. n. 9.* dicens: *Nulla autem ordinariè necessitas urget, tametsi unum, aut sesquimensem expectandum sit, donec cum decenti solemnitate baptismus infanti conferri possit, quamquam dilatio non nisi ex gravi causa fieri debet.* *Salmant. autem de bapt. c. 5. p. 2. n. 12. in fin.* censent non esse mortale minùs differre quàm ultra 15 vel 20 dies, etiam sine urgenti ratione. *Jueninus* contrà, juxta morem suum arctandi conscientias usque ad extremum, dicit ultra unum vel alterum diem baptismum differri non debère. *Cont.* autem

Tourn. loc. cit. v. Quær. 4. putat dilationem non extendendam ultra quinque vel sex dies. *Petrocorensis t. 3. pag. 212. quest. 13.* censet gravem dilationem excedentem octo dies. Sed communiùs et probabiliùs *Sotus, Leander, et Ledes. apud Conc. t. 8. p. 167. n. 19. ac Ronc. q. 3. r. 2.* dicunt non esse gravem dilationem, nisi 40 vel 44 dies excedantur.

Notandum III. quòd prohibentur infantes baptizari domi, exceptis *liberis regum, vel principum*, ut habetur ex *Clem. unica de bapt.* Et cum hic agatur de re gravi, transgressio erit equidem mortalis, ut rectè dicunt *Ronc. c. 3. q. 3. Tamb. c. 2. §. 3. n. 3. et Sylv. ap. Croix n. 337.* Nomine autem *liberorum* veniunt non solùm filii, sed etiam nepotes, et alii descendentes, ut notat *Glossa in d. Clem. v. Liberi, ex leg. Liberiorum, ff. de verb. signific.* Et in eo casu dicunt *Palauus, Concina, Tol. Sot. etc. cum Croix n. 338. contra alios* solemniter conferendum esse baptismum, quia omissionem cæremoniarum solus casus necessitatis excusat. Nomine verò *principum*, opinantur *Jordanus, Riccius, Quintanad. Croix l. c.* probabiliter venire omnes barones obtinentes temporalem jurisdictionem. Sed probabilius videtur cum *Glossa ibid. v. Regum, Ronc. loc. cit. Suar. d. 31. sect. 2. Cont. Tourn. ibid. v. Quær. 2. Elbel t. 3. p. 45 n. 84. et aliis pluribus*, intelligi tantùm filios principum absolutam potestatem habentium. Item *Laym. c. 6. n. 9. cum Armil.* censet graviter peccare magnates, qui extra necessitatem faciunt filios baptizari domi (vel etiam in Ecclesia privatim, ut *Sylvius qu. 71. art. 4. cum Nav. et Led.*), ut deinde cum pompa cæremonie perficiantur in Ecclesia, postquam advenerint patrini; qui equidem, collato jam antea baptismo, nec patrini efficiuntur. His tamen non obstantibus, puto quòd ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ipsa non est facilè improbanda, ut ait *Croix loc. cit.*

ARTICULUS II.

An duo possint simul unum baptizare?

119. — **R**ESP. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit baptismus: quia dicens se ablucere cum non abluat, formam habet falsam, etiamsi usurpet Græ-

» corum, *Baptizatur servus Christi*, vel quæ putatur illi
 » æquivalère, *Baptizat te Christus*: subintelligitur enim per
 » me; alioqui, si excludatur persona ministri, ut sensus sit,
 » baptizet te Christus, et non ego, sive non per me, forma
 » nulla est. » (*Ita S. Th. 3. p. q. 67. ar. 6. et alii communiter cum Salm. de bapt. c. 4. p. 3. n. 28. et Conc. p. 156. n. 10.*)
 « In casu tamen necessitatis, posse sub conditione ita bapti-
 » smum conferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret,
 » cæcus autem formam pronuntiaret, docet *Hurt. a. 2.*
 » *diff. 6.* additque, debère talem, elapso periculo, iterùm
 » sub conditione baptizari. *Vide Fill. c. 4. Dian. p. 3. t. 3.*
 » *r. 26. ex Chapeauvil. Marsil. etc. Bon. d. 2. qu. 2. p. 4.*
 » *n. 23. Laym. cap. 7.* » (*Ita etiam Suar. cum Cajet. Mar-*
sil. Leand. etc. apud Salm. tr. 2. c. 4. p. 3. n. 31.)

120. — « Resp. 2. Si plures ministri singuli abluant, et
 » formam pronuntient, graviter peccant contra ritum Eccle-
 » siæ. De valore sic solet distingui: 1. Si quilibet intendit
 » baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis;
 » invalidè baptizant, sive singuli dicant, *Ego te baptizo*,
 » sive, *Nos te baptizamus*: quia forma, cujus sensus cen-
 » setur esse absolutè, et independenter baptizare, non coba-
 » ptizare, est falsa. » (*Idem docet S. Th. 3. p. q. 67. ar. 6.*
cum Suar. Vâsq. et Salm. ibid. n. 23. communiter) « 2. Si
 » quisque per se intendat baptizare, independenter ab alio,
 » validè baptizat, quia omnia requisita ponit; ut patet à simili
 » in missa ordinationis, quâ sacerdotes noviter ordinati
 » simul consecrant cum Episcopo, cummodò simul eodem
 » instanti formam absolvant: si autem non simul absolvant,
 » is tantùm consecrat, vel baptizat, qui priùs absolvit. *Vide*
 » *Fill. t. 2. c. 4. n. 72. et Bon. l. c. n. 23. Laym. c. 7.* » (*Ita*
S. Th. l. c. ad 3. S. Bonav. cum Salm. ibid. n. 28. commu-
niter contra Caj. et Marsil.)

DUBIUM IV.

Quis sit subjectum baptismi?

121 *Quis sit capax baptismi? An pueri, et amentes?*

122 *De pœnis rebaptizantium. An rebaptizantes sub conditione
 fiant irregulares?*

123 *De infante nondum nato. Remissivè ad n. 107.*

- 124 *An baptizandi sint fœtus abortivi? An plures eodem tempore?*
 125 *An conferendus sit baptismus monstris?*
 126 *An sint baptizandi filii infidelium, et quæ in hoc puncto sint certa? Certum est I. talem baptismum semper esse validum.*
 127 *II. Baptizandos esse filios, si parentes defecerint à fide. Quid si mansuri sint apud parentes hæreticos?*
 128 *III. Si ipsi filii infidelium petant. Quid in dubio an careant ratione?*
 129 *IV. Si sint in periculo mortis.*
 130 *V. Si sint positi extra curam parentum. VI. Si capti sint in bello. VII. Si parentes sint servi.*
 131 *VIII. Si unus parentum consentiat.*
 132 *Dub. I. An baptizari possint filii infidelium usu rationis carentes, inuitis parentibus? Et an ii quos pater offert, ut liberentur à morbo?*
 133 *Dub. II. An liceat vendere infantes parentibus paganis?*
 134 *An et quando possit repeti baptismus sub conditione? Not. I. Quid si adsit unus testis de baptismo collato? Not. II. Quid de adultis natis ex christianis? Not. III. Quid si pueri sint arrepti à barbaris?*
 135 *De infantibus expositis?*
 136 *De baptizatis ab obstetricibus, et à laicis.*
 137 *De baptizatis ab hæreticis.*
 138 *De effectibus baptismi.*
 139 *De dispositione requisita in adultis baptizandis.*

121. — « **R**ESP. 1. Subjectum capax baptismi est solus
 » homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus.
 » « Resp. 2. Validè baptizantur infantes, item perpetuò
 » amentes, qui nunquam usi sunt ratione, quia censentur
 » ejusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando
 » sint usi ratione, non valet baptismus, nisi ante amentiam
 » petiverint. *Vide Bon. d. 2. q. 2. p. 6. c. 6. Laym. c. 6.*

Unde resolves :

- « 1. Si puer inter baptizandum nondum finitâ formâ moriatur, baptismus est nullus.
 122. — « 2. Non valet baptismus iteratus, ideòque uterque
 » tum rebaptizans, tum rebaptizatus peccant mortaliter,
 » fiuntque irregulares, et jure civili subjacent pœnæ mortis. »
 (Est certum cum Salm. de bapt. c. 6. p. 1. n. 4.) « Quas ta-
 » men pœnas non videtur incurrere is, qui etsi sine justa

- » causa , rebaptizat sub conditione : quia intelliguntur de bap-
- » ptismo absolutè dato , quando moraliter constet , priorem
- » baptismum fuisse validum. Vide Laym. c. 5. Bon. p. 5.

Certum est , quòd cùm baptismus repetitur sine justa causa , tam rebaptizans , quàm rebaptizatus fiunt irregulares , ex c. 2. de apostat. et c. 4. dist. 50.

Sed magna quæstio est inter DD. an rebaptizantes sub conditione , et sine justa causa , irregularitatem incurrant.

Prima sententia , quam tenent Suar. 5. p. disp. 51. sect. 6. d. 5. Navarr. Man. c. 27. n. 246. Bon. de irreg. q. 3. p. 3. n. 4. Laym. eod. tit. cap. 2. n. 1. v. 4. Pal. t. 6. d. 6. pag. 16. n. 6. Anacl. pag. 513. n. 11. Holzm. t. 1. p. 416. n. 343. Salm. tr. 10. de censur. c. 8. p. 5. n. 61. in med. Croix l. 7. n. 483. Pontas v. Irregulariter , casu 151. cui non dissentit Cont. Tourn. in proprio tract. de Irreg. part. 3. cap. 2, dicit quòd talis rebaptizans , licèt non excusetur à gravi sacrilegio , tamen non incurrit irregularitatem. Ratio , quia leges pœnales strictè intelligi debent , et cum effectu ; qui autem baptizat baptizatum sub conditione dicens : *Si non es baptizatus , etc.* , is reverà non rebaptizat , quia conditio apposita actum invalidat : qui enim dicit , *Ego te baptizo , si non es baptizatus* ; idem est ac si diceret : *Ego te non baptizo*. Et ob eandem rationem censent Anacl. l. c. et Salm. cit. n. 61. in princ. cum Bonac. Cornejo , et Avila , non incurrere irregularitatem , qui ob metum baptizaret baptizatum animo simulato.

Secunda sententia verò affirmat tales rebaptizantes irregularitatem non effugere , et hanc tenent Natal. Alex. de bapt. prop. 7. r. 5. Conc. t. 8. pag. 186. n. 15. Fill. tract. 20. n. 182. Renzi de bap. c. 5. q. 10. cum Led. Sot. Victoria , etc. Item noster SS. P. Benedictus XIV. in suis Notif. cum Sayr. Barb. Ugolino , Megala , etc. Probatur ex Catech. rom. part. 2. n. 57. qui reprehendens eos , qui in Ecclesia cum conditione rebaptizant pueros , quamvis exploratum habeant domi verè esse baptizatos , dicit : *Quod quidem sine sacrilegio id facere non possunt , et eam maculam suscipiunt , quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant*. Idemque refert N. Pontifex fuisse sancitum in 3. Synodo Mediol. Insuper probatur ratione , quia , cùm quis certò scit puerum esse baptizatum , et rebaptizat sub conditione , conditio apponitur in fraudem legis , et ideò habetur pro non

apposita. Prima sententiâ, spectatâ ratione, non caret gravi fundamento; sed secunda, spectatâ auctoritate, videtur probabilior.

123. — « 5. Nondum perfectè natus est baptizandus, si sit » periculum, dummodò pars aliqua possit ablui: quia est » homo vivus, nec certò constat esse incapacem. » (*Vide dicta n. 107. ubi diximus probabilem esse sententiam, quòd possit infans sub conditione baptizari in utero matris, si per instrumentum aquâ tingi valeat.*)

124. — « 4. Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus » est sub conditione.

Dicit *Natalis Alex. de bapt. prop. 3. r. 3.* quòd nisi appareat evidens signum vitæ in fœtu abortivo, non est dandus baptismus, etiamsi adsit aliquod æquivocum signum. Si loquimur de baptismo absolutè ministrando, rectè sentit *Natalis*; sed loquendo de baptismo sub conditione conferendo, omninò dicendum cum *Busemb. ut suprâ, et Salm. de bapt. c. 6. p. 1. n. 3.* illum sine dubio ministrandum, quandocumque aliquod apparet dubium de vita prolis. Hinc optimè censet *Cardenas in crisi 1. d. 13. c. 3. Ronc. c. 4. q. 4. r. 3. Mazzotta t. 3. pag. 85. et Croix l. 6. p. 1. n. 294.* cum aliis AA. gravissimis, omnes fœtus abortivos, si per aliquem motum dent signum vitæ, et non constet esse animâ destitutos, semper esse baptizandos sub conditione, si vivant; maximè cum hodie vigeat opinio, non sine plausu à peritis recepta, quòd fœtus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies animâ informentur. Cæterùm benè advertit *Cont. Tourn. de bapt. cap. 7. sect. 2. concl. 2. v. Ex his*, non debère baptizari carneam massam, quæ nullam habeat organorum dispositionem, cum ubique receptum sit, non priùs infundi animam corpori, quàm istud formatum fuerit; et tunc, ut baptizetur, requiritur ut *indicet aliquem motum vitalem*, prout præscribit *Rituale romanum de bapt. parvul.*

« 5. Validè baptizatur, quem minister putat esse alium; » aut licèt sit puella, quam putat esse puerum; quia intendit » baptizare præsentem. Aliud est in matrimonio, quia intendit contrahere cum illa, quam putat. *Bon. p. 4. n. 26.*

« 6. Validè, etsi extra necessitatem illicitè, plures simul » baptizantur, hâc formâ, *Ego vos baptizo, etc. Bon. p. 4.* » (*Ita S. Thom. 3. p. q. 67. arl. 6. ad 2. et Rituale rom. ubi dicitur. Quum formam (Ego vos baptizo etc.) solùm in*

mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non palitur, ut singuli separatim baptizentur, aliàs nunquam licet adhibere.)

125. — « 7. Monstrum, quod capite et pectore formam hominis refert, est baptizandum; secùs si bestialem refert. Quod si verò caput tantùm sit ferinum, putat esse baptizandum *Comitolus Nav.* tamen, et alii volunt differentum, donec certius cognoscatur, nisi periculum mortis immineret: tùm sub conditione baptizandum esse.» (*Quando dubitatur, an monstrum sit homo, baptizandum absolutè, si caput sit humanum, licèt membra sint ferina; sub conditione verò, si caput sit ferinum, et membra humana; hoc verò si prodierit ex congressu viri cum fœmina: nam si prodierit ex viro cum bestia (quod incredibile puto), tunc baptizari semper deberet sub conditione; secùs si ex fœmina et bruto, tunc enim nullo modo baptizandum, quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili. Ita Bon. p. 6. n. 3. et Cont. Tourn. ead. concl. 2. cum S. Th. Henr. Possev. etc.*) « Quod si habeat membra hominis geminata, et dubitetur, nùm sit unus homo, an duo, duplex baptismus conferendus est, unus absolutè, alter sub conditione, in ea parte quâ membra apparent imperfectiora. *Vide Laym. l. 5. tr. 2. c. 3. n. 12. Bon. p. 6. et Rituale romanum, tit. de Baptismo.*» (*Servandum hic id quod habetur in Rituali rom. ubi sic dicitur: Illud verò de quo dubium est, una ne an plures sint personæ, non baptizetur; donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita... vel pectora: tunc enim totidem erunt corda et animæ, et eo casu singuli seorsùm sunt baptizandi. Quando verò non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet benè distincta, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, et postea alter sub conditione, si non es baptizatus, etc.*)

126. — « Resp. 3. Extra mortis periculum validè, non tamen licèt, baptizantur ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio est, quia vel auferuntur parentibus, et fit illis injuria; vel relinquuntur, et fit injuria sacramento, quod exponitur irreverentiæ. Quòd si tamen possint christianè educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his casibus: I. Si parentes sint tua mancipia; tunc enim tui po-

• tius sunt, quàm illorum. II. Si parentes aliquando fuerint
 » baptizati, vel uterque, vel saltem alteruter; quia tunc Ec-
 » clesia jus in eos habet. III. Si alter parentum petat; tunc
 » enim justa ejus voluntas injustæ alterius præferenda est,
 » in favorem prolis, et fidei. IV. Si infans sit in periculo mor-
 • tis. V. Si rationis jam compos puer petat, quia in negotio
 » religionis est sui juris. In dubio autem de usu rationis, suf-
 » ficit esse 7 annorum. Vide *Laym. l. c. Fill. tom. 2. c. 6.*
 • *Bon. p. 6. n. 12.*

Quæritur, an filii infidelium validè et licitè possint bapti-
 zari invitis parentibus? Ante omnia hic notanda plura, quæ
 in hoc puncto sunt certa. Certum est I. tale baptisma validum
 esse, ut communiter dicunt *Cont. Tourn. de bapt. cap. 7.*
sect. 2. post. concl. 2. v. Circà, etc Lugo Resp. mor. l. 1. dub. 5.
Salm. de bapt. c. 6. p. 2. n. 10. cum S. Anton. Suar. Vasq.
Laym. Conc. Bonac., et aliis passim (contra Catharinum, et
Durandum). Idemque docet *N. SS. P. Bened. XIV. in*
sua instruct. ad Vicesger. quæ incipit Postremo mense.
 Idemque priùs docuit *D. Aug. Ep. 98. aliàs 25. ubi de hoc*
 rationem dedit, dicens: *Non enim scriptum est, Nisi quis*
renatus fuerit ex parentum voluntate, sed, Nisi quis rena-
tus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto.

127. — Certum est II. quòd si parentes deficerent à fide
 ad infideles, benè possunt eorum proles, ipsis invitis, bap-
 tizari, quia sicut Ecclesia habet potestatem coercendi pa-
 rentes ad fidem observandam, ita potest filios ab ipsis auferre.
 Ita communiter *Suar. d. 25. sect. 5. Laym. l. 3. c. 6. n. 11.*
Natal. Alex. prop. 3. reg. 1. Pal. p. 6. n. 9. Cont. Tourn. loc.
cit. v. Suppon. 2. Sporer t. 3. p. 192. n. 52. Antoine de bapt. q.
13. Roncag. eod. tit. qu. 2. Holzm. t. 2. n. 141. Salm. de bapt.
c. 6. p. 2. n. 15. et alii passim. Et idem dicendum, si unus tan-
 tùm parentum fuerit priùs fidelis, ut communiter dicunt
Croix l. 6. p. 1. n. 299. Antoine, Roncag. ll. cc. Salm. ibid. in
fin. Suar. Laym. etc. Quid verò si proles sit mansura apud
 parentes hæreticos? Negant tunc posse baptizari *Suar. d. 25.*
sect. 5. et Salm. ibid. n. 16. cum Conc. etc., quia (ut dicunt)
 tunc obstat periculum proximum, quòd proles pervertatur.
 Sed probabiliùs affirmant *Laym. c. 6. n. 12. q. 5. in fin. et*
Croix num. 507. cum Aversa, Gob. Arsd. et probabile putat
Palaus n. 10. Ratio, tùm quia non est certa perversio talis

prolis, cum plures pueri in infantia decedant : tum quia idem periculum urget , si proles non baptizetur , baptizatur enim ab hæreticis , à quibus verum quidem baptismus confertur. Secus verò dicendum , si baptismus à quibusdam hæreticis invalidè conferatur , ut accidit apud Lutheranos , Anabaptistas , et Calvinianos , quia tunc horum proles habentur tanquam filii infidelium , prout ait *Croix n. 303. cum Dic.* Cæterùm filii hæreticorum verè baptizatorum licitè baptizantur , parentibus invitis , quando obstringi possunt , ut filios instruant in fide catholica ; quos aliàs licitè possunt superiores ecclesiastici ab eis avellere , ut catholicè educantur. Ita *Laym. n. 11. et Croix n. 303. cum Aversa , Dic. etc.*

128. — Certum est III. quòd si filii infidelium habeant usum rationis , et baptismum petant , possunt et debent baptizari , adhuc reluctantibus parentibus. Ita *Juen. t. 7. p. 174. Cont. Tourn. ibid. v. Suppon. 3. Lugo resp. mor. l. 1. dub. 4. Natal. Alex. prop. 3. reg. 6. Laym. nu. 10. Pal. num. 5. Ronc. qu. 2. et S. P. Bened. l. c. ex D. Th. 3. p. qu. 68. art. 10.* ubi idem docet , inquit : *Quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis , incipiunt (filii) suæ potestatis esse ; et ideò propriâ voluntate , invitis parentibus , possunt baptismum suscipere , sicut et matrimonium contrahere.* Et postquam filius invitis parentibus est baptizatus , potest , et debet Ecclesia ipsum ab eis segregare , ut à periculo perversionis avertatur ; ita *Laym. c. 6. q. 5. Pal. p. 6. n. 8. Salm. de bapt. c. 6. p. 2. n. 14. ex conc. Tol. 4.* relato in *c. d. Judæis , d. 45.* et confirmat *S. P. Bened. XIV.* Sed quid agendum , si dubium sit an puer habeat vel ne plenum usum rationis ? *Cont. Tourn. ibid. Ronc. tr. 17. q. 1. c. 4. r. 1. cum Pas. et S. P. Bened.* dicunt posse baptizari puerum , si septennium compleverit , quia tunc præsumptio stat pro usu rationis. Alii verò , ut *Suar. Vasq. Conc. ap. Lugo l. c. Sotus in 4. d. 5. art. 10. dub. 2. Laym. l. c. Croix n. 306. Ronc. ib. cum Candilo , et Pasq. item Conc. Cabrera , Ochag. ap. Lugo dub. 4. n. 2.* dicunt posse puerum baptizari , adhuc non completo septennio , quia in dubio decidendum est in favorem fidei ; idem sentit *Suar. d. 25. sect. 3.* quamvis hic moncat expectandum usque ad perfectum usum rationis. Meliùs tamen *S. P. Bened. cum Lugo l. c. n. 2.* docet in dubio rationis ante septennium puero petenti baptizari omninò differendum

baptismum, donec constet de perfecto ipsius rationis usu : sed sapienter addit illum tunc omninò avocandum à parentibus, et in loco tuto custodiendum. Nec obstat eo casu regula, quòd in dubio melior est conditio parentum possidentium potestatem supra filium ; nam rectè respondet d. Pontifex cum *Lugo* hanc regulam procedere in pari causa : sed in nostro casu potior est causa filii, cùm hìc agatur de levi detrimento parentum, nempe quòd ad modicum tempus suà potestate priventur ; contra verò agitur de maximo damno filii, nempe de sua morte æterna : unde hìc potiùs alia urget regula, nimirùm quòd in dubio magis innocenti, quàm nocenti favendum est.

129. — Certum est IV. posse et debère baptizari prolem si ipsa sit in periculo mortis. Ita communiter omnes DD. citati cum *S. P. Bened. XIV.* qui de hoc affert duo decreta S. C. Dicunt autem *Salm. de bapt. c. 6. p. 2. n. 53.* quòd ad hanc prolem baptizandam requiritur, ut moraliter de ipsius vita desperetur ; sed meliùs loquuntur *Busemb. ut supra, Laym. n. 10. Ronc. q. 2. Antoine q. 13. et Croix n. 305. Pal. n. 14. Sporer n. 53.* dicentes prolem esse baptizandam, quando cumque imminet periculum certum sive proximum de sua morte.

150. — Certum est V. quòd si filius infidelium justè vel injustè sit positus extra curam parentum, nec sit timor quòd ad eos sit reversurus, tunc benè potest baptizari. Ita communiter *Juenin. tom. 7. p. 174. Cont. Tourn. loc. cit. v. Suppon. 3. Conc. t. 8. p. 176. n. 10. Natal. Alex. prop. 3. reg. 5. Pal. n. 7. Sporer num. 63. Holzm. n. 141. Elbel t. 3. n. 52. Salm. l. c. n. 52. et 54. Laym. c. 6. n. 10. cum Soto, Vasq. Azor, et aliis passim.* Idemque docent *Conc. l. c. et N. SS. P. Bened. cum Azor, Cleric. Sessa, etc.* de filiis ab infidelibus expositis, vel derelictis, etiamsi parentes eos deinde repetant ; et hoc ex *cap. 1. de infant. et languil. expos.* ubi dicitur : *Si à patre vel ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extilit, hoc ipso à potestate fuit patria liberatus.* Idem dicendum de filiis infidelium perpetuò amentibus, ut docent *Laym. c. 6. n. 10. Salas p. 3. n. 13. Anacl. p. 346. n. 10. Salm. ibid. n. 57. Sporer n. 53. Ronc. q. 2. Holzm. n. 141.* Ratio, quia tunc cessat periculum perversionis, neque

tunc filii extraherentur à potestate parentum, qui super amentes nullam potestatem habent, cum ipsi sint directionis incapaces.

Certum est VI. filios infidelium in bello captos benè posse baptizari, parentibus invitis; ita *Gonet, Man. t. 6. p. 103. Juenin. p. 174. Viva quæst. 2. art. 6. num. 3. et N. Bened. XIV. cum Suar. et Corn. A. Lap.* quia lege belli captivi non ampliùs ad parentes, sed ad dominos pertinent.

Certum est VII. etiam licitè baptizari proles infidelium, qui sunt mancipia christianorum, ut *Bus. suprà, Gonet p. 103. Juen. p. 172. Conc. p. 172. Antoine q. 13. Nat. Alex. prop. 3. Ronc. qu. 2. Pal. p. 6. nu. 18. Wigandt ex. 5. n. 62. Laym. n. 10. Spor. n. 53. Holzm. n. 141. Elbel n. 52. Pal. n. 33. Croix n. 500.* Ratio, quia domini, cum habeant dominium in parentes, habent etiam in ipsorum filios.

151. — Certum est VIII. quòd si unus parentum consentiat altero reluctantante, benè infans baptizatur, ut *Bus. suprà, Petrocor. tom. 4. pag. 191. Juenin. loc. cit. Nat. Alex. Cont. Tourn. ibid. v. Suppon. 4. Salm. de bapt. c. 6. p. 2. n. 17. cum Pal. Azor. Suar. et communi, Laym. n. 10. Anacl. n. 10. Pal. n. 11. Spor. n. 53. Holzm. n. 141. Elbel n. 52. et N. Bened. XIV. ex conc. Tol. IV. can. Judæi, caus. 28. qu. 1. et cap. Ex litteris 2. de conversione infid.* Et idem dicendum, si mortuo patre, avus paternus consentiat in baptismum pueri, matre reluctantante, ut *Cont. Tourn. loc. cit. cum Sylvio, Salm. ibid. n. 19. cum Nav. Laym. et Val. ac P. Bened. XIV. ex auctoritate Gregor. XIII.*

152. — Dubitatur autem I. An utroque parente infideli reluctantante, possint baptizari eorum filii usu rationis carentes? Resp. Si filii sint mansuri in potestate parentum, nullo modo licet eos baptizare, ut decrevit S. C. S. Offic. die 3 Martii 1703. apud præfatam *Instruct. N. P. Bened. XIV.* quia tunc certum imminet periculum perversionis. Dubium igitur vertit, si tale periculum non adsit, nempe si filii subtrahantur à potestate parentum.

Prima sententia communior negat, et hanc tenet *D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 12.* quem sequuntur *Gonet tom. 6. pag. 103. Concina p. 172. n. 4. Wigandt n. 62. Nat Alex. et alii Thomistæ* communiter; item *Tourn. Prælect. theol. de bapt. quæst. 5. art. 5. tit. Utrum infid. etc. Salm. ibid. n. 20. Juen. tom. 7.*

p. 173. *Petroc. tom. 3. p. 191. Antoine qu. 13. r. 4. Croix. lib. 6. p. 1. n. 298. Laym. c. 6. n. 10. Roncaglia qu. 2. Ratio quia subtractio filiorum à potestate parentum cederet in eorum injuriam, cum ipsi naturale jus habeant super filios.*

Secunda sententia verò, quam tenet *Scotus in 4. dist. 4. q. 9. n. 2.* quem sequuntur *Frasen. t. 10. p. 299. Holzm. tom. 2. p. 30. cum Mastro, Bosco, Henricq. et aliis Scotistis communiter; item Pichler. tit. 6. n. 14. et Cont. Tourn. de bapt. cap. 7. sect. 2. concl. 3.* ac probabilem putat *Estius lib. 4. dub. 6. §. 2.* censet licitum esse hujusmodi filios baptizare, saltem auctoritate publicâ, et ex consensu principis. Hæc sententia per se loquendo non videtur suâ probabilitate carere, interveniente enim periculo salutis æternæ filiorum, parentes non habent jus in eos; et sicut potest eripi filius à parentibus, ne ipsi inferant ei mortem corporis, tantò magis eripi valet, ut à morte animæ liberetur. Dixi *per se loquendo*; nam spectatis circumstantiis, hæc sententia vix videtur posse in praxim deduci, ob graviora mala, quæ comitarentur hujusmodi baptismos. Et ideò Ecclesia, ut testatur *D. Th.*, nunquam morem habuit baptizandi filios infidelium ipsis invitis. Insuper advertendum, quòd pro filiis Hebræorum adest constitutio *Julii III.* (relata à *Pignatello t. 4. consult. 192. et N. P. Bened. XIV.*) qui imposuit suspensionem, et pœnam mille ducatorum baptizantibus filios Hebræorum, reluctantibus parentibus. Idque confirmavit *S. C. concilii die 16 Julii 1639.* (apud eundem *Bened.*) statuens nullo modo baptizandos filios Hebræorum sine ipsorum consensu, donec perveniant ad legitimam ætatem.

An autem baptizandus sit filius, quem pater Judæus offerat ad baptismum, ut liberetur à morbo? *N. Bened.* affert decretum *C. S. offic. editum die 24 Septemb. 1699.* quo statutum fuit illum esse baptizandum. Sed, ut diximus suprâ, postquam talis puer est baptizatus, avelli debet à parentibus, ut christianè educetur.

153. — Dubitatur II. An liceat venderè filios non baptizatos parentibus infidelibus? Negat *Hurtad. de bapt. d. 3. diff. 5.* quia id videtur esse contra christianam charitatem; sed communiùs, et satis probabiliter affirmant *Suar. d. 25. sect. 6. Laym. c. 6. n. 10. in fin. v. Porrò. Pal. nu. 6. et 20. Tamb. de bapt. c. 3. n. 17. et Bon. q. 2. p. 6. num. 14. cum*

Vasq. Con. Fill. Henr. et aliis: Ratio, quia per se non est intrinsicè malum restituere filios parentibus; et contrà videtur non esse obligationem alendi, et educandi tales pueros, sine ulla utilitate, cùm charitas ad tantum onus non obliget, quando filii non sunt in extrema necessitate. Sed huic rationi non omninò acquiesco; melior videtur ratio communis pacis servandæ, quia, si prorsùs negarentur filii infidelibus expetentibus, damnum oriretur, quòd nec etiam ipsi redderent christianos captivos, cum magno discrimine perversionis; magis autem incumbit Ecclesiæ curare, ut sui fideles servent fidem, quàm ut infideles ad fidem ducantur. Hinc testantur *Pal. et Laym. l. c. cum Henriq. Vasq. et Con.* jam consuetudine introductum esse, ut filii captivi, nullo eis collato baptismo, Saracenis et hæreticis restituantur.

134. — « Quæres. An baptismus aliquando repeti possit, » et quâ formâ?

« Resp. Cùm temerè rebaptizare sit mortale ex objecto, » quia est in genere sacrilegii, dum conaris ministrare sacramentum incapaci; hinc ad hoc, ut non liceat rebaptizare, » non requiritur certitudo de baptismo, sed sufficit, si pro » eo sint conjecturæ, ut v. g. quòd quis natus, et educatus » sit inter fideles, nec pro contraria parte rationes alicujus » momenti occurrant; leve enim, vel metaphysicum dubium » non sufficit, sed requiritur grave et morale, vel saltem » rationabile. In quo inclinandum esse in favorem baptizandi, » rectè monet *Laym. c. 5. n. 3. et 4. ex Suar. et aliis.*

In hujusmodi dubiis attendenda est regula communiter à DD. recepta, quòd ad iterùm conferendum baptismum baptizato sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens sive rationabile dubium, an sacramentum fuerit vel ne receptum; ita *Suar. d. 22. sect. 2. v. Sed quæres, Laym. c. 5. n. 4. Salm. de bapt. c. 6. p. 4. n. 55. Bonac. d. 1. qu. 2. p. 1. n. 36. Pal. pag. 13. n. 3. cum Con. Val. et communi.* Dubium autem vel potest esse juris, vel facti. Quando dubium est juris, nempe quando aliquis est baptizatus cum materia, forma aut intentione dubia, tunc certè baptismus est iterandus sub conditione, prout communiter docent *Suar. l. c. et Salm. de bapt. c. 6. p. 4. n. 56. cum D. Thom. qu. 66. art. 9. ad 4. (vide dicta n. 27.).* Dubium facti est, quando dubitatur an datus sit vel ne baptismus; et tunc si dubium est nega-

tivum, eò quòd nulla habeantur indicia hominem esse baptizatum, sine hæsitatione hic est sub conditione baptizandus, ut rectè ait *Suar. l. c. ex can. Cùm itaque 92. de consecr. dist. 4.* ubi *S. Leo* id docet dicens: *Non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omninò nescitur.* Et in *can. seq. 93.* idem *S. Pontifex* de hoc rationem affert: *Quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Quando verò dubium facti est positivum, etiam baptismus est iterandus, quando utrinque adsunt apparentes non leves conjecturæ, quæ rem dubiam efficiunt, unde in concil. Carthag. V. relato in *c. Placuit 91. dist. 4. de consecr.* sic dicitur: *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur.... absque ullo scrupulo esse baptizandos.*

Hic tamen notandum I. cum *Suar. l. c. Holzm. p. 50. n. 144. Salm. ibid. n. 62. cum Laym. Pal. Bon. et N. SS. P. Benedict. XIV. in suis notific. cum Glossa in dict. can. Cùm itaque;* et in *c. Nuper, de testib. ac communi*, ad id sufficere unum testem ocularem fide dignum. Et hoc etiamsi testis sit fœmina, ut *Bus. infra n. 157. cum Laym.* Secùs verò si adsunt testes positivè oppositum deponentes; vide *Croix n. 312.* Notandum II. quòd baptizandi non sunt, neque sub conditione, adulti qui nati sunt ex parentibus christianis, et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti baptismi, ut expressum extat in *c. Veniens 5. de presb. non baptiz.* ubi sic dicitur: *Et certè de illo qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Hoc tamen intelligendum, modò pro contraria parte graves non occurrant rationes, ut benè advertunt *Bus. ut suprà, et Laym. c. 5. n. 4.* qui sic ait: *Nihilominùs existimo interdùm etiam adulto inter fideles educato conferendum esse baptismum sub conditione, si tales conjecturæ adsint (putà quia v. g. à vénéficis parentibus natus est, à diabolo valde infestatur, nec sciri potest ullo indicio, ubi vel à quo baptizatus fuerit), quæ præsumptionem accepti baptismi tollant et contrarium verisimile efficiant.* Refert autem *P. Zacharia in adnot. ad Croix l. 6. p. 1. n. 510.* censuisse *S. C.* baptizandam esse sub

conditione quamdam mulierem, eò quòd nullum potuerit reperiri vestigium baptismi, nec matrimonii parentum assertorum. Notandum III. quòd si infans aliquis arreptus sit à barbaris, et dubitetur, an captus fuerit ante vel post baptismum, tunc omninò baptizandus est sub conditione, ut cum communi dicunt *Pal. p. 13. n. 8. Salm. de bapt. c. 6. p. 4. n. 88. et alii, ex c. Parvulos, d. 4. de consecr. ubi Gregor. XIII. id expressè definivit.*

135. — « 1. Sub conditione baptizandi sunt 1. qui cum » materia et forma, aut intentione dubia (secundùm supra » dicta) sint baptizati. 2. Infantes expositi, et reperti sine » scheda testante de baptismo; secùs si cum ea. Ita commu- » niter. *Quintan. tamen t. 1. sect. 13. et 14. contendit etiam » hos esse baptizandos. 3. Baptizati ab obstetricibus veneficis; » præsertim si fassæ, vel convictæ fuerint, aliquando non » rectè baptizasse. Laym. c. 5. n. 3.*

Quæritur an infantes expositi sint baptizandi? Si isti exponantur sine scheda, sine dubio sunt baptizandi, nisi aliàs constaret fuisse ritè baptizatos, ut rectè dicunt *Busemb. et Salm. ibid. n. 87. cum Suar. Soto, Laym. et aliis communiter.* Quæstio est, an baptizari debeant pueri expositi cum scheda?

Prima sententia negat, quam tenent *Busemb. ut supra, et Pal. p. 13. num. 5. laudans, Sot. Vasq. Laym. et Bon.,* quia testimonium illud moralem inducit certitudinem, cùm nequeat rationabiliter credi, parentes, qui catholici esse præsumuntur, velle suam prolem tanto sacramento privari.

Secunda sententia verò verior et communior recentiorum docet omnes hos esse baptizandos sub conditione, quoties non habetur moralis certitudo de baptismo collato, et ritè collato, aliàs semper remanet prudens dubium de suo valore. Ita *Petrocor. t. 3. p. 211. q. 11. Holzm. p. 31. n. 147. Ronc. c. 4. q. 5. r. 2. Nat. Alex. prop. 7. reg. 6. Conc. p. 185. n. 10. Elbel tom. 3. p. 46. n. 64. Croix n. 318. cum Quintanad. Gob. etc. Cont. Tourn. de bapt. cap. 8. art. 5. in med. cum Sylvest. et Henno, ac Sporer pag. 196. n. 72. cum Marchant. et Synodis Cameracensi, Narbonensi, Aquensi, et Tolosana, idemque sentit Noster Bened. XIV. dict. notif. qui affert concilium Mediolanense sic statuens: Infans expositus, licèt appensum collo scriptum habeat, quo*

ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisita, quemadmodum Catechismo romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, sub conditione baptizetur. Item affert declarationem S. C. concilii die 15 Januarii 1724. ubi dictum fuit hujusmodi infantes expositos, etiam cum scheda de baptismo collato, esse sub conditione baptizandos, quamvis sint in ætate unius anni cum dimidio. Et hoc videtur esse quidem juxta mentem Ritualis rom. ubi dicitur: *Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Exceptit tamen S. C. in præfata declaratione à baptismo sub conditione schedulas quæ haberent certitudinem, juxta instructionem aliàs datam.

136. — « 2. Infantes ab obstetricibus, vel parentibus, » vel cognatis, etc. ob necessitatem baptizatos, promiscuè » omnes sub conditione rebaptizare (quando obstetrices bonæ; et benè instructæ censentur) non licèt; quia de valore baptismi prudenter, et rationabiliter dubitari non » potest. *Suar. Luym. l. 5. t. 2. c. 5.* qui tamen contrariam » consuetudinem quorundam parochorum damnare non » audent, eò quòd experienciã didicerint, obstetrices non » rarò fuisse deceptas à diabolo, ideòque reverà periculum » aliquod sit animæ, ob quod irreverentia cesset: additque » eam consuetudinem approbatam fuisse à Pastoralis romano » edito Antverpiæ 1607. eamque sententiam tenet *Sylv. apud » Dian. p. 5. t. 13. r. 86. et ipse Dian. p. 9. t. 6. r. 55.* » cum aliis 2. censet eam probabilem, habereque locum in » omnibus baptizatis ab hæreticis, licèt sint adulti; quod » *C. de Lug. r. mor. l. 1. d. 2.* rectè limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique etiam » *Quintan. t. 1. sect. 6.* docet, infantes supradictos ferè » omnes rebaptizari posse sub conditione.

Quæritur I. An sint rebaptizandi infantes ab obstetricibus sive laicis baptizati? Alii affirmant, ut *Sylv. 3. p. q. 66. art. 9. et Farvacquesius*, ac Synodi Mechliniensis, et Iprensis apud *Concinam p. 184. n. 9.* Alii verò, ut *Cont. Tourn. loc. cit. v. Infra* cum Synodis Ebroïcensi, Rothomagensi, etc. sentiunt hos semper esse rebaptizandos sub conditione, quoties tamen desunt ad minus duo testes fide digni de baptismo

ritè collato. Sed communissima et vera sententia docet, tunc tantùm tales pueros esse rebaptizandos, quando adest probabilis suspicio erroris in dato baptismo; ita *Bus. ut suprâ et Suar. d. 51. sect. 6. Conc. l. c. Nat. Alex. prop. 7. reg. 5. Laym. c. 5. Holzm. p. 151. num. 145. Pal. p. 13. n. 7. cum Cox. Croix n. 521. cum Gob. et Quint. Salm. de bapt. c. 6. p. 4. n. 60. cum Bon.* Et ita censuit S. C. (ut refert P. *Zacharia ap. Croix l. 6. p. 1. n. 323.*) dicens pueros domi baptizatos non esse rebaptizandos, nisi adsit probabile dubium invaliditatis. Secùs verò dicendum, si in examine parochus constanter deprehendat obstetricem illam, sive laicum ritè baptizasse, ut dicunt AA. præfati, quibus consentit *Estius in 4. dist. 4. §. 15. cum Soto, Petro de Palude, et Sylv.* ubi dicit non esse baptizandos, *cùm obstetrix interrogata testetur se ritè totum mysterium peregisse.* Id confirmat *S. Carolus Borrom. (in instruct. de bapt.)* dicens: *Si, re accuratè investigatâ, (parochus) exploratum habuerit puerum formâ servatâ baptizatum esse, caveat omninò, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat.* Idemque dicitur in *Catech. rom. de bapt. n. 57.* ubi: *Ea baptismi forma (scilicet conditionata) ex Alexand. Papæ auctoritate, in illis tantùm permittitur, de quibus, re diligenter perquisitâ, dubium relinquitur, an baptismum ritè susceperint; aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjunctione, baptismum alicui iterùm administrare.* Notandum autem 1. quòd, postquam aliquis privatim baptizatus est, consuetæ cæremoniæ et ritus in Ecclesia suppleri debent, ut dicunt *Salm. de bapt. c. 6. p. 4. n. 60. cum communi ex Rituali rom.* Notandum 2. quòd, cùm baptismus reiterandus est, puto cum *Crox l. 6. p. 1. n. 325. etc.* omninò servandum ordinem descriptum *n. 117.* quidquid aliqui dicant. Potest tamen dari in quocumque loco, si peractæ jam sint solemnitates in Ecclesia, ut dicunt aliqui apud *Crox l. c.* Notandum 3. cum *Crox n. 323.* quòd in collatione talis baptismi non est præmittenda confessio, sed sufficit præmitti dolor de peccatis.

157. — Quæritur II. An debeant rebaptizari pueri ab hæreticis baptizati? Certum est de fide ex *Trid. sess. 7. can. 4.* validum esse baptismum collatum ab hæreticis, quando omnia requisita ad sacramentum adhibentur. Sed meritò pu-

tant Gob. Dic. et Quintan. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 322. pueros baptizatos à prædicantibus (et idem ait Sylvius præcisè de baptizatis ab Anglis, ac Cont. Tourn. ibid. in fin. de cunctis baptizatis à Lutheranis, et Calvinianis) omnes esse rebaptizandos, saltem sub conditione, quia facilè dubitari debet de materia, forma, et intentione talium ministrorum, cùm ipsi hoc sacramentum non judicent absolutè necessarium; propter quod parùm curant de necessariis requisitis; aliis adhibentibus aquam rosaceam: aliis dividunt materiam à forma, ita ut alter verba proferat, alter aquam infundat; aliis aquam tantùm super vestes infundentibus. Et ideò, cùm tot urgeant motiva dubitandi de valore talium baptismatum, meritò dicimus, ordinariè loquendo, illa sub conditione repetenda. Cæterùm censuit S. C. (ut refert P. Zacharia ap. Croix l. 6. p. 1. n. 322.) non esse rebaptizandos pueros baptizatos ab hæreticis, nisi in eo loco prædicantes non observarent requisita ab Ecclesia catholica ad valorem sacramenti.

« 3. Peccat graviter minister, 1. qui non rebaptizat eum, » de quo rationabile dubium juris, vel facti manet, nùm » validè sit baptizatus; quia tenetur proximum liberare à » probabili periculo gravis mali, cùm facilè potest. Laym. » l. c. Quint. l. c. 2. Si non diligenter inquirat in talis bapti- » smi valorem, nisi de hoc aliunde constet. Quintan. t. 1. » sect. 6. et 7.

« 4. Non est rebaptizandus, de cujus baptismo habetur te- » stimonium unius oculati testis, licèt fœminæ: dummodò » non sit suspecta, nec aliud obstet. Laym. l. c.

« 5. Qui verè et rationabiliter dubitat de suo baptismo, te- » netur petere baptismum, et parochus ei conferre. Quintan. » l. c. sect. 13. et 19. et intereà abstinere ab usu aliorum sa- » cramentorum.

« Resp. 2. Baptismus sub conditione hâc formâ conferen- » dus est: Si baptizatus es, non te baptizo; si nondùm es ba- » ptizatus, ego te baptizo, in nomine, etc. Ac licèt sufficiat sola » mente conditionem apponere, si ex omissione non timea- » tur scandalum: tutius tamen est exprimere verba saltem » ista: Si non es baptizatus, etc. Vide Tol. l. 2. c. 19. Laym. » l. c. Suar. d. 31. Fill. t. 2. c. 4. q. 9. Patrinus autem in » hoc baptismo necessarius non est, nec adhibendus. Quint. » l. c. sect. 18.

138. — Pro complemento hujus puncti quæritur I. Quinam sint effectus sacramenti baptismi? Resp. I. Effectus est remissio omnis peccati originalis et actualis ante baptismum commissi ut habetur in *Catech. Rom. n. 42. et Trid. sess. 5. §. 5. In renatis nihil odit Deus*. Remanet tamen in iis peccati fomes, qui non est peccatum, et si ei resistitur gratiâ Jesu Christi, proderit ad coronam. II. Effectus est condonatio omnium pœnarum pro peccatis debitarum. Ita in *Catech. n. 45. ex Trident. dict. §. 5. ubi: Ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Vide Salm. de bapt. c. 5. p. 3. n. 22. et 23.* III. Est largitio divinæ gratiæ, quâ filii Dei et cœli hæredes efficiuntur, ut ex *Trid. sess. 6. c. 7.* IV. Characteris impressio. V. Ut baptizatus fiat Ecclesiæ membrum, et illius auctoritati subjiciatur.

139. — Quæritur II. Quæ dispositio requiritur in suscipiente baptismum? Respond. in infantibus eorum voluntatem supplet Christus et Ecclesia. Est certum ex *Trid. sess. 7. c. 13. ubi dicuntur parvuli baptizari in sola fide Ecclesiæ*, quamvis actu proprio non credant. In adultis autem requiritur intentio saltem habitualis, id est habita, et non retractata. *Salm. de bapt. c. 6. p. 3. n. 40. cum Con. Pal. Bon. et commun. Vide dicta n. 81. v. Certum.*

Hinc inferitur I. baptismum validè conferri, etsi recipiatur per metum gravem; secus autem, si recipitur per meram vim, animo omninò renuente. *Suar. Bon. Pal. cum Salm. ib. n. 42. ex Tolet. 4. c. 56.* Inferitur II. validum etiam esse baptismum collatum dormienti, vel amenti, qui sui compos antea petierit. *Pal. Henr. etc. cum Salm. ibid. n. 43.* Benè tamen ibid. advertit *Suar.* quòd ad licitè ministrandum tunc baptismum, requiritur aliqua necessitas, nempe si amentia censeatur perpetua, vel si homo sit in probabili periculo mortis; et tunc satis est, si sufficientia indicia volendi baptismum antea ille præstiterit, quæ indicia sufficiunt etiam ad præsumendam debitam pœnitentiam habitam de peccatis, nisi constet suscipientem post mortale in amentiam incidisse. In dubio autem de petitione, baptismus est conferendus sub conditione. *Salm. ibid. num. 45. cum Bon. Henr. etc. Vide dicta num. 81. v. Utrum.*

Requiritur etiam in adulto, ad licitè recipiendum baptismum, fides, et pœnitentia. Quoad fidem requiritur, ut sciat sacramenta (saltem baptismum, Eucharistiam, et pœnitentiam).

tiam), præcepta decalogi, saltem crasso modo, et orationem dominicalem: ultrà quatuor illa scitu necessaria, id est Dei existentiam, Deum remuneratorem esse, Trinitatem, et incarnationem passionemque D. N. Jesu Christi. In urgente autem periculo mortis, sufficit scire hæc quatuor ultima, ut benè dicunt *Sanch. et Sot. cum Salm. ibid. n. 50.* Quoad pœnitentiam autem requisitam, requiri contritionem tenent *Nav. et alii.* Sed veriùs *Gonet. Man. tom. 6. pag. 103. Suar. d. 28. sess. 2. concl. 2. Canus prælect. de pœnit. p. 5. et Salm. ibid. n. 55. cum Val. Soto, Henr. Gran. et aliis pluribus,* tenent sufficere attritionem, quin sit charitate formata; idque expressè docuit *D. Th. 3. p. qu. 79. art. 3. ad 2.* ubi docet quòd *non inconvenienter* (homo) *accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis.* Utique, si requireretur contritio, iste non posset accedere cum conscientia peccati mortalis, ipse enim S. Doctor docuit alibi (*Supplem. quæst. 5. art. 3.*) quòd, *quantumcumque parvus sit dolor, dummodò ad contritionem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergò si accederet cum quacumque parva contritione, profectò sine peccato accederet. Sed clariùs id expressit in *4. d. 6. qu. 1. a. 5. ad 5.* ubi dicit: *Ad hoc, ut homo se præparet ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Nescio huic quid respondere possint adversarii, si dicere vellent *S. Thomam* aliam quàm nostram tenuisse sententiam. An verò in suscipiente baptismum requiratur aliqualis charitas inchoata? *Vide dicenda de pœnit. num. 437.*

DUBIUM V.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

ARTICULUS I.

Quæ servanda circa cæremonias baptizandi?

140 Quæ servanda quoad cæremonias in baptismo?

141 An sit mortale baptizare sine unctione chrismatis, et aqua consecrata?

142 An sit illicitum baptizare extra Ecclesiam? Et quando permittatur?

143 An omittendæ cæremoniæ in baptismo privato, et an patrinus?

144 An collato baptismo privato, cæremoniæ sint supplendæ? Quid si baptismus fuerit invalidus?

145 Quid notandum circa nomen in baptismo imponendum, et librum baptismatum.

140. — « **R**ESP. Cæremoniæ baptismi petendæ sunt ex
 » agendis cujusque Ecclesiæ. Universim tamen circa eas ser-
 » vanda sequentia : I. Baptismum extra necessitatem absque
 » peccato non posse conferri, nisi in aqua consecrata. Quæ
 » cùm deest, habetur formula brevis in quibusdam agendis ex
 » tempore aliam consecrandi, pro casu necessitatis. Quòd si
 » etiam hâc formulâ careas, adhiberi potest aqua communis
 » benedicta. II. Baptismum solemnem non conferendum, nisi
 » in templo, et in loco ad id deputato, nisi filiis regum, et
 » principum, quibus adde filios catholicorum in locis hære-
 » ticus : interim quoad hoc in magnatibus, et nobilibus con-
 » nivetur in multis locis. *Laym. c. 8. n. 8.* » (Vide dicta n.
 148. Not. III.) « III. Infantes ex consuetudine deferendos ad
 » baptismum circa diem octavum, nisi priùs sit necesse,
 » vel nisi sit gravis causa dilationis, v. g. quia patrinus sunt ex-
 » pectandi, in qua tamen non licet communiter extra neces-
 » sinitatem privatim baptizare, et postea adhibere solemnitates,
 » sed præstat expectare aliquandiu. *Laym. c. 6. n. 8.* » (Vide
 dicta num. 148. Not. II.)

141. — Mortale est negligere cæremonias baptismi aut ali-
 quam ex eis notabilem, ut omnes communiter cum *Holz. p.*
53. n. 164. Croix l. 6. p. 1. n. 339. Hinc notandum I. Seclusâ
 necessitate, est mortale baptizare sine unctione chrismatis,
 ut *Elbel p. 44. n. 80. Holz. ac Croix ib. cum Gob. etc.* Ita
 pariter est mortale baptizare in aqua non consecrata, vel in
 chrismate alterius anni, ut docent communiter *Nav. c. 22.*
n. 74. Sa v. Baptismus n. 15. Viva q. 2. art. 7. n. 2. et Bon.
punct. 7. n. 20. cum Con. et Nugno, ex can. Si quis de alio,
dist. 4. de consecr. ubi damnatur de mortali : Si quis de alio
chrismate quàm de illo (scilicet novo) baptizare nisi præoccu-
pante morte, tentaverit. Idque confirmat Rituale rom. (de sa-
 cram. bapt.) dicens : *Veteribus oleis, nisi necessitas cogat,*
ultra annum non utatur; ac si deficere videantur, et chris-
ma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum

de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate. Quid, si annus sit completus, et pastor non accepit novum oleum? Apud *Croix l. 6. p. 1. num. 342. Marchantius* suadet, ut baptizet, præmissis aliis, et postea suppleat unctiones. *Gobatus* verò dicit baptismum posse differri, nisi adsit mortis periculum; imò addit, quòd si in aliqua diœcesi adsit usus, poterit pastor veteribus oleis uti. *Sporer* autem in *supplem. de bapt. n. 95.* censet infantes posse semper baptizari in veteri chrismate, quia ipsi jugiter sunt in periculo mortis; dicit enim *Catech. rom. (p. 2. n. 34.)* pueris non esse differendum baptismum, cùm *præsertim propter ætatis imbecillitatem infinita penè vitæ pericula illis impendeant.* Ego sentio distinguendum: Si oleum novum expectandum esset per notabile tempus, putà per decem vel undecim dies (*juxta dicta num. 118. Not. 2.*), tunc licitè poterit conferri baptismus sine unctionibus, et postea unctiones suppleri; quia talis dilatio sat justa est causa, ut possit baptismus sine illis ministrari. Secùs, si oleum intra prædictos dies facilè habèri possit: tunc enim puto non posse sine necessitate, vel saltem sine causa gravi baptismum separari ab unctionibus, quæ ex gravi quidem præcepto concomitanter cum baptismo debent adhibèri, nisi fortè priùs jam adhibitæ sint, ut plures opinantur. *Vide dicenda num. 144. v. Sed hæc.*

142. — Notandum II. Mortale etiam est sine necessitate baptizare extra Ecclesiam; ut *Suar. d. 31. sect. 2. Pal. p. 12. num. 16. et Croix num. 334. cum Gob.* Excipe tamen 1. Si dubium adsit de morte infantis, putà, si infans nascatur sine fletu, si mulier difficulter sit enixa, si infans prosiliat ante 7 mensem; tunc enim baptizare licet domi privatim, ut ait *Croix n. 333. cum Gob. et Quintan.* qui idem dicunt, si proles prodeat in 8 mense. Excipe 2. Si infans nequit in Ecclesiam deferri sine periculo infamiæ parentum, aut alius gravis damni; quo casu putat *Croix n. 336. cum Gob. et Jordan.* posse domi baptismum solemniter conferri. Excipe 3. Si infans sit filius regis, aut principis. *Sed de hoc vide dicta n. 118. Not. III.*

143. — « 4. Baptizanti non licet adhibère cæremonias ali-
» quas, omissis aliis; quia vel fiet in baptismo solemniter, quod
» prohibet *Trid. sess. 6. cap. 5.* vel privato; sed in hoc pro-
» hibet *Clementina unica* illas adhibère, nisi sit filius regis,

» aut principis. » (Ut mox suprâ dictum est.) « De patrino
 » tamen usus habet, ut et tunc adhiberi possit, etsi non sit
 » necesse. Et multi putant, adhibitum non contrahere cogna-
 » tionem spiritualem, nec verè patrinum effici, ut *Sanch.*
 » *Rodriq. contra Laym. et Suar.* quorum tamen sententia vi-
 » detur probabilior.

144. — « 3. Cùm in necessitate, vel aliam ob causam (nam
 » ob gravem causam, v. g. justum timorem infamiæ, ali-
 » quando licitè fit) baptismus sine cæremoniis est collatus,
 » ea cessante, illæ solemniter in templis sunt supplendæ, »
 (Ut *S. Th. 3. p. q. 71. art. 5. ad 3. cum Salm. de bapt. c. 7.*
p. 1. n. 18. et communi, ex c. 1. de sacr. non iter. Et hæc
cæremoniæ sunt supplendæ sub mortali, ut Croix lib. 6. p. 1.
n. 540. cum Avers. et Pign.) « Quod tamen non est moris in
 » hæreticis conversis, ne plebs putet, nos eorum baptismum
 » improbare. *Laym. c. 8. n. 10.* Imò in aliis omittere, secluso
 » contemptu, esse tantùm veniale docet *Possev. de Offic. Cur.*
 » *c. 6. n. 23.* qui autem tenet more patrini infantem, dùm
 » cæremoniæ supplentur, non contrahere cum eo cogna-
 » tionem spiritualem, *Dian. p. 3. t. 4. r. 260. ex Pontio*
 » dicit esse probabile.

« Si baptismus collatus deprehendatur fuisse invalidus, non
 » idèò repetendæ sunt cæremoniæ.

Sed hæc quæstio est, alii ut *Palau punct. 12. n. 24. et*
Salm. ibid. n. 21. cum S. Anton. et Reg. dicunt repetendas
 esse cæremonias, secluso scandalo, vel infamia baptizantis,
 vel baptizati. Ratio, quia cæremoniæ sunt accessoriæ ad
 baptismum, cùm pertineant ad ejus ornatum; unde semper
 ac baptismus confertur, debent illum concomitare. Alii verò
 communiùs cum *Busemb. ut Suar. d. 31. sect. 6. v. Septimo,*
Bon. punct. 7. n. 32. Holzm. n. 267. cum Aversa, item Co-
ninc. ap. Pal. n. 23. ac probabile putat *Croix n. 341.* ne-
 gant esse repetendas, tùm quia in *cap. 1. de sacr. non iterand.*
 dicitur in sacramentis characterem imprimentibus nihil esse
 iterandum, sed cautè supplendum id quod incautè fuerit
 omissum. Unde, cùm in baptismo invalido jam fuerint adhi-
 bitæ cæremoniæ, non est obligatio eas iterandi, tùm quia
 ad debitum cultum sacramenti servandum sufficit, ut cære-
 moniæ vel subsequantur, ut habetur in Rituali romano, vel
 antecedant sacramentum. Quapropter cæremoniæ tam antec-

dentes, quàm subsequentes baptismum moraliter cum ipso conjunguntur. Utraque sententia videtur probabilis, sed prima ut tutior consulenda.

145. — Circa nomen, quod in baptismo imponitur, I. notat *Croix lib. 6. p. 1. num. 329.* non peccare, qui nomen non Sancti imponit; quia imponere Sancti nomen non est præceptum, sed tantum monitum *S. Pii V. et Pauli V.* Idem dicit *Croix contra Vasq.* si imponatur nomen veteris testamenti, v. g. Adami, Tobias, etc. Hoc autem in nostris partibus passim usitatur. Advertit tamen *Croix cum Catech. rom. c. 14. n. 3.* non facile acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum. Notat II. *Croix n. 330.* quod si dubitetur, an infans sit vir, aut mulier, et urgeat periculum mortis, potest baptizari, sine nomine. In *Rit. rom. de Sacr. Oleis, etc.* de hoc ita habetur: *Curet (parochus) ne obscena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, etc.* Notat III. *Croix num. 331. cum Abb. Bon. et Dic. contra Sotum, et Sa,* nomen in baptismo inpositum licite posse privata auctoritate mutari, cum hoc nullo jure prohibeatur: procul dubio autem mutari potest in confirmatione.

Circa autem librum baptizatorum, notandum, hunc fidem facere in quovis tribunali, ut advertit *Croix l. c. p. 1. n. 345.* Parochus autem diligenter tenetur in libro adnotare diem, et horam nativitatis, parentes, et patrilinos. Item si baptismus sit collatus sub conditione, vel sine cæremoniis: item ubi infans repertus sit expositus. Ita in *Rituali rom. in fin. tit. Formulæ scribendi, etc.*

ARTICULUS II.

Qui patrini, et quod eorum officium?

- 146 *Ad quid teneantur patrini? Et quæ requirantur, ut quis validè sit patrinus?*
- 147 *Quando patrinus teneatur instruere susceptum? Et an possit omitti patrinus in baptismo privato?*
- 148 *Qualis actus requiratur in patrinis, ut contrahant cognationem?*
- 149 *An cognationem contrahat suscipiens, vel baptizans in baptismo privato?*

- 150 *An parentes suscipientes, vel baptizantes filios contrahant impedimentum petendi debitum?*
- 151 *An contrahat cognationem suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione?*
- 152 *An qui ex errore suscipit unum pro alio?*
- 153 *Quis contrahat cognationem, si quis suscipiat nomine alterius?*
- 154 *An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati?*
- 155 *An possint esse patrini ejusdem duo mares, vel duæ sœminæ? Dub. 1. An patrinus masculi debeat esse masculus, etc. Dub. 2. An peccent designantes duos mares, vel duas sœminas?*
- 156 *Quid requiratur, ut quis licitè sit patrinus? Repelluntur ab hoc officio 1. Religiosi. 2. Conjuges, et parentes. 3. Infames. 4. Apostatæ, et hæretici. An autem catholici possint suscipere infantes hæreticorum hæretico baptizante? 5. Plures quàm duo.*
- 157 *An duo conjuges possint esse patrini alienæ prolis?*
- 158 *Vide quæ habentur apud Busemb.*
- 159 *Quando graviter peccet parochus circa hanc materiam?*
- 160 *Quæ debeat monere parochus post datum baptismum? Et signanter ne matres decumbant cum infantibus.*

146. — **R**ESP. 1. Patrini sunt quasi patres spirituales, » qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam. Unde » eorum officium est baptizatum de rebus fidei instruere, » orationem dominicam, et symbolum docere, ad quod obli- » gantur, si id ab aliis non fiat. *Laym. l. 5. t. 2. c. 9.* » (*Vide n. seq.*)

« Resp. 2. Ut quis validè sit patrinus, non certa ætas, » (*Ut Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 29. cum Sanch. Laym. Nav. etc. contra Abbat. qui requirit ætatem 18 annorum. Croix autem l. 6. p. 1. n. 356. requirit saltem septennium*) (1) « sed » requiritur I. Usus rationis. II. Ut ipse sit baptizatus (quia » non potest esse pater, qui ipse nondum sit natus) et qui- » dem, ut ejus baptismus fuerit validus, quia accessorium » sequitur principale. III. Ut à parentibus, vel parocho ad » hoc designatus sit : ad quod videtur sufficere, si etiam ultrò » se ingerens sit admissus, designatos autem ritè à parentibus

(1) « Probabiliter tenet *Croix*, requiri saltem ætatem 7 annorum. » *Hom. Ap. tr. 14. n. 52.*

» parochus non validè mutat. » (Sed Tamb. §. 2. n. 12. dicit quòd parochus validè mutaret, et adhæret Croix num. 562. , quia ex Trid. sufficit designatio parentum, vel parochi; parochus autem mutans patrinum graviter peccaret, ut ait Beda ap. Croix ibid.) « Dian. p. 6. t. 7. r. 89. IV. Ut in ipso baptismo (quia non sufficit, ut in solis cæremoniis) per se, vel » procuratorem tangat, teneat aut de manu baptizantis suscipiat. » (Illud suscipere, intelligendum esse dicunt Salm. l. c. n. 51. si baptismus sit per immersionem : sed Croix n. 563. dicit cum Avers. et comm. sufficere ad contrahendam cognationem, quòd patrinus suscipiat baptizatum è manu baptizantis, etiamsi baptismus sit per infusionem.) « V. Ut » id non materialiter tantùm, sed animo susceptoris, » sive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. c. 9. » n. 2. » (Ita etiam Tamb. et Avers. apud Croix n. 563. Quòd si quis suscipiat filium unius, putans esse filium alterius, dicunt Sanch. Tamb. Gob. et Croix n. 563. eum cognationem non contrahere; sed vide infra n. 152.)

147. — Illic prænotandum ut certum I. id quod docet D. Thomas circa obligationem patris; nam 3. p. q. 67. art. 8. sic ait : *Ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi; et ideò obligatur ad habendam curam de ipso.* Id est, ut dicunt Holzm. tom. 2. pag. 32. n. 158. Cont. Tourn. de bapt. cap. 6. v. Quær. 2. Salm. de bapt. cap. 7. p. 2. n. 26. et alii passim, tenetur instruere baptizatum circa fidem et mores. Attamen hæc obligatio tunc tantùm urget, si necessitas immineret; sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur, ut dicit idem D. Thomas l. c. addens : *Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quòd à suis parentibus diligenter instruantur; si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum salutis spirituali filiorum curam impendere.* Et idem dicunt communiter Salm. ibid. n. 27. cum Suar. Laym. Pal. Con. Val. etc. Prænotandum II. quòd in baptismo privato nulla culpa est, si patrinus omittatur, ut ajunt Cont. Tourn. ibid. Quær. 1. r. 3. Holzm. pag. 32. n. 154. et Salm. ibid. n. 24. cum Soto, Suar. Sanch. et aliis communiter. Dicunt tamen Sanch. de matr. l. 9. d. 26. n. 3. et Laym. l. 5. tract. 2. c. 9. cum Suar. Conc. etc. quòd licèt non necessariò sit adhibendus

patrinus in baptismo privato, tamen benè adhibèri potest, et præstantiùs adhibetur.

148. — Sed quæritur I. Qualis actus requiratur in patrinis, ut contrahant cognationem? Textus qui hanc cognationem statuunt (relati à *Sanch. de matr. lib. 7. d. 56. n. 1.*), his utuntur vocabulis, *suscipit, tenet, accipit, levat, tangit*. Unde DD. conveniunt apud *Sanch. l. c. et n. 2. et 3.* requiri ad contrahendam cognationem, ut patrinus vel teneat, aut tangat infantem dùm baptizatur; vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte; vel de manibus baptizantis. An autem requiratur tactus physicus ad contrahendam cognationem? Loquendo de infantibus, communiter affirmant DD. apud *Sanch. n. 4.* Loquendo verò de adultis, negant *ibid. Sotus, Lopez et Sa*, qui dicunt sufficere tactum moralem, sive assistentiam; quia cùm adulti possunt ex se sustentari, sufficit assistentia quâ denotent patrini se suscipere eos in suam curam, cæremoniã tentionis non adhibità. Sed communissimè et meritò huic contradicunt *Palaeus p. 11. §. 2. n. 3. Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 31. et 32. Bonac. q. 3. p. 5. §. 2. n. 14. cum Carden. Reg. Fill. etc. ac Sanch. l. c. cum Manuel. et Henr.* qui de hoc affert declarationem Cardinalium. Ratio, tùm quia talis tentio expressè requiritur à sacris canonibus, tùm quia (ut dicit *D. Th. 3. p. q. 72. art. 10.*) hæc cæremonia non est jam inducta ad suppleendam inbecillitatem corporis, sed ad significandam imbecillitatem animæ, unde S. Doctor *ibid. ad 1.* ait: *Licèt ille qui confirmatur (idem dicendum de baptizato) sit adultus corporaliter, nondùm tamen est adultus spiritualiter.*

149. — Quær. II. An baptizans, et patrinus adhibitus in baptismo privato, contrahant cognationem spiritualem? Nulli dubium quòd baptizans contrahat, ut communiter dicunt *Pal. p. 11. §. 2. n. 13. Cont. Tourn. de dispens. part. 1. cap. 4. art. 2. v. Collig. 4. Viva de matr. q. 5. ar. 6. n. 4. et alii.* Dubium est, an contrahat patrinus?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Suar. 3. p. q. 67. ar. 8. in fin. Laym. cap. 9. n. 5. cum Arm. et Nav. ac Viva l. c. cum Sa, et Con.* Ratio, quia patrinus non propter solam solemnitatem in baptismo adhibetur, sed etiam propter obligationem instruendi baptizatum. Et quamvis Ecclesia in *Trid. sess. 24. cap. 2. de Ref.* non præceperit adhibèri patrinum in

baptismo privato, illum tamen non prohibuit, nec (ut ait Suarez) juri antiquo derogavit.

Secunda sententia verò communior, et probabilior negat, eamque tenent Palaeus l. c. n. 12. cum communi ut asserit, Sanch. de matr. l. 7. d. 62. n. 14. Bon. eod. tit. qu. 3. p. 5. §. 2. n. 11. Holz. p. 582. n. 544. Sporer p. 4. n. 89. Cont. Tourn. loc. cit. v. Collig. 1. cum Soto, et Salm. de matr. c. 12. p. 2. n. 52. cum Hurt. Rodriq. Dic. Cornejo, et Diana. Probatur ex Trident. dict. cap. 2. ubi sic statuitur: *Unus tantum sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum baptizati- que patrem et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint.* Ex quibus verbis AA. præfati rectè concludunt, impedimentum ex concilio contrahi solùm à suscipientibus *de sacro fonte*, qui solus institutus est ad conferendum baptismum solemne, non autem privatam. Nec obstat dicere cum Suarez, quòd Tridentinum hic non derogavit juri antiquo, quo (ut asserit) omnes suscipientes cognationem contrahant. Nam primò non ostendit Suarez, ut opus erat, quo jure antiquitùs in baptismo privato contrahebatur cognatio; deinde, etiamsi hoc primitùs statutum fuisset, Tridentinum tamen ad evitanda incommoda, derogavit omnibus aliis prohibitionibus incundi matrimonia, præter illas quas hic statuit dicens: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, et à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, etc.* et prosequitur ut supra. Ergò ad vitanda incommoda concilium præscribere voluit, ut præfata cognatio in posterum non contrahatur nisi à suscipientibus de sacro fonte, id est in baptismo solemni, ut diximus.

130. — Quær. III. An parentes baptizantes vel suscipientes de baptismo filios contrahant impedimentum petendi debitum? Certum est 1. non contrahere, si baptizent in necessitate, ut docent *D. Thom. Suppl. q. 56. art. 1. Sanchez de matr. lib. 9. d. 23. Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 49. et de matr. c. 13. p. 5. n. 24. et alii communiter ex cap. Ad limina 7. causa 30. q. 1.* ubi dicitur: *Inculpabile judicandum, quòd necessitas intulit.* Certum est 2. graviter peccare parentes, qui ex industria, et sine necessitate filios baptizant, ut patet ex *can. De his 6. caus. 30. qu. 1. vide Viva loc. cit.* Certum est 3. non contrahere cognationem, si parentes ex ignorantia baptizent, ut habetur in *c. Si vir 2. de cognat. spir.* ubi sic dicitur: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit.... quamvis generaliter sit institutum ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt; ideòque nobis videtur quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere.... quia si ex ignorantia (nota) id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

Quæstio igitur est, an parentes contrahant impedimentum, si filium baptizent ex industria præter necessitatem?

Prima sententia communior affirmat, et hanc tenent *D. Th. Suppl. qu. 56. a. 1. Petrocor. t. 3. p. 217. Conc. t. 8. p. 58. n. 14. item S. Bonav. Palud. Rich. et alii plures cum Sanch. de matr. l. 9. d. 26. n. 7.* Ratio, quia eadem lex, quæ decernit cognationem spiritualem contrahi inter baptizantem, et parentes baptizati, ipsa impedimentum inducit inter parentes suam prolem baptizantes.

Secunda sententia verò satis probabilis negat, eamque tenent plures et graves DD. ut *Suar. 3. p. qu. 67. art. 8. Pontius de matr. l. 10. c. 6. n. 4. Viva eod. tit. qu. 7. art. 3. n. 7. Coninck d. 34. dub. 8. num. 69. Salm. cit. c. 13. n. 25. cum Perez, Dic. etc.* Idem tenet Glossa in *cit. c. Si vir. v. Debitum*, ubi dicit: *Non invenimus in hoc casu quod non exigat, ergò nec nos prohibemus.* Ratio est, quia reverà nullo jure (ut ipse *Sanch.* fatetur, et ideò hanc sententiam probabilem, et tutam vocat) expressum invenitur, suppositam cognationem contrahi; et si aliqui antiqui textus adfuerint separationem inter tales conjuges injungentes, tamen

omnes hi canones (ut ait *Sanch.*) correcti fuerunt à cit. c. Si vir, ubi dicitur, quòd hujusmodi conjuges non sunt separandi, et additur, nec alter alteri debitum debet subtrahere; ex quibus verbis rectè inferunt *Salm.* nullum impedimentum contrahi ad debitum petendum; textus enim non dicit, quòd tantùm nocens teneatur innocenti debitum non negare, sed utitur terminis correlativis, qui mutuam obligationem inducant. Si igitur utraque pars (ut benè arguit *Pontius n. 4. in fin.*) tenetur debitum reddere, ergò utraque potest petere; nam si nocens petere non posset, neque pars innocens posset reddere, quia ex una parte non teneretur reddere, cùm nocens jam amiserit jus petendi; ex altera neque etiam posset reddere, si posset negare sine gravi incommodo, quia coöperaretur peccato alterius, juxta dicta lib. 3. num. 47. et ut dicemus in hoc casu tract. de matr. lib. 6. n. 945. Nec verum est, quòd quidquid dirimit matrimonium contrahendum, impedit etiam jam contractum; nulla enim pœna incurritur, ut compertum est apud omnes, nisi in jure sit expressa; in nostro autem casu hæc pœna non petendi debitum nullibi invenitur expressa, sicut aliàs habetur de incestuoso ex c. 1. De eo qui cogn. consanguin.

151. — Quær. IV. An suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione, contrahat cognationem? Resp. si de primo baptismo adsit dubium dumtaxat negativum, omninò affirmandum cum communi, quia nulla tunc urget ratio pro valore anterioris baptismi, et præsumptio stat tantùm pro valore secundi. Ita *Sanch. de matr. lib. 7. d. 62. num. 6. Mazzotta t. 4. p. 45. Salm. de matr. c. 12. p. 2. n. 29. in med. cum Bonac. et Renzius de bapt. cap. 5. qu. 4. cum Dicast. et Diana.* Secùs tamen dicunt *Sanch. n. 7. Renzius n. 4. cum Diana*, si dubium sit positivum. Et hoc est satis probabile juxta dicenda de matr. n. 905. ubi dicemus cum communi DD. benè posse contrahi matrimonium, quando post adhibitam diligentiam nullum impedimentum certò adesse probatur.

152. — Quær. V. An contrahat cognationem qui ex errore suscipit unum infantem pro alio? Negant *Cont. Tourn. de dispens. part. 1. cap. 4. art. 2. v. Collig. 4. et Sanchez, de matr. l. 7. d. 58. num. 7. cum Abbat. etc.* Quia in dict. cap. 2. de cognat. spir. dicitur conjux, quæ ignoranter le-

vavit filium mariti, non arcèri à petitione debiti. Affirmant verò *Pontius de matr. l. 7. cap. 19. n. 19. et Pal. de bapt. p. 11. §. 2. n. 3. cum aliis*; quia suscipiens videtur habère intentionem suscipiendi infantem, quicumque sit; textum autem allatum dicunt non probare conjugem non gessisse verum officium susceptoris, sed solùm ex dispositione juris sublatum esse impedimentum petendi debitum, quod impedimentum non decebat quidem contrahi sine conjugis culpa; sed hanc rationem ajunt non procedere in nostro casu. Et hæc sententia mihi probabilior videtur; nisi (ut rectè excipit *Renzius c. 3. q. 13. cum Tamb. et Januar.*) ille habeat expressam intentionem non tenendi alium, nisi quem intendit suscipere.

153. — Quæritur VI. Quisnam contrahat cognationem, si quis suscipit infantem nomine alterius? Tres adsunt sententiæ.

Prima sententia communior dicit contrahere solùm principalem, et ita sentiunt *Sanch. de matr. l. 7. d. 59. n. 12. Pontius l. c. Renzius c. 3. q. 26. Pal. l. c. num. 14. cum Coninc. Barb. et Hurt. Croix l. 6. p. 1. n. 364. cum Aversa, et Gob. Cont. Tourn. loc. cit. v. Collig. 3. cum Nav. et Fagnano.*

Secunda sententia dicit contrahere solùm procuratorem, quia hic solus infantem suscipit; ita *Concina tom. 8. p. 190. n. 16. cum Soto, et Tolet.*

Tertia sententia, quam tenent *Leand. et Diana cum Sa, Reg. ac Fill. apud Conc. l. c.* dicit neutrum contrahere, non principalem, quia non suscipit; non procuratorem, quia hic non intendit contrahere. His non obstantibus, prima sententia, quæ communior est, absolutè verior mihi videtur, Ratio, quia ex Trid. is contrahit cognationem, qui est à parentibus ad suscipiendum designatus. Nec obstat, quòd principalis de facto non suscipiat, quia juxta regulam juris, qui per alium facit per se facere videtur. Sicque decisum refert *Pontius à S. C.* quæ dicit in hoc casu: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.*

154. — Quær. VII. An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati? Ante omnia hic advertendum id quod habetur in *Tridentino cit. sess. 24. c. 2. de Ref.* ubi sic sancitum fuit: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent, Constitutionibus in contrarium non obstantibus.* Sed dubium

1. occurrit, si nullus sit designatus, et plures tangant, an omnes contrahant? Tenet *Diana cum aliis apud Busemb.* ut suprà, neminem eorum cognationem contrahere; et hanc sententiam probabilem putant *Sanch. l. 7. d. 57. n. 12. ac Suar. Gutt. etc. apud Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 36.* et probabiliorem vocat *Croix n. 359. cum Gob. et Aversa*, quia Tridentinum expressè requirit designationem, et proinde (câ deficiente) cognatio non contrahitur. Sed oppositam, cui me subscribo, communem vocat *Viva de matr. q. 5. a. 6. n. 6. cum Bon. et Con.* et hanc tenendam dicunt *Salm. ibid. n. 37. cum Nav. Laym. Pal. Cont. etc.* ex declar. S. C.; hi dicunt omnes contrahere. Ratio, quia, licèt concilium præscribat, ut parochus sciscitetur à parentibus quem designarint, et ut puniatur si aliter fecerit; non tamen dicit susceptionem esse nullam, neque irritat jus antiquum, ut habetur in *c. fin. de cogn. spir. in 6.* ex quo omnes tangentes cognationem contrahunt: hæc sunt verba hujus textus: *Quamvis non plures quàm unus vir vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur.* Et ob eandem rationem idem rectè dicunt *Auctor Addit. ad Wigandt de bapt. cas. 8. v. Oppositum, et Salm. ibid. n. 35. cum Pal. Corn. et aliis (contra Croix etc. l. c.)*, etiamsi adsint patrini designati, sed alius præter eos tantùm tangit; hic solus enim tunc contrahit, quia concilium dicit eos non contrahere qui *ultra* designatos tangunt, non verò qui *præter*; nam *ultra* importat quòd tangant designati, et non designati; *præter* autem importat, quòd tangant tantùm non designati, quia à Concilio non eximuntur à contrahendo cognationem, saltem non expressè, uti opus erat exprimi; alioquin in dubio possidet jus antiquum. E converso secùs omninò dicendum, si tangat unus designatus, alter non designatus, quia hic nullo modo contrahit, ut patet ex verbis Tridentini suprà allatis.

Dubium occurrit 2. Si plures quàm duo designentur, et omnes tangant, an omnes cognationem contrahant? Censet *Suar. 3. p. q. 67. a. 8. in fin.* quòd si successivè tangant puerum, primi duo tantùm cognationem contrahunt, et idem sentiunt rectè *Sanch. de matr. lib. 7. d. 57. n. 14. et Croix l. 6. p. 1. n. 360.* Si autem simul omnes tangant, *Suar.* censet

nullum contrahere. Sed *Sanch. Croix*, et *Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 45. cum Pont. Con. Pal. ac Reb.* communiùs, et probabiliùs dicunt tunc omnes designatos contrahere; quia Tridentinum, licèt vetet adhiberi plures quàm duos, tamen non irritat jus antiquum, nisi cùm tangunt plures ultra duos designatos, non verò, si tangant plures designati ultra duos. Et hoc tantò magis currit, si ex iis pluribus designatis ignoretur quis priùs tetigerit ex *decr. S. C. ap. Salm.*

Sed notandum hic 1. cum *Cont. Tourn. de dispens. part. 1. cap. 4. art. 2. v. Collig. 3. in fin.* quòd si parochus injustè repellat patrilinos à parentibus electos, et il infantem teneant, hi veram cognationem contrahunt. Notandum 2. cum eodem *Cont. Tourn. suprà et Bon.*, quòd si parochus admitteret plures patrilinos quàm duos, mortaliter peccaret, quia læderet præceptum Ecclesiæ in re gravi, impositum ne multiplicentur cognationes. Si verò plures patrini accedant à parentibus designati, benè poterit permitttere (prout ait *Croix n. 350.*) ut omnes tangant; modò externè designet unam et unam, quibus tantùm tradat infantem, et illos solos adnotet ut patrilinos, moneatque tantùm eos cognationem contraxisse.

155. — Quæres VIII. An patrini possint esse duo mares, aut duæ fœminæ? Nega; sed probabile est cum *Sanch. et Croix n. 350.* esse tantùm veniale, contra *Bon. et alios* qui volunt esse mortale.

Dub. 1. An patrinus masculi (si unicus sit) debeat esse masculus, et fœminæ fœmina? Affirmat *Laym. ex Conc. Nic.* sed probabiliùs negant *Suar. Fill. Avers. Gob. ap. Croix n. 551.* cùm ex Trid. dicatur, *sive vir, sive mulier.*

Dub. 2. An peccent designantes ut patrilinos duos mares, vel duas fœminas? Certum est peccare tam parentes, quàm parochum tales patrilinos admittentes, cùm sit contra præscriptum Ecclesiæ. Id autem *Croix n. 350. cum Sanch.* putat esse tantùm veniale; *Bon.* verò et alii dicunt esse mortale; et hoc mihi verius videtur, si patrini essent diversi sexùs ac infans: quia sic multiplicarentur cognationes, quod prohibère voluit Tridentinum, ut vidimus; secùs si essent ejusdem sexùs.

156. — « Resp. 3, Validè quidem, sed illicitè sunt patrini, »
 » 1. Abbas, et monachus. Quo nomine non veniunt mendicantes. » (*In c. Non licet 103. de consecr. d. 4. sic habetur:*

Non licet abbati, vel monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere. *Licetum est verò monachis compatres fieri baptizando, ut Petroc. t. 3. p. 217. cum Glossa in c. Pervenit. dict. dub. 4. An autem nomine monachorum veniant etiam mendicantes? Negant Palaus tr. 19. part. 11. §. 1. n. 4. et Salm. de bapt. c. 7. p. 2. num. 47. cum Coninch. Sed melius affirmant Conc. cum Laym. Ang. Sanch. Fill. Bon. Diana etc. ac Ronc. c. 6. q. 1. r. 3. Ratio, quia, licet nomine monachorum in odiosis non veniant mendicantes, tamen Rituale rom. tit. de patrino id vetat in omnibus regularibus dicens: Ad hoc etiam admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis regulares à sæculo segregati, regulares autem facti Episcopi non prohibentur suscipere, ut ait Palaus l. c. cum Laym. Sanch. etc., ac Holzm. n. 163. cum communi). « Etsi Laym. omnes claustrales comprehensos velit, et quoad abbates, in multis locis consuetudo sit contraria. II. Conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum, nisi sit necessitas. III. Moribus infames. IV. Apostatæ, et hæretici, qui nullo casu videntur advocandi, quia ea advocatio esset protestatio quasi falsæ religionis, cum nonnisi de falsa fide sint sponsuri: etsi Laym. hic c. 9. n. 7. probabiliter dicat, posse subinde ob gravem causam admitti. Catholici verò ob rationabilem causam infantem hæretici, baptizante Prædicante, suscipere possunt, saltem in Germania. Laym. c. 9. num. 6. » (Et Croix n. 370. consentit cum Gob. et Tamb. si per hoc nullo modo approbetur ritus hæreticorum contrarius fidei, contra Nav. Less. etc. An autem ex gravi causa adhiberi possit patrinus hæreticus? affirmat Laym. et consentit Pal. si aliter oriretur gravis offensio; sed communiùs negant Tann. et alii apud Croix n. 575.) « V. Plures, quàm duo, quia Trident. non nisi unum, aut ad summum unum et unam permittit, propter cognationem spiritualem inde oriri solitam: ideòque mandat parochis, sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ut si plures se offerant, petant ab his, ad quos spectat, patrilinos designari, ut unum, vel duos nominent, eosque tantùm admittant, qui cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eosque de contracta spirituali cognatione instruant: scilicet, quòd ea impediatur, dirimatque matrimonium non quidem inter se,*

» sed inter ipsos, et baptizatum, ejusque patrem, et matrem
 » sicut etiam inter baptizantem et baptizatum, baptizatique
 » patrem et matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando
 » propriam prolem suscipiunt in necessitate. *Vide Laym. locis*
 » *suprà citatis.*

157. — Quæritur hic, an duo conjuges possint licitè susci-
 pere alienam prolem? Negat *Suar. 3. p. qu. 67. art. 8. ex*
constitutione Urbani II. relata in can. fin. caus. 30. qu. 4.
ubi dicitur: Sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni
labe et infamia conservetur immunis, dignum esse decerni-
mus, ut utrique (conjuges) simul ad hoc aspirare minimè
præsument. Censet tamen *Suarez* id non esse plùs quàm veniale,
 ex verbis illis, *dignum esse decernimus*, quæ videntur solam
 decentiam inducere. Sed nullum esse peccatum probabiliùs,
 et cum communissima docent *Nav. Man. c. 22. n. 39. Sanch.*
de matrim. l. 7. dis. 37. n. 5. Bonac. eodem tit. q. 3. p. 5.
§. 2. n. 5. et Salm. de bapt. c. 7. p. 2. n. 51. cum Coninch.
 Ratio, quia jam consuetudine introductum est hoc esse lici-
 tum; idque expresse docet *D. Th. in 4. dist. 42. qu. 1. art. 3.*
qu. 2. ad 4. ubi ait: *Nihil prohibet, quin vir et uxor simul*
aliquem de sacro fonte levent.

158. — « 1. In privato baptismo, ob necessitatem dato,
 » pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus
 » infantem; cùm in hoc casu nulla sit patrini necessitas,
 » ideòque si id vel tunc, vel etiam in baptismo publico temerè
 » faciat (idem est, si prolem suam ipse baptizat), graviter
 » peccat, et insuper contrahit in posteriore casu cognationem
 » cum conjuge; atque ut docet *Sanch. de matrim. lib. 7.*
 » *disp. 54. et alii communiter*, privatur jure petendi debi-
 » tum; quod tamen negant *Conc. et Dian. t. 4. de sacram.*
 » *r. 3. Vide Bon. de matrim. qu. 3. part. 5. §. 2. Escob. t. 7.*
 » *e. 2.* ubi citat *Suar. negantem.* » (*Et quidem probabiliter;*
vide dicta n. 150.)

« 2. Si inter multos patrinos nulli certi à parentibus, aut
 » in eorum defectu à parcho designentur, qui aliis seclusis
 » cognationem contrahant, et sic multi ex ignorantia, vel
 » parochi negligentia levent, probabile est, omnes contra-
 » here cognationem (nisi tamen assistant tantùm, et non
 » tangant). *Vide Laym. l. 5. t. 10. p. 4. c. 8. et tr. 2. c. 9.*
 » *n. 4. Diana tamen p. 9. t. 7. r. 5. ex Suar. Merat. et Perez,*

» dicit eo casu nullum contrahere cognationem. » (*Vide dicta n. 154.*)

159. — « 3. Parochus graviter peccat: I. Si ex negligentia » frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum; » tum ob legem Trid. in re gravi et sub pœna gravi; tum » ob incommoda, et damna inde sequentia. *Quintan. t. 2. s. 11. II. Si ejus culpâ patrini plures adhibeantur. Quint. l. c. Ac licet Perez et Serra apud Dian. p. 9. t. 7. r. 5. dicant » esse probabile, quòd tantum peccet venialiter, alii tamen » mortalis eum damnant.*

Peccat etiam graviter parochus baptizans solemniter sine patrino, cum hæc sit de præcipuis cæremoniis. *Croix l. 6. p. 1. n. 548. et 549. cum Gob. Gorm. Bon. et Quintanadvennas.* Sic etiam graviter peccabit, si admittit ad baptismum patrinum non designatum, ut dicunt præfatus *Auctor Addition. in Wig. l. c. et Cont. Tourn. de bapt. cap. 6. v. Quær. 4. cum Bon. Hurt. Barb. Vega, et aliis;* et hoc ex præcepto Tridentini *l. c.* ubi dicitur: *Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter sciscitetur quem vel quos elegerint, etc.*

160. — Hic autem ultimò notandum ex Rituali rom. parochum post datum baptismum debere 1. adnotare in libro nomina baptizati, ejusque parentum, ac susceptorum. 2. Monère patrilinos de cognatione contracta, eorumque obligatione. 3. Inculcare matribus, et nutricibus, ne decumbant cum infantibus, ob periculum suffocationis. Notat verò *Cont. Tourn. ibid. v. Quær. 5. in fin. cum Barb. Anacl. Pirking. etc.* communiter, quòd *si talis cubatio omni culpâ caret, ut contingere potest, si v. g. lectus est latus, puer implacabilis, qui aliter à frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis pœna cessabit.* Ita *Cont. Tourn.*

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

DUBIUM I.

Quid sit, et quæ ejus materia, et forma?

- 161 *Quâ ratione confirmatio est sacramentum?*
 162 *Quæ sit materia remota hujus sacramenti? Et an sit materia necessaria oleum olivarum, et balsamum.*
 163 *An sit necessaria benedictio chrismatis? Et an hæc possit committi simplici sacerdoti? An sit obligatio uti chrismate novo?*
 164 *Quæ materia proxima? Et an ultra chrismationem requiratur altera manuum impositio?*
 165 *An unctio possit fieri alio digito, quàm pollice manus dexteræ?*
 166 *An mediante instrumento?*
 167 *De forma in Ecclesia Latina.*
 168 *Quæ mutationes circa formam invalident sacramentum? De forma Græcorum.*
 169 *De effectibus confirmationis.*

161. — **R**ESP. 1. Confirmatio est unctio chrismatis, sub » præscripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Epi- » scopo, quâ is ex Christi institutione gratiæ augmentum, et » robur accipit.» (*Ita ex Trid. sess. 7. can. 1. ac Decr. Eugen. IV. in instruct. ad Armenos, atque ex aliis conciliis apud Bellarm. Habetur autem in epist. 2. Dominus, Fabiani Papæ, hoc sacramentum fuisse institutum in nocte Cœnæ, quâ Christus D. de ipso apostolos edocuit. Vide Salm. de confirm. c. 1. p. 1. n. 2. et 11. item Petrocoren. t. 3. p. 226. q. 2. Cont. Tourn. de confirm. cap. 2. concl. 2. (1) qui id probant ex traditione).*

162. — **R**ESP. 2. Materia ejus remota essentialis est chrisma confectum ex balsamo et oleo olivarum, (2) benedictum » ab Episcopo. Ita *comm. Doct.*

(1) In loco citato reperimus Continuaterem amplecti sententiam: confirmationem probabilis à Christo fuisse institutam Resurrectionem inter et Ascensionem. *Fabiani* Epistolam pariter rejicit *Tournely* in *Præl. theol.*

(2) « Ad differentiam olei baptismi et infirmorum, ut distinxit *Innoc. III.* » An autem unum oleum istorum sit materia valida pro alio sacramento, negant *Suar. Laym. et Henrig.* sed probabilis affirmant *Bellarm. Castr. Bonac. et Barb.* » *Hom. Ap. tr. 14. n. 39.*

Edit.

Unde resolves :

« 1. Non sufficit solum balsamum, ut voluit *Canus*; nec » solum oleum, ut voluerunt *Caj. Sot. Nav.*

Certum est oleum esse de necessitate sacramenti, ex *cap. ultim. De sacram. unct. et ex Decr. Eugen. IV. ut Salm. ibid. c. 2. n. 3. cum comm. et Croix l. 6. part. 1. n. 375.* Et debet esse oleum olivarum, ut docet *S. Thom. 3. part. qu. 72. art. 2.* Per dictum oleum enim, quod naturâ suâ pingue est et diffluens, significatur gratia Spiritûs sancti, quæ à Christo capite in nos effunditur. Balsamum autem certum est esse de necessitate præcepti; an autem sit etiam de necessitate sacramenti?

Prima sententia negat, et hanc tenent *Juenin. t. 7. pag. 208. Cont. Tourn. loc. cit. cap. 3. art. 2. concl. 2., item Nav. Sot. Val. etc. apud Salm. de confirm. c. 2. p. 1. n. 5.* et meritò probabilem putat *Croix cum Covarr. Dicast. Aversa, etc.* Probant ex *cap. Pastoralis de sacram. non iterand. ubi Innoc. III. interrogatus de subdiacono ordinato sine impositione manuum, et de alio confirmato in solo oleo benedicto, sic respondit: In talibus nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerit prætermissum.* Unde (ut dicunt) balsamum non est de necessitate sacramenti, nam aliàs totum sacramentum iterari debuisset.

Secunda sententia verò communior et probabilior affirmat, et hanc tenent *D. Th. cit. art. 2. Bellarm. de confirm. c. 8. prop. 2. Gonet d. 6. art. 6. Suar. qu. 72. dist. 53. sect. 1. Petroc. tom. 3. pag. 261. Concina t. 8. pag. 204. n. 12. Holzm. pag. 40. n. 194. et Salm. ibid. n. 7. cum Pul. Laym. Bon. et idem docet Catech. rom. n. 7. ubi dicitur: Duæ res corporeæ permixtæ (scilicet oleum, et balsamum) confirmationis materiam præbent. Probatur 1. ex decreto Eugenii IV. approbato à concilio Florentino ubi dictum fuit, materiam confirmationis esse *chrisma confectum ex oleo, et balsamo.* Opponunt contra hoc decretum *Cont. Tourn. in append. de conciliis, et Habert,* quòd, cùm illud formatum fuit, concilium jam erat solutum, ab eo enim jam discesserant Episcopi Græci cum suo Imperatore, finito negotio unionis suæ Ecclesiæ cum Latina. Sed respondet *Petrocor. t. 3. pag. 269.* non idèò desiisse concilium, cùm Græci consenserint in continuationem concilii, in*

qua fieri debebat altera unio Armenorum. Unde in hoc decreto *Eugenius* eundem morem tenuit loquendi solitum in generalibus conciliis, *Sacro hoc approbante concilio Florentino*. Et in fine sic dictum fuit: *Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia Majori celebrata anno Domini 1431*. Præterquam quòd testatur *Petrocor.* hoc decretum in omnibus catholicæ religionis partibus receptum fuisse. Probat^{ur} 1. ex cap. *Cum venisset unic. de sacra unct.* ubi *Innoc. III.* postquam distinxit tria genera olei, nempe catechumenorum, infirmorum, et chrisma, quod (ut ait) *ex oleo fit et balsamo, mysticâ ratione; per oleum enim nitor conscientiæ designatur... per balsamum odor famæ exprimitur*. Deinde in §. *Per frontis eod. cap.* sacramentum confirmationis vocat *chrismationem*, non propter aliud quidem, nisi propter chrisma, quod ibi adhibetur. Confirmatur id ex antiqua praxi Ecclesiæ, nec verum esse dicit *Bellarmin.* nullum patrum ante *D. Gregorium Magnum* meminisse hujus balsami mixtionis; nam *D. Cyprianus* longius antè (ut refert *Bellarminus*) jam scripserat: *Hodie in Ecclesia sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, sacerdotalis et regiæ gloriæ exprimit unitatem*. Item refert, *S. Clementem* mentionem fecisse *fragrantiae odoris chrismatis*. Ad textum autem præfatum in cap. *Pastoralis*, respondetur cum *Petroc. et Holzm.* quòd Pontifex dicendo *supplendum prætermissum*, non voluit quidem supplèri simplicem balsami, sed totam chrismatis unctionem, et ideò dixit non iterandam, quia, ut ait *Glossa ibid.*, *non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit*. Certum est autem neutram sententiam esse de fide, neque certam; hinc omninò sacramentum conferendum est cum oleo et balsamo, et aliàs saltem dubium esset, ut rectè dicunt *Habert t. 5. pag. 289. Bellarm. loc. cit. et Natal. Alex. art. 2. prop. 2*. Et ideò datum cum solo oleo, saltem sub conditione esset iterandum. E converso, quia prima sententia sat est probabilis, rectè dicit *Croix n. 576. cum Gobat.* quòd in articulo mortis benè poterit conferri confirmatio sub conditione ex solo oleo, si nequeat habèri chrisma ex balsamo quoque confectum: magna enim utilitas hujus sacramenti justa esset causa illud sub conditione ministrandi, juxta dicta *n. 28*.

Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis, ut dicunt *Gonet, Man. t. 6. pag. 163. Pal. part. 4. num. 3. Croix n.*

577. cum Coninch. et Viva q. 3. art. 1. num. 1. Ban. etc. Gobat. modò sit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus.

163. — « 2. Etiam benedictio episcopalis est de essentia, » ut habet communis contra Caj. idèdque nullà delegatione » sive Episcopi, sive Papæ simplex sacerdos potest conficere » chrisma. *Con. d. 72. art. 3. d. 1.*

Quæritur, an chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum? Certum est apud omnes, quòd necessitate præcepti chrisma omninò debet esse benedictum ab Episcopo. Sed dubitatur 1. unde necessitate sacramenti debeat benedici chrisma saltem à sacerdote? Negant *Palud. apud Salm. de confirm. c. 2. p. 1. n. 15. et alii apud Petroc. t. 3. pag. 262. qu. 3.* At omninò id affirmandum cum aliis, et probatur ex decreto *Clementis VIII. apud nostrum Bened. XIV. de Synodo l. 7. c. 14. n. 4.* ubi *Clemens* loquens de oleo benedicto adhibendo in extrema unctione, decrevit extremam unctionem ministratam cum oleo benedicto à sacerdote sine concessione Papæ invalidam esse; hæc verba decreti: *Sacram extremam unctionem Latinis collatam à sacerdotibus Græcis oleo ab ipsismet benedicto esse validam.*

Dubitatur 2. An chrisma necessariò debeat esse benedictum ab Episcopo?

Prima sententia communior affirmat, et hanc tenent *D. Th. 3. part. qu. 73. art. 3. Petrocor. t. 3. p. 262. qu. 5. Concina tom. 8. p. 205. n. 16. et Salm. ibid. n. 18.* idque putant probari ex conciliis *Nicæno I., Romano II.* et ex *c. 119. dist. 4. de consecrat.* ubi *Innocent. I.* sic dicit, et *Presbyteris (qui extra Episcopum, seu præsentò Episcopo baptizant) chrismato baptizatos ungere licet, quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis; cum tradunt Spiritum paraclætum.* Idem præscribitur in decreto *Eugenii IV.* ubi dicitur materia confirmationis esse chrisma ab Episcopo benedictum.

Secunda sententia verò, quam tenent *Tourn. Præf. theol. de confirm. quæst. 1. art. 3. tit. ult. v. Quær. 6. et Caj. Val. Barb. et Vict. apud Salm. ibid. n. 16.* cum *Card. Gotti, Juen. et Druin. apud Conc. l. c.* id negat, et meritò (speculativè loquendo) hanc sententiam probabilem putant *Suar. dist. 35. sect. 2. Croix l. 6. p. 1. n. 378.* Ratio, quia sicut Papa po-

test facultatem concedere simplici sacerdoti confirmandi, prout videbimus in *dub. seq. n. 170*, sic etiam poterit benedictionem chrismatis ei committere. Nec ullum ex allatis documentis satis evincit, quòd chrisma non solùm de necessitate præcepti sed etiam sacramenti debeat necessariò esse ab Episcopo benedictam. Dixi *speculativè loquendo*, nam in praxi, cùm res sit valde dubia, præma sententia ut tutior omninò est tenenda.

« 3. Perinde est ad substantiam sacramenti, sive chrisma » sit novum, sive vetus; licèt graviter peccet, qui utitur » alio, quàm novo, id est, illo anno consecrato (1): in » quem finem quotannis in die Cœnæ consecratur veteri com- » busto. » (*Idem communiter Salm. de confirm. c. 2. p. 1. n. 21. ex cap. Si quis, de confirm. dist. 4.*)

164. — « Resp. 3. Materia proxima est unctio in fronte, » per manum Episcopi (unde etiam hoc sacramentum manùs » impositio dicitur à *S. Luca Actor. 8.*) in formam crucis facta. » Quæ omnia sunt de necessitate sacramenti, ut habet com- » munis. »

Hic cadit agere de illa magna, ac tam disceptata quæstione, pro qua auctores plures libros integros ediderunt, nempe quænam sit materia adæquata, et quænam forma sacramenti confirmationis? Hic ideò aliquando diutiùs mihi immorari oportet. Olim de hac quæstione in antecedentibus editionibus hujus operis jam pertractavi, sed nuper volui eam rursùs ad trutinam revocare, et fateor, quòd cùm per quindecim ferè dies desudassem perlegendo canones, et scriptores, nequibam judicium ferre, quid pro certo tenendum. Denique vis rationum, quas in fine quæstionis adducam, omnem à mente mea dubitationem sustulit, atque de mea sententia certum judicium efformavi. Plures adsunt de hac re sententiæ, sed tres principiores sunt.

Prima sententia tenet materiam essentialem hujus sacramenti esse manuum impositionem illam, quæ habetur in Pontificali romano in principio ritùs, ubi Episcopus antequam ad chrismatis unctionem accedat, extendit manus versùs confir-

(1) « Sed in hoc Ecclesiæ præcepto potest Papa dispensare. » *Hom. Ap. tr. 14. n. 40.*

mandos , proferens orationem : *Omnipotens sempiterna Deus, etc.* Unctionem autem , quæ postea ab Episcopo adhibetur , dicit esse materiam accidentalem , non à Christo , sed ab Ecclesia institutam. Ita sentiunt *Cardinalis Aureolus in 4. dist. 7. qu. 1. Sirmondus in suis Antirrheticis cum Sambovio , et aliis paucis.* Ducuntur hi auctores ex illo textu in *Actor. 8.* ubi *S. Lucas* enarrans missionem Petri et Joannis in Samariam , scribit : *Qui cum venissent , oraverunt pro ipsis , ut acciperent Spiritum sanctum ; nondum enim in quemquam illorum venerat , sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos , et accipiebant Spiritum sanctum.* Hinc arguunt , solam manuum impositionem pro materia adhibuisse apostolos in hoc sacramento et idèd nunc etiam hanc esse materiam essentialem tuentur. Hæc autem opinio quàm improbabilis sit , infra videbimus.

Secunda sententia dicit materiam essentialem componi tam ab impositione manuum , quæ fit in principio , quàm in unctione , quæ deinde ab Episcopo adhibetur. Hanc tenent *Meres. disc. 1. qu. 4. Juenin. Theol. t. 7. de confirm. concl. 1. Tourn. Prælat. theol. de confirm. quæst. 1. art. 3.* qui saltem probabilem hanc sententiam censet. *Hab. de confirm. q. 3. Genett. t. 3. eod. tit. p. 115. Concina t. 8. eod. tit. cap. 2. Card. Gotti Theol. tr. de confir. Du-Hamel t. 2. d. 2. c. 1. concl. 1. et Continuator Witasse t. 7. de confirm.* qui tamen non apertè hanc sententiam tuetur. Auctores hi ajunt impositionem manuum probari ex Scriptura *Act. 8.* ut suprâ , unctionem autem chrismatis probari ex SS. Patribus , quorum auctoritates infra referemus.

Tertia sententia denique communis , vel ferè communis , quam tuemur , et certissimam cum *Bellarmino* existimamus , tenet materiam adæquatam et totalem confirmationis esse chrismatis unctionem , quæ confirmandis per impositionem manuum Episcopi adhibetur. Hanc docet *S. Th. 3. part. q. 72. art. 2.* ubi tradit quòd *chrisma est conveniens materia hujus sacramenti.* Alibi verò (*Lect. 1. in c. 6. ad Hebr.*) non negat impositionem manuum esse quoque materiam confirmationis , sed impositionem illam , quæ unctionem comitatur. *S. Bon. in 4. dist. 7. art. 1. q. 2. Estius l. 4. d. 7. §. 7. Thom. Waldensis de sacrament. c. 113. Isambert in 3. part. q. 12. disp. 1. art. 4. Cabass. in notitia ecclesiast. ad 2. can. concil. Araus. Bellarm.*

de confirm. c. 2. et 9. Hugo de S. Vict. l. 2. de sacr. part. 7. c. 2. Petrus Aurelius in Orthodoxo part. 1. c. 7. S. Antonin. 3. part. tit. 14. n. 2. Suarez in 3. part. q. 72. art. 2. dub. 33. sect. 4. Sylv. ead. q. 72. art. 2. ubi ait esse de fide, quòd materia sit solum chrisma, Gregor. à Valent. in 4. part. 3. dub. 3. q. 1. punct. 2. Laurentius Berti de Theol. disc. t. 7. de confir. c. 4. Cont. Tourn. de confirm. cap. 3. art. 1. obj. 1. r. 2. Salm. de confirm. c. 2. p. 2. num. 22. et seq. Coninch. q. 72. de eod. tit. art. 3. dub. 1. Filliuc. tr. 3. c. 1. n. 9. Tanner. t. 4. d. 4. q. 4. Soto in 4. d. 7. q. 2. art. 2. Sylvest. v. Confirmatio, Nav. c. 22. n. 8. Tol. l. 2. c. 24. n. 1. Ronc. Theol. mor. de confirm. Alensis part. 4. d. 4. Scotus in 4. dist. 4. q. 1. Gonet Manual. t. 6. p. 167. Laym. l. 5. tr. 3. c. 1. n. 3. Holzm. de confirm. n. 198. Antoine eod. tit. n. 11. Frassen. t. 11. p. 395. v. Quòd autem, Petroc. t. 3. eod. tit. q. 3. p. 256. La Croix l. 6. part. 1. n. 580. cum aliis plurimis, item Guilielmus Parisiensis, Maldonatus, et Petrus de Marca apud Contin. Witasse (vide l. c.) qui asserit hanc sententiam sequi omnes Thomistas, et Scotistas. Accedit Catechismus rom. de sacram. conf. §. 7. ubi docet, chrisma consecutum ex oleo et balsamo esse solam materiam hujus sacramenti. Et sedulò subdit: Quòd autem ea sit hujus sacramenti materia, tum sancta Ecclesia, et concilia perpetuò docuerunt, tum à S. Dionysio, et complurimis aliis gravissimis patribus traditum est: in primis à Fabiano Pontifice, qui (in ep. 2. ad Episc. Orient. quæ citatur in can. Litteris vestris, de consecr. dist. 3.) apostolos chrismatis confectionem à Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est.

Nulli dubium ad materiam confirmationis constituendam requiri impositionem manuum, ut ex Scriptura desumitur, et ex patribus, prout à Tertulliano de Resur. c. 8. à S. Cypriano epist. 73. ad Jubajan. à S. Hier. in Dialogo advers. Lucifer. S. August. l. 15. de Trin. c. 26. et aliis. Sed neque dubitandum, quòd unctio chrismatis, æquè ac impositio à patribus pro materia designatur; ita S. Dionysius, S. Cyrillus Hierosol. Tertullianus, S. Ambrosius, S. Cyprianus, S. Augustinus, et alii quorum auctoritates infrà transcribemus. Fatemur itaque ad materiam confirmationis requiri tam unctionem, quàm impositionem, sed illam tantum impositionem quæ ab unctione est indistincta. Idque Bellarminus de confirm. c. 9. ex ipsis patribus

optimè probat, cum enim (ait) patres indifferenter dixerint gratiam Spiritus sancti in hoc sacramento conferri nunc per unctionem, nunc per impositionem, et nunc per utrumque, infertur unctionem considerari semper cum impositione conjunctam. Pergit Bellarminus: Cum patres tradunt solos Episcopos per chrisma dedisse Spiritum S., id probant ex illo Actorum 8. ubi legitur: Tunc imponebant manus, et accipiebant Spiritum S. Ita enim loquitur S. Dionysius: Consummans unctio, quæ divini Spiritus illapsum elargitur. De eccl. hier. vide c. 4. Tertullianus: Unctio quæ caro ungitur, ut anima consecretur. Lib. 2. de bapt. cap. 78. S. Cyprianus: Ungi quoque necesse est, ut accepto chrismate, habere in se gratiam Christi possit. Epist. ad Numidas. Ita etiam Innocentius I. epist. 1. Damasus epist. 4. Leo epist. 88. et S. Augustinus l. 15. de Trin. c. 26. Hinc arguit Bellarminus, quod hujusmodi probatio patrum nullam vim haberet, si impositio manuum non fuisset cum unctione conjuncta. Ergo patres, docendo per chrisma sacramentum conferri, idque probando ex impositione manuum in Actis descripta, necessariò intellexerunt apostolos non aliter quàm unguendo manus imposuisse, divinumque Spiritum dedisse.

Quod autem illa unica materia chrismatism, quæ nunc utitur Ecclesia, sit eadem ac illa quæ utebantur apostoli, patet ex cap. unic. Innocentii III. de sacra unctione. §. Per frontis, ubi sic habetur: Per frontis chrisimationem manuum impositio designatur: quæ alio nomine dicitur confirmatio: quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, et robur. Illud designatur, non accipiendum tamquam adumbratur, vel figuratur, seu significatur, sed pro signatur, assignatur, adest, sive habetur; hoc enim eruitur clarè ex verbis immediatè sequentibus: Unde cum cæteras unctiones simplex Sacerdos, vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est Episcopus debet conferre: quia de solis apostolis legitur (quorum vicarii sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat: Cum audissent (inquit) apostoli, qui erant Hierosolymis, quia accepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, et accipie-

bant Spiritum sanctum: cujus adventus per unctionis ministerium designatur. Certum est, quod materiæ sacramentorum, cum à Christo tantum sint institutæ, mutari non possunt; ait enim Bellarminus c. 9. adversus quosdam recèntiores: Apostolos autem mutasse materiam, nescio an ullo modo probari possit. Dicendo itaque Innocentius, quod idè soli Episcopi valent ungere, quia soli apostoli manus imponebant, igitur impositio illa erat eadem per unctionem, quæ nunc est unctio per impositionem: sic appositè scribit P. Suarez: Sentit ergò (Pontifex) illam manûs impositionem fuisse eandem, quæ nunc est, quæque nomine chrismationis significatur.... quam esse sufficientem probat satis præsens Ecclesiæ usus, etc., solum hoc faciunt Episcopi nunc confirmando, quod apostoli faciebant manus imponendo.

Idque confirmatur ab alio canone ejusdem Innocentii III in c. 4. *Quanto de consuet.*, ubi Pontifex ad consuetudinem reprobandam quorundam sacerdotum, qui conferebant sacramenta solis Episcopis reservata, dicit: *Ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manûs impositionem conferre.* Nota, *chrismando, per manûs impositionem*, ergò idem est manum imponere, quàm chrismare. Idemque habetur in Epistola Michaëlis Palæologi missa ad Gregorium X. et relata in concilio Lugdunensi II. In ea epistola Imperator professionem fidei emittebat, illaque à Gregorio benè accepta fuit, sic ibi dicebatur: *Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos.* Idem confirmatur ab Innocentio IV. *Epist. 10. c. 4. apud Lab. tom. 11. pag. 676.* ubi: *Soli apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur: verbum repræsentat idem est, ac præsentem facere.*

Supersunt hic tria alia magni ponderis momenta, quorum unumquodque sufficit ad nostram sententiam tanquam certam probandam. Primum est auctoritas Eugenii IV. in decreto edito in concilio Florentino, ipso concilio approbante, ad instructionem Armenorum, ubi sic definitum fuit: *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum*

benedicto. Forma autem est : Signo te signo crucis , et confirmo te chrismate salutis , in nomine Patris , et Filii , et Spiritus sancti. Ordinarius minister est Episcopus , et cum cæteris unctiones simplex sacerdos valeat exhibere , hanc non nisi Episcopus debet conferre , quia de solis apostolis legitur , quorum vicem tenent Episcopi , quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant , quemadmodum Actuum apostolorum lectio manifestat : Cum enim audissent (inquit) apostoli , qui erant Hierosolymis , quia recepisset Samaria verbum Dei , miserunt ad eos Petrum et Joannem , qui cum venissent , oraverunt pro eis , ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat , sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu : tunc imponebant manus super illos , et accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Juxta hanc definitionem Eugenii , et concilii , plures auctores dicunt esse de fide , quod sola unctio chrismatis sit materia confirmationis. Sed huic decreto tria obijciunt adversarii.

Opponunt 1. quod cum *Eugenius* hoc decretum edidit , jam solutum erat concilium. Sed respondetur hoc non esse verum , licet enim Græci discesserint à concilio , remanserunt tamen patres Latini , et ipsimet Græci consensum ante discessum præbuere , quod concilium persisteret. Præterquam quod dicimus cum *P. Berti* , et *communi* esse omninò certè tenendam ab omnibus sententiam , quod Pontifex in suis definitionibus circa fidem est per se infallibilis , ut probavimus in disser. posita in *Tract. de legib. c. 1. dub. 2. in fine ex n. 110.* Cæterum nequit dici , concilium ex discessu Græcorum solutum fuisse , prout loquuntur adversarii ex *Spondano* , et *Card. Pallavicino* ; nam *Spondanus* anno 1439. expressè contrarium refert dicens : *Non unà cum Græcorum discessu dissipatam esse Synodum Florentinam , sed continuatam cum patribus Latinis annis tribus sequentibus.* Et idem testatur *Pallavicinus*.

Opponunt 2. quod *Eugenius* assignando unctionem pro materia , non assignavit illam pro materia essentiali , sed tantum pro accidentali , prout egit assignando porrectionem instrumentorum (nullà factà mentione impositionis manuum) pro materia ordinis , in quo probabilior est auctorum sententia , impositionem manuum esse materiam essentialem , et instrumentorum porrectionem esse tantum accidentalem , vel

integrale, vel ad summum partialem. Alii respondent cum *Menardo*, quòd ideò Pontifex loquens de sacramento ordinis non fecit mentionem impositionis manuum, quia illa jam erat in usu apud Armenos, quibus peculiarem Ecclesiæ romanæ ritum tradere volebat. Alii respondent, ut *Gammachæus*, quòd impositio jam constabat ex Scriptura, et ideò omissum fuit de ea mentionem fieri. Alii respondent, *Eugenium* fecisse mentionem tantùm de instrumentis, quia pro cæteris se remisit ad Pontificale, dicens, *Prout in Pontificali romano latè continetur*. Sed meliùs respondet *P. Berti*, quòd *Eugenius* in ordine designavit instrumenta tantùm ut symbola munerum ab initiandis exercendorum, in confirmatione verò designat chrisma ut symbolum gratiæ, quæ per sacramentum confertur; gratia autem non confertur, nisi totalis materia essentialis applicetur. Subdo aliud responsum, quod mihi fortius videtur: de sacramento ordinis *Eugenius* loquens, nullum ibi verbum facit de impositione manuum, unde videtur illam tacuisse, sed non exclusisse; loquens verò de sacramento confirmationis, expressam facit mentionem tam de chrismate, quàm de impositione, quæ ab apostolis in hoc sacramento adhibebatur. Idcirco; si Pontifex putasset impositionem esse materiam ab unctione distinctam, omninò debuisset, non tantùm unctionem, sed etiam impositionem designare pro materia, et utriusque materiæ formas describere; aliàs non recta, quia non integra, sed mutilata esset ejus doctrina; ac proinde, cùm *Eugenius* reticuit impositionem distinctam ab unctione, omninò dicendum quòd eam excluserit.

Opponunt 3. quòd *Eugenius* in decreto dixit: *Loco illius manûs impositionis dari in Ecclesia confirmationem*. Ergò juxta sensum *Eugenii*, impositio, quam apostoli adhibebant, nunc mutata est in confirmationem, nempe (ut addunt) in chrismationem. Sed benè respondet *Cont. Tourn. de confirm. cap. 3. art. 1. obj. 4. 1.* afferens verba *Bellarmini*, qui de *confirm. c. 9.* sic ait: *Sensus non est, chrisma esse loco impositionis manuum, quasi apostoli non usi fuerint chrismate, et nos non utamur impositione manûs. Sed sensus est, idipsum, quod apostoli faciebant, cùm dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cùm dicuntur confirmare, vel chrismare: distinguitur enim his in locis, non*

ritus à ritu, sed modus loquendi à modo loquendi; hoc est nomen à nomine; quod enim dicebatur olim impositio manûs, nunc dicitur confirmatio. Idque apertè Innocentius III. in cap. Cùm venisset. §. Per frontis expressit dicens: *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio.* Idemque tradidit Synodus Senonensis anno 1528. proferens: *Tunc (apostolorum tempore) impositionis manuum, nunc confirmationis appellatum est sacramentum.*

Idem ante Bellarminum scripsit Hugo de S. Victore: *Manûs impositio, quæ usitato nomine confirmatio vocatur, quæ christianus unctione chrismatis per impositionem manûs in fronte signatur, solis Episcopis debetur, sicut in primitiva Ecclesia soli apostoli per impositionem manuum Spiritum sanctum dabant.* Libro 2. de sacrament. part. 3. c. 2. Idem scripsit Thomas Waldensis, qui ampliùs addit, non esse fidelem, qui vellet credere, quòd apostoli hoc sacramentum conferebant per manûs impositionem sine unctione; en ejus verba: *Non rectè ergò colligunt dicentes, in confirmatione non fuisse oleum unctionis, vel chrismatis in primitiva Ecclesia, sed ad acceptationem Spiritus sancti fuisse tantùm manus impositas.* Deinde subdit: *Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quòd sacramentum confirmationis fiebat sine unctione per solam manûs impositionem ab apostolis; non enim minus manus imponit, qui ungendo imponit.* Tom. 2. de sacrament. c. 113. Accedit Petrus Aurelius in suo Orthodoxo, edito expensis cleri Gallicani, ubi Auctor loquens de sensu SS. Patrum circa materiam confirmationis, inquit: *Non enim (Patres) manûs impositionem, et chrismationem in confirmationis sacramento tantùm conjunctas esse voluerunt, sed in unam singularemque actionem conclusas. Quare non dicunt præberi unctionem, et manûs impositionem, sed unctionem impositione manûs.* Et citat Bedam aliosque patres; deinde addit: *Atque hinc factum est, ut decretum sit, chrismationem ab Episcopo pollice faciendam; id est imponendo manum.* Atque hæc consuetudo jam omnibus deinceps sæculis accepta, et perpetuo Ecclesie usu ad nos perducta est, à quo nec primis sæculis alienæ fuisse videntur Orientis Ecclesie. Unde in fine ibi ait: *Impositionem, quæ fit in principio, cæremoniam esse sacramento confir-*

mationis præviã, quã neophyti præparentur ad suscipiendam Spiritus sancti gratiam. Sed quid significat illa elevatio manuum? Respondet *P. Berti* cap. 6. quòd per illam cœremoniam Episcopus se commonstrat orantem invocare Spiritum sanctum super confirmandos.

Alterum momentum est illa celebris regula ab omnibus accepta *S. Augustini* (in lib. 4. de baptis. c. 24.) ubi dicitur: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* Id priùs docuit *S. Basilius* (Libro de Spiritu sancto c. 27.) ubi dixit omninò credenda esse dogmata, et instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, et quæ non ex doctrina scripto prodita accepimus, sed ex apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita nobis fuerint. Hinc benè arguit. *Cont. Tourn. de confirm. cap. 3. art. 1.* quòd cùm ab ipsis primis sæculis unctio in confirmationis sacramento usurpata sit, et deinceps semper retenta, licèt Scriptura nullam de unctione mentionem fecisset, tenendum est ex traditione apostolorum et consequenter ex institutione Christi, quòd hoc sacramentum ab initio ipsis temporibus apostolorum cœperit conferri per impositionem manuum conjunctam cum chrisma unctione.

Quòd autem semper unctio ab initio usque nunc adhibita fuerit in Ecclesia tam Latina quàm Græca, constat ex traditione patrum. De hoc primum non leve fundamentum habetur ex Apostolo in 2. Cor. c. 1. vers. 21. et 22. ubi dicitur: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus in cordibus nostris.* Hæc verba interpretantur de sacramento confirmationis *Joannes Chrysostomus, Hilarius, et Theodoretus* in hunc locum, ac *Ambrosius* lib. de his qui initiantur c. 7. Præterea illud: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Ephes. c. 4. v. 30.* explicat de sacramento confirmationis *S. Augustinus* l. 15. de SS. Trin. c. 26. Præterea illud *S. Joannis: Unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis. 1. Epist. c. 2. v. 27.* sic explicatur à *S. Cyrillo Hierosol. in Catech. 3. Myst. Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est, sed est chrisma, quod Christi, et Spiritus sancti, id est divinitatis ejus præsentiam efficit, quo frons, et alii sensus (loquitur*

de ritu Græcò) corporis tui symbolicè inunguntur; et corpus equidem perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.

S. Justinus in Respons. ad *Orthod. q. 137.* ait: Deinde in sacro lavacro, quæ dicta sunt symbolis peractis, post illa unguento consignamur. Theophylus, qui vixit anno 170. scripsit: Certè nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, quàm quòd divino oleo perfundimur. Libro ad Autolyicum versùs finem. S. Irenæus: Tùm autem eum, qui initiatus est opobalsamo inungunt, hoc enim unguentum fragrantiae illius, quæ omnia exuperat, typum esse ajunt. Libro 1. cap. 18. Tertullianus: Exinde egressi de lavacro, perungimur benedictâ unctione de pristina disciplina. In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit. Libro 2. de baptis. c. 7. Nota, de pristina disciplina. Cornelius Papa apud Eusebium (Libro 6. Hist. eccles.): Novatus jacens in lecto pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo quæ baptismum subsequi solent solemniter adimpleta sint, nec signaculo chrismatis consummatus sit, unde nec Spiritum sanctum unquam potuerit promereri. S. Cyprianus: Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. Epistol. ad Numidas. Concilium Constantinopolitanum I. in can. 7. loquens de hæreticis venientibus ad Ecclesiam catholicam, sic docet: Dantes quidem libellos, et omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia; et signatos, sive unctos primum sancto Chrismate et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures, et eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti. S. Basilii: Consecramus aquam baptismatis, et oleum unctionis, ex quibus scriptis? nonne à tacita secretaque traditione? ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Libro de Spiritu sancto c. 17. S. Ambr.: Post hæc, id est post baptismum susceptum; utique ascendisti ad sacerdotem; omnes enim in regnum Dei, et in sacerdotium unguimur gratiâ spirituali. Libro de initian. c. 6. Innocentius I. Epistola ad Decentium scripsit: Solos Episcopos in fronte ex oleo signare, cum tradunt Spiritum paraclitum. S. Augustinus: Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in un-

ctione visibili. *Tract. 111. in Epistolam Joannis n. 5.* Et alibi: *Ungimur enim modò in sacramento, et sacramento ipso præfiguratur quiddam, quod futuri sumus. In Psalm. 26. S. Leo epist. 88.* ait ad Episcopos spectare, *chrismate baptizatorum frontem signare. S. Gregorius M. in suo Sacramentario scribit: Neophytos confirmari, dùm Episcopus tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte.*

Omitto autem alios innumerabiles Scriptores, qui post sæculum V. de unctione chrismatis loquuntur; nam *Du-Hamel c. 2. n. 5. et 6.* testatur, quòd ipse *Sirmondus* fatetur, in primis tribus sæculis unctionem junctam fuisse cum impositione manùs, et sic etiam usu receptum est post ætatem *Innocentii I.* in posterum; additque *Du-Hamel* in hoc omnes cum *Sirmondo* consentire theologos.

Attentà igitur ex una parte regulà laudatà *S. Augustini*, quòd omnia quæ universa tenet Ecclesia, nec ab aliquo concilio instituta esse novimus, sed semper usu recepta in Ecclesia fuerunt, ex traditione apostolorum derivasse credendum est. Et posito ex alia parte, quòd Ecclesia semper et ubique usum chrismatis servaverit, prout suprà ostensum est, omninò tenere debemus, hujusmodi usum descendisse ab apostolis, à Christo edoctis, utpote in re ad sacramenti materiam pertinente; nam etiam apostoli (ut benè advertit *Suarez sect. 4.*) *habebant alligatam potestatem in sacramentis institutis à Christo.* Propterea omninò tenendum est, apostolos in collatione hujus sacramenti chrismatis unctione usos fuisse, sicut jam olim expressè docuit *Fabianus Papa in Epist. 2. ad Orient. (Vide can. 18. Litteris, de consecr. dist. 3.)* ubi loquens de chrismate, deque obligatione illud quotannis renovandi, ait: *Ista à SS. apostolis, et successoribus eorum accepimus, et vobis tenenda mandamus.*

Cùm ergò legitur *Actor. 8.* quòd apostoli dabant Spiritum sanctum imponendo manus, et una tantùm ibi, non duplex impositio nominatur: siquidem si ipsi sacramentum confirmationis ministrabant, ea impositio erat ab unctione indistincta. Nec refert, quòd in Scriptura expressa non facta fuerit mentio unctionis; sicut enim in Actis non fit expressa mentio baptismi conferendi in nomine trium divinarum Personarum, sed tantùm in nomine Christi (*baptizati sunt in nomine Domini Jesu, Actor. c. 19. v. 5.*) nec proinde arguitur aposto-

los baptizasse in solo nomine Jesu ; ita quamvis in Actis non fiat expressa mentio unctionis , ex traditione tamen probatur confirmatio collata fuisse per unctionem cum impositione conjuncta. *Multa alia* (scribit S. Hieronymus) *quæ per traditionem observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.*

Idque conforme est doctrinæ S. Thomæ, 3. p. q. 72. art. 1. ad 1. sic docentis : *Ubi sensibilia signa miraculosè exhibebantur divinitus, non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis. Utebantur tamen apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi signa non exhibebantur ; dicit enim Dionysius (de ecclesiast. Hierar. c. 4.) Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (id est apostoli) chrismatis hostiam nominant.* Atque ex his omnibus patet, quàm improbabilis sit opinio *Sirmondi*, qui dicit unctionem chrismatis esse tantùm materiam accidentalem hujus sacramenti. Hanc opinionem *Gregorius à Valentia* eenset erroneam ; *Sotus* autem (apud ipsum) putat hæreticam ; *P. Berti* scribit, quòd ipsa saltem à temeritatis nota nequit excusari. Consequenter falsa pariter est opinio *Du-Hamel*, qui ait probabile esse, quòd unctio in confirmatione sit tantùm necessaria necessitate præcepti, non autem sacramenti.

Tertium momentum, quo magis firmatur nostræ sententiæ certitudo, habetur ex declaratione *Benedicti XIV.* qui in Epistola encyclica, quæ incipit, *Ex quo primum*, ad Archiepiscopos et Episcopos ritus Græci, etc. data 1. Martii anno 1756., ubi Pontifex §. 51. memorata controversia, quæ agitur in Ecclesia Latina inter theologos, an impositio manuum, et unctio chrismatis sint materia distincta, vel indistincta hujus sacramenti, dicit : *Unicuique licet eam sequi partem, quæ magis ipsi placuerit.* His verbis significat contrariam primam sententiam prout tutiorem utique posse tenèri, sed etiam amplecti posse nostram sententiam ut tutam, et moraliter certam, alioquin cùm agatur hic de materia sacramenti, docère nequisset, quòd liceat sequi partem, quæ unicuique placuerit. Præterea in fine prædicti §. 51. addit : *Nemini fas est asserere in Ecclesia Græca non adesse sacramentum confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifestè obstaret vetus Orientalis disciplina, quam apostolica Sedes optimè perspectam habuit, nec unquam damnabit, aut improbat, juxta quam in Græcorum Ritua-*

libus libris nulla fit mentio de manuum impositione, tanquam materia adæquata, aut inadæquata sacramenti confirmationis. Sed id quod magis urget, et omninò tutam nostram sententiam reddit, est illud quod mox deinde subdit *Benedictus* in sequenti §. 52. ubi tradens quid tutò sentiendum sit de materia et forma sacramenti confirmationis in Ecclesia Latina, prout ibi summarium breviat, sic docet: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia Latina confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum, balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte susipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat.* Ibi igitur extra controversiam esse docet validò sacramentum conferri cum sola chrismatis unctione adhibita per manum Episcopi, et unicam esse formam eam, quæ unctionem comitatur.

Qui autem huic declarationi dogmaticæ Pontificis in hac constitutione totam Ecclesiam docentis in re quæ ad fidem pertinet, acquiescere nòllet, aliud objicere non posset, quàm Pontificem, etiam ubi Ecclesiam docet, non esse infallibilem. Sed huic ita loquenti *P. Suarez, et P. Bannez* responderent, quòd ejusmodi oppositio nequit à temeritate excusari, imò *Bellarminus lib. 4. de Pontif. c. 2. vers. Ex his*, scribit *videri omninò erroneam, et hæresi proximam.*

Juxta autem nostram sententiam, quòd materia totalis adæquata confirmationis est unctio chrismatis manu Episcopi peracta, advertendum est de essentia sacramenti esse I. ut unctio fiat *in fronte*, prout habetur ex *cap. unic. de sacr. unction.* et ex decreto *Eugenii IV.* juxta communem sententiam, quam tenent *Suarez, Coninch. Layman, et alii cum Salm. de confirm. c. 2. p. 2. n. 24.* II. Ut unctio fiat *in forma crucis*, juxta *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 4. ad 5.* quem communiter etiam doctores sequuntur apud *Salm. ibid. n. 25.* III. Ut unctio fiat *per manum ipsius Episcopi ministrantis*, prout docent *Suar. Castrop. La-Croix, et alii cum Salm. ibid. n. 26.* Hæc de materia hujus sacramenti; sed observa dicenda de ejus forma, quæ ad confirmanda hic dicta valde conferunt.

165. — « 1. Etsi ex necessitate præcepti unctio fieri debeat » pollice manûs dexteræ: valida tamen esset, si fieret digito » etiam sinisteræ manûs; quia verè fieret per impositionem

» manûs episcopalis. Ita *Præp. et alii* » (cum *Viva de confirm. qu. 3. art. 1. n. 3. Laym. c. 2. in fin. Pal. p. 3. nu. 4. Suar. d. 33. sect. 3. Renzius c. 2. q. 6. cum Conc. et Hurt.*) « contra » *Suar.* Peccabit tamen Episcopus graviter contra universalis » Ecclesiæ morem. Vide *Laym. hic c. 2. et Escob. tom. 7. » exem. 3. ubi docet, probabile esse, non peccare mortaliter.*

Communiùs cum *Busemb.* sentiunt *Laym. c. 2. n. 3. Renzius de confirm. c. 1. q. 6. cum Coninch. item Suar. et Reg. apud Escob. eod. tit. n. 112.* peccare graviter Episcopum, qui alio digito quàm pollice dexteræ manûs ungeret, tùm quia ageret contra rubricam, et usum Ecclesiæ in re gravi: tùm quia ad hunc effectum ungitur in consecratione Episcopi ejus pollex, ut ait *Renzius.* Sed *Escob. l. c. cum Trull. Nugn. et Diana p. 3. tr. 4. rest. 22. cum Dic. Aversa, et Tamb. §. 2. n. 7.* dicunt esse probabile id non excedere culpam venialem; et reverà non patet omissionem prædictæ cæremonie pertinere ad peccatum mortale. Unde dicunt, quòd si Episcopus prædictum pollicem infirmum haberet, licitè posset alio digito ungere. Minimè autem constat, quòd pollex Episcopi ad hunc finem ungitur; nam in Pontificali habetur, quòd post unctiones pollicis, et indicis Episcopi utriusque manûs, deinde ambæ ejus manus totæ unguuntur: ut pariter fit in unctione manuum initiandorum ad presbyteratum.

166. — « 2. Probabile est, requiri ad valorem sacramenti, » ut unctio fiat ab Episcopo immediatè, nullo instrumento » mediante. Ita *Filliuc. et Laym.* contra quosdam; quia debet fieri per impositionem manûs. *Escob. t. 7. ex. 3.*

Dicunt *Henr. Vivald. etc. ap. Croix l. 6. p. 1. n. 380.* posse fieri confirmationem penicillo, sive alio medio instrumento. Sed meritò hanc opinionem rejiciunt *Laym. tract. 3. cap. 2. Holzm. pag. 42. n. 198. Croix loc. cit. et Viva de confirm. qu. 3. art. 1. n. 4. cum Suarez, Con. et aliis communiter.* Ratio, quia tunc deficeret immediatè impositio manûs ministri, quæ omninò requiritur; illa autem mediata impositio improprie impositio dicitur. Nec obstat dicere, quòd extrema unctio validè ministratur medio instrumento, ut dicemus n. 710. Nam bene respondet *Holzm.* quòd ibi non requiritur ad valorem sacramenti impositio manûs, sicut requiritur in confirmatione. Circa autem quantitatem chrismatis, ei sufficit et requiritur, quæ satis sit ad ungendam frontem confirmandi in figuram

crucis, ut *Suar. d. 58. et Salm. de confirm. c. 2. p. 2. n. 28. cum Pal. et Bonac.*

167. — « Resp. 4. Forma vera, et necessaria, in Ecclesia » latina est: *Signo* (ut habet Trid.) vel *Consigno* (ut habet » *S. Thom.*) *te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis,* » *in nomine Patris, etc.* In qua utrùm de essentia sit ut » utraque actio signandi, et ungenti expressè significetur, » disputant scholastici. *Laym. et Fill. t. 3. d. 10. Con. l. c.* » *art. 4. Dian. r. 27.*

Quatuor adsunt sententiæ circa formam confirmationis:

I. *Sententia* est eorum qui tenent solam impositionem manuum esse adæquatam materiam hujus sacramenti, idè dicunt formam esse solam orationem, quæ præcedit unctionem; sed hæc sententia est omninò falsa, prout probavimus suprà n. 164.

II. *Sententia* est eorum qui tenent tum impositionem manuum, quæ unctionem præcedit, tum unctionem ipsam, esse materias partiales; unde dicunt formam coalescere ex dicta oratione præcedenti, et ex verbis unctionem comitantibus, et sic sentiunt *Juenin. Natal. Alexand. Gotti et Tournely.*

III. *Sententia* singularis est *Continuatoris Tournely*, nempe *P. Collet. de confirm. cap. 4.* ubi difficulter percipi potest, quâ firmâ ratione hic aliàs doctus auctor pro unica materia, quam ipse tuetur adesse in hoc sacramento, deinde velit eam duplici formâ indigere.

IV. *Sententia* est nostra, et communis, quam defendunt omnes auctores citati suprà n. 164. v. *Hic cadit*, eisque se associat *P. Concina*, qui licèt tenuerit *t. 7. de confirm. c. 2.* duplicem esse materiam hujus sacramenti, attamen *cap. 3. n. 5.* sentit unam esse formam. Dicimus igitur, quòd sicut totalis materia adæquata confirmationis est unctio chrismatis adhibita per manum Episcopi, sic totalis forma sunt verba, quæ Episcopus ungerendo profert: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Sic docuit *S. Thomas 3. p. qu. 72. art. 4.* Et sic definivit *Eugenius IV.* cum concilio Florentino in decreto ad Armenos dicens: *Forma autem est: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, cum aliis verbis quæ retulimus suprà citato n. 164. quibus licèt Pontifex mentionem faciat expressè de oratione apostolorum Actor. 8. nullam tamen aliam docet esse formam, quàm hanc mox suprà descriptam.*

Hinc inferitur, quòd *Eugenius* non solùm tacuit, sed omninò exclusit omnem aliam formam præter hanc; aliter non rectè quia non integrè Ecclesiam docuisset. In hac autem forma, ut docet *S. Thomas*, adæquatè omnia explicantur, quæ in hoc sacramento continentur, nempe *signum militiæ Christi*, cui adscribuntur confirmati per illa verba, *signo te signo crucis: effectus sacramenti*, id est gratia roborans per illa verba, *Confirmo te chrismate salutis: et causa gratiæ*, nempe *SS. Trinitas* per illa verba, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Accedit auctoritas Catechismi Romani, qui instruens de hoc sacramento §. 12. dicit, *Hanc esse perfectam et absolutam hujus sacramenti formam*. Additque quòd auctoritas Ecclesiæ catholicæ non patitur nos ea de re quidquam dubitare. Accedit et concilium Bituricense sub anno 584. et anno sequenti approbatum tit. 20. de confirm. can. 5. ac demùm à *Sixto V.* probatum; ibi dictum fuit: *Nullam in administratione hujus sacramenti formam debitam, et quæ uti consuevit Ecclesia, esse, quàm: Consigno te chrismate salutis*. His momentis ductus *P. Concina* loco suprâ citato scribit, à nostra sententia utpote communi non esse recedendum, nempe formam adæquatam esse tantùm verba quæ unctionem comitantur.

Objiunt adversarii illud (*Actorum 8.*): *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.... tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Unde dicunt, si oratio erat forma, quam apostoli adhibebant, et nunc in unctione chrisomatis nulla habetur oratio, ergò forma saltem partialis est oratio, quæ in principio dicitur ab Episcopo, dum manus elevat. Respondet *Bellarminus de confirm. c. 10. object. 1.* quòd neque aliorum sacramentorum formæ habentur expressæ in Scripturis, nusquam enim (ait) scriptum est, in baptismo dicendum esse, *Ego te baptizo*; quapropter inquit, quòd verbum Dei traditum satis testatur morem universæ Ecclesiæ. Idem sentit *S. Thomas* (*loc. cit. art. 4. ad 1.*) dicens: *Multa enim servabant apostoli in sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius (cap. 7. eccl. Hier.) dicit: Consummativas invocationes (id est verba quibus perficiuntur sacramenta) non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatus ex Deo virtutes ex*

oculto ad communem adducere, sed nostra sacra traditio sine pompa (id est occultè) eas edocet. Quapropter P. Suarez (loc. cit. in S. Thomam disp. 33. sect. 5.) angelici Doctoris vestigia sequens, scribit per verba illa, *Oraverunt, ut acciperent Spiritum sanctum*, vel non significari formam, sed tantùm præambulam orationem quam præmittebant apostoli, ut baptizati Spiritum sanctum reciperent, prout etiam modò fit in Ecclesia: vel dicendum esse, formam unctionis, *Signo te* etc. orationis nomine significari, quia virtualemente deprecationem ipsa continet, quatenus divinæ virtuti et promissioni innititur.

Nec censendum hoc gratis Suarium asseruisse, nam in ordine Romano citato ab Alcuino, et Amalario, qui fuerunt ante ann. 800, in offic. Sabbat. Sancti dicitur, quòd Episcopus per modum orantis pronuntiat verba: *Signa eos, Domine, signo crucis*. Ac deinde dùm ungit, dicit: *Ego te confirmo in nomine Patris, etc.* Unde ait Bellarminus cit. cap. 10. quòd eùm dicimus, *Signo te, etc.* semper significamus Deum esse qui signat principaliter, et hominem qui signat ministerialiter. Idque confirmat Bellarm. eod. c. 10. obj. 1. scribens: *Formæ sacramentorum passim à patribus dicuntur preces mysticæ, licèt interdum proferantur per verbum indicantis: nam semper à Deo expectatur et petitur principalis operatio.*

Tantò magis hoc dici valet, dùm constat formam hujus sacramenti olim in unctione chrismatis fuisse expressè deprecatoriam, ut legitur apud S. Ambrosium lib. 2. de Sacram. c. ult. ubi hæc erat forma: *Deus qui te regeneravit omnipotens, concessitque tibi peccata, ipse te ungat in vitam æternam.* Addit Continuator Witasse in q. 3. de forma confirmationis art. 3. ex Menardo, et Morino, formam usque ad nonum sæculum fuisse deprecativam, unde subdit: *Nihil impedire quominus hæc forma (signo te, etc.) licèt indicativa, invocatio sit Spiritus sancti, etc.* Huic porrò congruit id quod scripsit S. Leo (Ep. ad Nicætam cap. 7.): *Qui baptismum ab hæreticis receperunt, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt.* Observa, sola sancti Spiritus invocatione, quæ jam in hodierna forma habetur per illa verba, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Cæterùm quidquid de priscis ritibus sit circa hujus sacra-

menti administrationem, in qua plures mutationes acciderunt, dicimus, quòd si certum est unam esse materiam totalem confirmationis, nempe chrismationem per manum Episcopi adhibendam, ut probavimus suprà n. 164, consequenter dicendum, non duplicem, sed unam esse formam. Objiciunt contrarii: sed in confirmatione adsunt impositio manuum, et unctio chrismatis, idcirco oratio quæ præcedit chrismationem, est forma respondens impositioni: verba autem quæ postea profert Episcopus chrismando, est forma respondens unctioni. Sed hic jacet nodus quæstionis, quæ inter nos et adversarios agitur; hunc autem nodum solvere opus est. Libet adversariis supponere, in hoc sacramento duplicem materiam concurrere, vel ut supponit *P. Collet*, adesse duplicem actionem in ipsamet materia, nempe impositionem, et unctionem; sed jam suprà demonstratum est, ubi egimus de materia, quòd impositio et unctio nec sunt duæ materiæ disjunctæ, nec duæ actiones unius materiæ, sed unica, singularis, et individua actio, nimirum unctio adhibita per manum Episcopi, ita ut tò unctio est actio, tò autem per manus Episcopi non est actio distincta, sive disjuncta, sed est tantum modus unctionis institutus à Christo, quatenus unctio à solo Episcopo, et non ab alio est peragenda.

Hoc est illud quod scripsit *Bellarminus de confirm. c. 9.* ubi sapienter animadvertit, quòd SS. patres, dicendo dari Spiritum sanctum in uno loco per impositionem, in altero dari per unctionem, apparet intellexisse, quòd utraque res, nempe unctio et impositio, eadem est, scilicet unctio imponendo manum, sive impositio manus ungerendo. Sic etiam scripsit *Thomas Waldensis: Nemo dicat, quòd olim sacramentum fiebat sine unctione; non enim minus manus imponit, qui ungerendo imponit. De sacram. c. 113.* Idem expressius scripsit *Petrus Aurelius: Non enim manus impositionem, et chrismationem (patres) tantum conjunctas esse voluerunt, sed in unam singularemque actionem conclusas, quare non dicunt præberi unctionem, et manus impositionem, sed unctionem impositione manus.* Et reverà *Innoc. III. in c. unic. de sacr. Unct.* id tradidit dicendo: *Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio.* Et alibi in *c. Quanto 4. de consuet.* scripsit: *Ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositio-*

nem conferre. Dicendo igitur Pontifex, *chrismando per impositionem manûs*, patenter docet, eandem actionem esse chrismare, et imponere manus, dum in ipsa chrismatione impositio manûs necessariò continetur. *Ipsa enim unctio, et signatio*, ait *Bellarm. c. 2. manûs impositio rectissimè dicitur. Unde Marci 7. cum postulassent quidam, ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam et aures ejus.* Si autem materia proxima confirmationis una est actio, nempe unctio per manûs impositionem, sive impositio manûs ungerendo, ideo unicæ actioni, seu unicæ materiæ unica pertinet forma. Præterea certum est, per plura sæcula à tempore *S. Thomæ* usque ad ætatem recentiorum nostram sententiam oppugnantium, omnes scriptores unanimiter tenuisse, quòd hujus sacramenti unctio chrismatis est unica materia, et unica forma sunt verba Episcopi unctionem comitantia. Atque hinc est quòd Episcopi communiter non satagunt, ut omnes confirmandi sint præsentés in principio ritûs, cum minister elevans manus profert orationem, nec dubitant ipsi confirmare eos, qui postquam primus ille ritus jam est completus, accedunt.

His omnibus accedit declaratio suprâ allata *Bened. XIV. in constitutione, Ex quo primum*, ad Episcopos Græcos an. 1746. die 1. Martii, cujus verba hic expedit repetere: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: Nimirum in Ecclesia latina confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate, etc. dum idem minister formæ verba pronuntiat.* Ibi igitur non fit mentio de alia materia quàm de unctione chrismatis per manum Episcopi, nec de alia forma quàm de verbis prolatis ab Episcopo, dum ungit; et sic docet Pontifex extra controversiam esse, quòd in Ecclesia latina sacramentum confirmationis confertur. Si alicui hæc declaratio non sufficit, benè sufficit mihi et aliis, qui constanter tenemus summum Pontificem, ubi loquitur docens Ecclesiam in re ad fidem pertinente, numquam errare posse.

168. — Hinc notandum cum *Salm. de confirm. c. 2. p. 3. n. 33. ad 43. et commun. DD.* quoad formam, substantiales esse, et sacramentum invalidare omnes mutationes sequentes, scilicet: 1. Si omittatur verbum *signo*, vel *confirmo*. 2. Si omittatur expressio *SS. Trinitatis*. 3. Si omittatur verbum *te*. 4. Si omittantur verba *signo crucis, vel chrismate salutis*. Dicere

autem corroboro pro confirmo, esset mutatio accidentalis, ut *Salm. ibid. n. 44. cum Sot. Gran. et aliis*; sicut etiam dicere sanctificationis, pro salutis, ut *S. Thom. d. art. 4. ad 1. Valent. et Salm. n. cit. cum aliis communiter*.

169. — Quæritur hic, an sit valida forma, quam adhibent Græci in hoc sacramento, dicendo: *Signaculum doni Spiritus sancti*, significantem signo illo donari Spiritus sancti munera? Affirmant communiter DD. cum *Arcudio*, et sic refert *Illsung apud Croix n. 383*, declarasse *Urbanum VIII.* Unde improbabilius *Viva de confirm. q. 3. art. 1. n. 6.* dubitat de validitate sacramenti cum hac forma collati, eò quòd in ea deest invocatio SS. Trinitatis; nimis enim durum est dicere, quòd tota Ecclesia græca hoc careat sacramento. Præterquam quòd verosimiliter dicunt *Tourn. Præl. theol. de confirm. quæst. 1. art. 4. et ejus Contin. hic cap. 4. et Juenin. t. 7. pag. 205.* quòd apud Græcos, non minus quàm apud Latinos, benè invocantur in hoc sacramento Personæ SS. Trinitatis, eum tali tamen differentia, quòd in Ecclesia latina SS. Trinitas invocatur post unctionem, in græca verò invocatur antea in oratione præcedenti.

Tres autem sunt effectus hujus sacramenti: I. *Character* ut ex *Trident. sess. 7. can. 9.* et ex decr. *Eugen. IV. Vide Salm. de confirm. c. 3. p. 1. n. 2. et Croix n. 383.* II. *Gratia*, id est robur speciale ad prælianda prælia Domini: imo ex *cap. Novissimè, de consecrat. dist. V.* declaratur in confirmatione conferri gratiæ Spiritus sancti plenitudinem, similem illi quam acceperunt apostoli in die Pentecostes, ut docet *Cath. Rom. de sacr. confirm. n. 21.* Et etiam aliquando per hoc sacramentum prima gratia confertur, ut docent *S. Th. art. 7. ad 2. et Salm. ibid. n. 4. cum Suarez, Pal. Laym. Bon. etc. juxta dictan. 84.* III. Effectus est eognatio spiritualis eodem modo, quo dictum est de *bapt. n. 156. in fin.* Ita ex *c. Veniens, de cogn. spir. Viva q. 3. art. ultim. n. 1. Salm. tr. cit. c. 4. p. 3. n. 45. Croix num. 402.*

DUBIUM II.

Quis sit minister, et quod subjectum?

170 *An soli Episcopi sint ministri confirmationis?*

171 *An peccet graviter Episcopus confirmans non suos?*

172 *Et quam pœnam incurral?*

- 173 An autem possit præsumere consensum aliorum Episcoporum?
 174 Quær. 1. an confirmans, et confirmandus debeant esse je-
 junj? Quær. 2. An confirmatio ministranda sit in Ecclesia?
 Et an conferri possit in die feriali, et vespere?
 175 Quando teneatur Episcopus confirmare?
 176 Quinam validè confirmentur?
 177 An infantes?
 178 An sit illicitum pueros confirmare sine causa?
 179 Quæ dispositio ad confirmationem requiratur?
 180 An licitè confirmentur amentes?

170. — **R**ESP. 1. Minister ordinarius validæ confirma-
 » tionis est solus et omnis Episcopus, etiam excommunica-
 » tus, vel hæreticus: ex commissione autem, vel delegatione
 » Pontificis, etiam simplex sacerdos. Est communis. Vide
 » Fern. Laym. l. 5. t. 3. c. 6. Bonac. d. 3. p. 2.

Quæritur, an Papa possit committere simplici sacerdoti
 facultatem confirmandi? Certum est solum Episcopum esse
 ministrum ordinarium hujus sacramenti, ut sancivit Innoc.
 III. in cap. un. de sacra unctione. §. Per frontis, ubi dixit:
 Cum cæteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere,
 hanc (scilicet chrismationis) non nisi summus Sacerdos, id est
 Episcopus, debet conferre. Et idem desinivit Tridentinum sess.
 7. c. 3. ubi: Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordina-
 rium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis
 simplicem sacerdotem, anathema sit. Dubium autem fit, an
 ex concessione Pontificis possit simplex sacerdos confirmare
 tanquam minister extraordinarius. Negat Viva de conf. qu.
 3. art. 2. n. 1. ac Salm. de confirm. c. 4. p. 1. n. 18. cum
 communi, ut asserunt. Sed vera sententia affirmat cum S.
 Th. 3. part. qu. 72. art. 11. ad 1. Petrocor. Concina, utroque
 Tourn. de minist. confirm. concl. 2. Croix l. 6. p. 1. n.
 586. cum Pal. Aversa, et aliis pluribus. Idque hodie non
 ampliùs dubitandum ex Bulla N. SS. P. Benedicti XIV.
 incipiente, Eo quamvis tempore, edita 4. Maji 1743. ubi
 Pontifex indulgit, ut Cophtis sacerdotes missionarii pro ne-
 cessitate possint ministrare confirmationem, additque, hoc
 non esse novum, sed usitatum à S. Gregorio M. et aliis Pon-
 tificibus; refertque P. Zacharia apud Croix lib. 6. pag.

378. *Eugenium IV.* concessisse cuidam religioso Francisco missionario facultatem non solum confirmandi, sed etiam chrisma conficiendi.

171. — « 1. Etsi Episcopus graviter peccet, si vel in aliena » diœcesi, vel sibi non subditos confirmet, sine proprii » Episcopi consensu, saltem tacito, propter defectum juris- » dictionis : » (*Episcopus confirmans in aliena diœcesi, etiam subditos suos, incurrit suspensionem à Pontificalibus ipso jure, ex Trident. sess. 6. cap. 5. et declaratione S. C. ap. Salm. de confirm. c. 4. p. 1. n. 26.*) « valida tamen est con- » firmatio, quia ista non requiritur necessitate sacramenti, » sed præcepti tantum.

« 2. Excusatur à peccato Episcopus, si ex alia diœcesi ac- » currentes confirmet; quia præsumitur tacitus consensus » alterius Episcopi, cui id gratum esse censetur : præsertim » si consuetudine ita receptum sit, vel à proprio ægrè confir- » mari possint. Ita contra *Bonac. d. 3. de sacr. docent Tann. » in 3. p. d. 4. qu. 4. d. 3. Sa v. Consecr. et alii.*

172. — Quæritur an Episcopus possit in sua diœcesi alienos confirmare? Per se loquendo (ut ait *Busemb.*) certum est non posse, idque vetitum illi esse sub gravi, additque *Bonac. p. 2. n. 10.* etiam sub suspensione, sed ubi habeatur hæc suspensio, non indicat, nec ego inveni; tantum enim adest suspensio in Episcopum, qui ordinat alienum subditum, ut dicemus *de ordine n. 762.* At dispar quidem est ratio inter Episcopum ordinantem, et confirmantem, nam Episcopus ordinans debet probare quos ordinat, sed confirmans confirmat, qui accedunt. Deinde certum etiam est et commune ap. DD. quod ubi ex consuetudine id permittitur, licitè fieri potest, ut dicunt *Conc. t. 8. pag. 216. n. 18. Holzm. p. 45. n. 209. Ronc. q. 1. r. 1.* Et hanc esse praxim usu receptam rectè ajunt *Pal. p. 9. n. 7. et Croix l. 6. p. 1. n. 592.*

173. — Cæterum *Bonac. loc. cit. cum Ang. Ledes. Vivald. etc.* sentit probabilius esse, quod in hoc non sit præsumenda rati habitio priorum Episcoporum nisi constet. Alii verò, ut *Conc. Pal. ll. cc. Laym. c. 6. s. 3. Salm. de confirm. c. 4. p. 1. n. 25. cum Tann. Hen. Barb. Sa, etc. ac Croix loc. cit. cum Præp. Aversa, Burgh. et Delb.* communiùs et probabiliùs censent Episcopis licitum esse confirmare alienos subditos, quia semper præsumitur, nisi aliter constet, tacitus con-

sensus aliorum Episcoporum, qui credendi sunt velle suas oves non privari hoc sacramento, cum nullum incommodum ex eo ipsis proveniat.

Tantò magis licitè poterit Episcopus confirmare ordinandum, qui affert dimissoriam sui Ordinarii, quia tunc bene præsumitur consensus etiam de præsentis proprii Episcopi, ut dicunt *Viva qu. 3. art. 2. n. 2. Croix d. num. 392. cum Dicast. Henr. et Salm. ibid. n. 24. cum Pal. Laym. Fag. etc.*

174. — Quæritur 1. An cum ministratur sacramentum confirmationis, tam confirmans, quam confirmandus debeat esse jejunos? Videtur affirmandum ex *c. Ut jejuni, et c. Ut Episcopi de consecrat. dist. 5.* Sed communiter DD. dicunt hoc non esse de præcepto, sed de consilio; unde sæpè tale sacramentum confertur post prandium, præcipuè cum numerosus populus est confirmandus; ita *Laym. l. 5. tr. 5. c. ult. n. 2. Pal. de confirmat. tr. 20. d. un. p. 10. n. 4. Coninck q. 72. art. 12. Bonac. d. 5. de sacr. qu. un. p. 2. n. 13. cum multis, Granad. tr. 4. d. 2. n. 3. Salm. ibid. n. 33. et Escob. l. 2. n. 175. cum Led. Hurt. etc.* Vcl, ut ait *Suar. de confirm. d. 37. sect. 2. v. 4.* dici potest quòd lex de conferendo hoc sacramento ante prandium non est usu recepta, *consuetudo* enim ferè jam obtinuit, ut tale sacramentum post prandium conferatur.

Quæritur 2. An confirmatio debeat omninò conferri in Ecclesia? et an die festivo? Putat *Nugnus qu. 72. art. 2. circa fin.* esse mortale confirmare extra Ecclesiam, sicut est mortale extra Ecclesiam solemniter baptizare, cum sit (ut ait) contra usum Ecclesiæ. Nihilominus probabilius docent *Suar. dicta d. 37. sect. 1. n. 2. Bonac. dicta p. 2. n. 14. Pal. n. 6. Barb. 2. p. de potest. Episcopi alleg. 30. n. 13. Escob. l. 2. n. 178. cum Hurt. Diana t. 2. tr. 3. Misc. r. 17. et Salm. de confirm. c. 4. p. 1. n. 32. cum Henr. et Sa.*, posse absque peccato gravi ministrari confirmationem in aliquo loco decenti, etiam extra Ecclesiam. Nec obstat consuetudo in contrarium, nam respondent *Bonac. et Barb. loc. cit.* non esse credendum talem consuetudinem confirmandi in Ecclesia obligare sub gravi. Unde videtur obligare saltem sub levi, nisi aliqua rationabilis causa excuset, quidquid dicant *Palauus, et Escob.*

Quidquid autem sit de antiqua consuetudine circa tempus ministrandi hoc sacramentum, dicunt *Granad. et Barb. loc.*

cit. ac *Salm. ibid. n. 34.* jam usum obtinuisse, quòd confirmatio conferri possit quocumque die, festivo aut feriali: et quocumque tempore, matutino aut vespertino. Additque *Coninchius* id esse verum etiam in locis generali interdicto subjectis, ex c. *Responso, de sent. excomm.*

175. — « 3. Peccat graviter Episcopus, si longo tempore non confirmet: quia subditos ingenti bono privat.

Hoc certum est apud omnes; vide *Holz. p. 54. n. 210. Croix n. 588. Conc. pag. 216. n. 18. Pal. p. 9. n. 13.* Episcopus tenetur autem suis expensis circumire ad confirmandum, ut *Pal. et Croix*, qui tamen excipit cum *Gob.* nisi sit rationabilis consuetudo expensas exigendi. Hinc dicit *Croix ibid. cum Dic.* peccare graviter Episcopum, qui per 8 vel 10 annos differret circumire saltem per loca præcipua, ut *Pal. et Salm. ibid. n. 51.* nisi excuset moralis impossibilitas. Si autem adsit justa causa, non peccat qui differt per tres, aut plures annos. *Croix cum Gob. etc. l. c.*

An peccet graviter Episcopus non confirmans moribundum petentem? Affirmant *Bonac. Quintan. etc.* Sed probabiliter *Croix n. 390. cum Escob. Lugo etc.* dicit nequaquam peccare, quia excusat incommoditas, et communis praxis: et adhærent *Salm. tr. cit. c. 3. p. 2. n. 25.*

176. — « Resp. 2. Validè confirmantur omnes, et soli baptizati nondùm confirmati. Ratio est, tum ex illo *Act. 2. Replevit totam domum*: tum ex usu, et traditione Ecclesiæ: tum quia omnes indigent ejus effectu, et sunt capaces. Licite verò confirmantur iidem, qui validè, dummodò constet non ponere obicem sive sacramento, sive ejus effectui. Ratio patet ex dictis.

177. — « 1. Etiam infantes, et rationis impotes validè hoc sacramentum suscipiunt.

« 2. Etsi quoad infantes consultiùs sit differre usque ad rationis usum, tum ob irreverentiam sacramenti, tum ob periculum iterationis, tum ob Ecclesiæ usum: nihilominùs ob rationabilem causam etiam antea iis licite datur, v. g. si timeatur diuturna absentia Episcopi: vel hic ad ista loca rarò veniat: item si infans sit in periculo mortis (in quo quidam dicunt debere dari): denique si sit filius princi-

» pis. *Laym.* hic t. 3. c. 6. *Fill. t. 1. tr. 3. c. 2.* » (Sicque sanctum fuit in conc. V. Mediol. ut refert P. Zacharia apud Croix lib. 6. p. 1. num. 390. nempe quod non solum ob periculum mortis, sed etiam ob alias causas possent chrismari pueri).

178. — Certum est apud omnes, licitè confirmari infantes, si justæ accedant causæ, nempe periculum mortis, absentia Episcopi, etc. ut communiter admittunt cum *Bus. Salm. de confirm. c. 3. p. 2. n. 16. et 17. cum Suar. Pal. Conc. etc. ex D. Th. 3. p. q. 72. art. 8. ad 4.* ubi ait pueris morituris dandum esse hoc sacramentum, ut majorem gloriam consequantur. Item licitè confirmantur pueri, ubi talis viget usus, ut dicunt *Salm. ibid. n. 18. cum Soto, et Laym. c. 5. n. 2. ac Vivaldo*, qui testatur in Hispania confirmari infantes duorum vel trium annorum. Præcisus autem his vel similibus causis commune est apud omnes expedire, ut expectetur in confirmandis usus rationis, prout dicitur in *Catech. Rom. n. 18.* ubi : *Omnibus quidem post baptismum confirmationis sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc sacramentum differre maximè convenit.*

Utrùm autem sit illicitum infantes ante usum rationis confirmare? Dicunt plures auctores, nempe *Bonac. p. 4. num. 5. Escob. de confirm. n. 196. Holz. t. 2. p. 45. n. 227. Salm. de confirm. c. 3. p. 2. n. 22. cum Granad.* nullam agnoscere culpam in Episcopo, qui infantes confirmaret, quia hæc erat antiqua consuetudo, et talis est hodie in Ecclesia græca; testaturque *Vivaldus* in Hispaniis infantes communiter confirmari in ætate duorum, vel trium annorum; tantò magis, ut ajunt, quia nullibi facta videtur de hoc prohibitio. Sed id hodie ampliùs dici nequit, dùm Pontifex *Bened. XIV.* in *Const. 129. Eo quamvis, §. 6.* edita anno 1745. declaravit in præsentiarum non licère aliquem confirmare ante usum rationis, his verbis; *Nihilominus abrogato prorsus à Romana Ecclesia... ejusmodi more, consultissimis Pontificum decretis cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum confirmationis in ea solum ætate, in qua fideles... intelligerint tantum inter se differre baptismum, et confirmationem, quantum in naturali*

vita distat generatio ab incremento. De cætero idem *Benedictus* post plures annos ab hac constitutione emanata, in suo celebri opere de *Synodo l. 7. c. 10. n. 5.* scribit, quòd licèt Catechismus asserat non expedire, ut confirmatio ministretur pueris ante septennium, attamen non prohibet, ne ipsis ullo casu conferatur. Additque quòd hoc animadverso à *Sylvio, Suarez, Sylvestro, Roncaglia, Juvenino, Card. Gotti, et aliis,* affirmant ipsi, adhuc juxta præsentem disciplinam, licèt posse conferri confirmationem pueris etiam ante septennium aliquà causâ urgente, nempe si Episcopus deberet per longum tempus à sua diocesi abesse, aut si puer esset in periculo mortis, aut ob aliam similem causam. Loquens autem de amentibus, ait *Benedictus l. c.* omninò ipsis ministrandam esse confirmationem.

Dubitans an sit confirmatus, potest sub conditione confirmari; sed requiritur majus dubium, quàm pro baptismo. *Croix n. 393. cum Nugn. Gob. etc.*

179. — Confirmandus autem existens in mortali debet se disponere ad sacramentum vel contritione, vel attritione unà cum confessione; secùs tamen, si abesset conscientia culpæ gravis, ut *Viva qu. 3. a. ult. n. 1. Salm. de confirm. c. 3. p. 2. n. 28. cum Suar. Pal. et communi.* Confessio enim videtur esse de consilio, non de præcepto, ut communiter dicunt DD. apud *Viva loc. cit.* et clarè colligitur ex *cap. Ut jejuni, dist. 5. de consecr.* ubi dicitur: *Ut moneatur confessionem facere prius.*

180. — « 3. Etiam perpetuò amentes (præsertim si ali-
» quando usum rationis habuerint) licèt confirmantur; etsi
» per accidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi. Ita *Suar.*
» *Fill. Laym. l. c. Con. qu. 72. art. 8. n. 83.* » (*Est commune cum Pal. Con. Bonac. Barb. et Salm. ibid. n. 23. contra Sot. Val. etc.*)

DUBIUM III.

Quæ confirmationis necessitas, et cæremoniæ?

181 *An adsit per se gravis obligatio suscipiendi confirmationem?*

182 *An autem per accidens, nempe ratione vitandi I. Periculi. II. Scandali. III. Contemptus? Et quando contemptus intervenit?*

- 183 *An sit gravis obligatio suscipiendi confirmationem ante susceptionem primæ tonsuræ?*
- 184 *Quæ cæremoniæ sint servandæ in confirmatione? Et quid notandum I. Quoad vestes Episcopi? II. Quoad locum chrismationis? Et an confirmandi accedere debeant jejuni?*
- 185 *Requiritur etiam 1. Patrinus. 2. Ut hic sit unus. 3. Ut sit confirmatus.*
- 186 *Dub. I. An peccet graviter qui tenet non confirmatus? Dub. 2. An patrinus non confirmatus contrahat cognationem.*
- 187 *Requiritur etiam 4. ut patrinus sit diversus à patrino baptismi. An monachi possint esse patrini confirmationis?*
- 188 *An sit obliganda fasciâ frons confirmandi? Et an sit necessaria ultima benedictio Episcopi?*

184. — **R**esp. 1. Non est necessaria ad salutem necessitate medii, neque per se præcepti. Est communis *S. Thom.* et aliorum contra *Scot.* et *Sylvest.* Ratio est, tum quia Ecclesia non urget ejus susceptionem ullis pœnis: tum quia nec ex Scriptura, nec traditione, neque fine, aut institutione sacramenti, tale præceptum colligitur. Et canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

« Dixi, *per se*: quia per accidens aliquando potest esse necessaria ad salutem ex præcepto charitatis sui, vel proximi, vel alio, v. g. ad cavendum scandalum, vel ratione conscientiæ, quâ quis valde metuit, ne in tormentis deficiat sine hoc sacramento.

Unde resolves:

« 1. Negligere hoc sacramentum, secluso scandalo, et contemptu, non est mortale. *Suarez, Laym. l. 5. tom. 3. c. 5. Bon. d. 3. q. 1. p. 2.* ubi ex aliis multis docet, nullum esse præceptum illud suscipiendi.

« 2. Etsi omissio ex contemptu, v. g. si quis id nihili faciat, aut puerile, aut vile habeat, sit mortalis; talis tamen non censetur esse, cum quis ejus oblatam occasionem, quam postea non facile habiturus est, negligit. Ita *commun. contra Sylv. v. Confirm. et Tol. l. 2. cap. 4.*»

Magna est hæc quæstio inter DD. an adsit gravis obligatio suscipiendi hoc sacramentum confirmationis?

*Prima sententia affirmat, quam tenent Merbes. Cont. Tourn. de confirm. cap. 8. concl. 2. Conc. tom. 8. p. 223. n. 1. Habert t. 3. p. 322. c. 9. cum Ang. et Hugone à S. Vict. item S. Bon. S. Anton. Alens. Sylv. et Palud. apud Palaum de confirm. p. 8. n. 3. Dicunt præfati AA. obligationem hanc oriri tam ex præcepto naturali, quàm positivo. Ex naturali, quia grave detrimentum sibi infert, qui in lucta tentationum negligit se munire magno robore hujus sacramenti, ad hunc finem instituti. Ex positivo, tum divino ut probatur ex Actor. 1. ubi Christus Dominus: *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*: nempe Spiritum sanctum, cujus donum tribuitur in confirmatione; tum ecclesiastico, nam Urbanus Papa in cap. Omnes 1. de consecr. dist. 3. sic ad Christianos scripsit: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur*. Hoc etiam Melchiades Papa in can. Spiritus sanctus, ead. dist. dixit: *Viteturis necessaria sunt confirmationis auxilia*. Confirmatur ex Catech. Rom. de conf. §. 6. ubi de hoc sacramento dicitur: *Quamquam verò necessarium non est, à nemine tamen prætermitti debet... Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum*. Item S. Cyprianus Epist. 70. scripsit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere gratiam Christi possit*.*

*Secunda sententia verò negat, per se loquendo, tenèri quemque fidelem sub gravi confirmationem suscipere, et hanc tuentur cum Bus. gravissimi AA. prout Nav. Man. c. 22. n. 9. Suarez p. 3. d. 38. sect. 1. §. 1. Quo circa, Sotus d. 7. q. un. art. 8. Laym. de confirm. cap. 3. q. 4. cum Covar. Abb. Panorm. Adrian. Val. Henr. Vict. et Con. item Frassen t. 10. p. 437. concl. 1. et 2. Wigandt tr. 11. ex. 6. n. 79. Pal. p. 8. n. 3. Bon. p. 2. in Princ. Roncaglia c. 2. qu. 2. r. 2. Anacl. de sacr. p. 344. n. 68. cum communi ut asserit, Sporer t. 3. p. 216. n. 33. Elbel t. 3. p. 52. n. 8. Viva de confirm. qu. 3. a. 2. n. 6. Croix l. 6. p. 1. n. 393. Salm. de confirm. c. 4. p. 4. n. 32. cum aliis. Et huic sententiæ apertè adhæret D. Thom., nam in 3. part. qu. 72. a. 1. ad 3. sic ait: *Quædam (sacramenta) sunt, sine quibus non est salus: quædam verò sunt, quæ coöperantur ad perfectionem salutis; et hoc modo**

confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti. Item in 4. d. 7. qu. 1. a. 1. q. 2. repetit quòd confirmatio est necessaria non ad salutem, sed ad perfectionem salutis, sicut equus ad ambulandum, et medicina ad sanè vivendum. Additque aliqua sacramenta esse ita necessaria, ut sine illis (homo) non possit in spiritali vita vivere, sicut est baptismus, et pœnitentia: quædam autem sine quibus non potest consequi aliquem effectum, qui est ad benè esse spiritalis vitæ; et hoc modo confirmatio, et omnia alia sunt necessaria. Verumtamen contemptus cujuslibet sacramenti est periculosus. Clariùs id confirmat in cit. quæst. 72. art. 8. ad 4. ubi ait: Et ideò Hugo à S. Vict. dicit: Omninò periculosum esset, si ex hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Nec dissentit Scotus in 4. d. 17. qu. 1. n. 11. ubi: Extrema unctio est instituta à Christo, et confirmationis sacramentum, et tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo.

Dicunt igitur fautores hujus sententiæ non adesse de hoc sacramento suscipiendo ullum præceptum neque naturale, neque positivum. Non *naturale*, quia licèt Christus Dominus hoc sacramentum instituerit tamquam peculiare medium ad vincendas hostium insidias, tamen alia sunt generalia media, prout frèquens Eucharistiæ perceptio, oratio, pœnitentia, etc. quibus robur animæ etiam obtineri potest. Nec *positivum*, quia nullibi tale præceptum reperitur expressum. Illud enim quod est in *Act. loc. cit.* intelligitur fuisse datum tantùm apostolis, ut ipsi peculiari modo Spiritum S. acciperent, et tamquam Ecclesiæ fundatores ministerium prædicationis aggredierentur nonnisi supernaturali scientiâ, et donis prophetiæ, linguarum, ac miraculorum præditi. Alia autem quæ habentur in *c. Omnes, et can. Spiritus S.* ut suprâ, intelliguntur non de necessitate præcepti ad salutem, sed ad perfectionem salutis, ut docet *D. Th.* cujus perfectionis detrimentum, sive privationem ait non inducere damnationem: confirmatio enim non reddit hominem perfectum simpliciter, et quoad substantiam, quod est solius baptismi, sed quoad uberioris gratiæ perceptionem, sive ad melius esse spirituale, ad quod homo

non tenetur sub gravi. Sic pariter intelligitur Catechismus rom.; imò id apertè ibi exprimitur in §. 17. ubi dicitur, quòd *illi confirmari debent, qui ad perfectum christianas religionis habitum perducendi sunt.* Et deinde additur: *communis omnium mater catholica Ecclesia vehementer optat, ut in iis, quos per baptismum regeneraverit, christiani hominis forma perfectè absolvatur.* Ubi etiam nota, non dici quòd Ecclesia præcipit, sed *optat*, quo utique exprimitur non adesse Ecclesiæ præceptum. Ad textum autem S. Cypriani respondetur, quòd S. Doctor non dicit necesse esse hoc sacramentum suscipere de necessitate præcepti, sed necesse esse, ut illud suscipiat qui ejus gratiam vult obtinere; vel potest alio modo intelligi, scilicet quòd sine confirmatione non licebat ministrare baptismum tunc temporis, quando baptismus simul cum confirmatione dari præcipiebatur, ut habetur in *cap. De his. 3. dist. 3. de consecr.*

182. — Dicunt autem AA. secundæ sententiæ, quòd licèt per se loquendo omissio susceptionis hujus sacramenti non sit mortalis, conveniunt tamen communiter posse esse mortalem per accidens in tribus casibus, et I. Si quis omittendo aliàs firmiter crederet periculum sibi imminere amittendi fidem, vel charitatem, ut *Suar. Pal. et Salm. de confirm. c. 4. p. 4. n. 59. cum Con. Gran. etc.* II. Si quis omitteret cum scandalo, nempe si esset suspectus de fide, et reputaretur confirmationem contemnere, aut non credere esse sacramentum. *Palauus, Laym. Ronc. Suarez, Sporer, Salm. ibid. n. 58. cum aliis communiter.* III. Si omittatur ex contemptu, quem alii intervenire intelligunt, quando quis commodè sacramentum suscipere potest, et negligit; hunc enim, etsi non formalem, virtualementem tamen contemptum reputant. Ita sentiunt *Habert, Concina, Nat. Alexand. uterque Tourn. Juenin. item Sylvest. Ric. et Gabr. apud Laym. ll. cc.* Et huic opinioni favet *Scotus d. 7. quæst. 2.* ubi ait: *Judicaretur enim contemptus, si omnimodà opportunitate oblata non susciperetur.* Alii verò fortè probabilius dicunt tunc tantum intercedere contemptum, quando quis negligit confirmationem suscipere, non quia detinetur à quodam torpore, vel incommodo, sed quia illam parvi facit; plura enim bona spiritualia homines sæpè adipisci prætermittunt ex negligentia, sine eo quòd illa reputent contemnere. Ita *cum Bus. mox infra Suar. l. c. v.*

Quo circà. *Laym. q. 4. Pal. p. 8. n. 6. Ronc. l. c. Spor. n. 35. Elbel n. 20. et Salm. de confirm. c. 4. p. 4. n. 37. cum Con. Gran. etc. ex D. Th. qui 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3. ait: Dicendum quòd tunc aliquis transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordini legis vel regulæ, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem è converso propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu. Si ergò non contemnit legem qui eam transgreditur propter concupiscentiam, neque contemnet confirmationem qui eam suscipere negliget, ut patiatur aliquod incommodum, ruborem, vel simile. Id apertè confirmat *Catech. rom. dict. §. 16.* ubi loquens de hoc sacramento distinguit negligentiam à contemptu, dicens: *Sæpè evenit, ut fideles in hoc sacramento suscipiendo, dissolutà quoddam negligentia, et cunctatione utantur; nam de iis, qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere et aspernari audeant, nihil est quod dicamus, etc.* Minimè autem negandum cum *Suar. Pal. Laym. Salm. Con. et aliis* (contra aliquos) talem negligentiam esse saltem peccatum veniale, cum sit quædam prodigalitas spiritualis.*

Verumtamen postquam hæc scripsi, invenio declaratum à *Bened. XIV.* in bulla, *Etsi pastoralis* quòd omnes confirmationem suscipientes à presbyteris græcis, invalidè confirmantur; hinc Pontifex subjungit, ipsos admonendos esse de obligatione gravi suscipiendi, cum possint, confirmationem ab Episcopis. En verba Pontificis: *Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu tenèri, si (cum possint) ad confirmationem accedere renuunt, ac negligunt.* Quapropter secunda opinio suprà relata, nimirum non tenèri fideles sub gravi ad confirmationem suscipiendam, hodie non videtur satis probabilis.

183. — « 3. Præceptum, quod habetur in *Trident. sess. 25. cap. 4. de reform.* non ligat omnes, cum sit hypotheticum; » sed tantum ordinandos, vel initiandos prima tonsura. Cujus » omissionem non esse mortalem contra *Tan. docent Henr. Valent. Suar. d. 38. s. 1. et Navar. c. 22.* qui addit, ne » quidem Episcopum peccare mortaliter, ordinando non con-

» firmatum, aut si ipse non confirmatus ordinet. Vide Reg.
» l. 28. cap. 3.

Quæritur, an sit obligatio gravis suscipiendi hoc sacramentum ante susceptionem primæ tonsuræ? Affirmant *Bonac. de Ordine p. 4. n. 8. Renzi eod. t. q. 3. cum Tolet. Fornar. et Majol. ap. Dian. pag. 2. tr. 16. r. 4. ex præcepto Tridentini sess. 23. c. 4. ubi dicitur: Prima tonsura non iniuntur, qui sacramentum confirmationis non susceperint. Et in hujus præcepti confirmationem refert Renzius l. c. quamdam declarationem S. C. Concilii die 27. Septembris 1621. ap. Nicolium, ubi dictum fuit, quòd qui susceperit primam tonsuram, vel ordines non confirmatus, tanquam malè promotus non possit ad alios ordines ascendere, nec recipere beneficia sine Sedis apostolicæ dispensatione. Negant verò alii communissimè, quòd præfata verba Tridentini gravem obligationem importent; ita *Nav. Man. c. 22. n. 9. vers. Quinto*, ubi sic ait: *Peccat qui non se facit confirmare ante omnem ordinationem; nullam tamen censuram incurrit; tum quia ejus omissionis negligentia non est mortalis; tum quia nullo jure id cavetur.* Idem sentiunt *Sotus d. 24. q. 1. art. 4. Suar. d. 38. sect. 1. v. Quo circa, Pal. de cons. p. 8. n. 6. Escob. eod. tit. n. 193. Salm. de confirm. c. 4. p. 4. n. 65. Tamb. c. 3. §. 4. n. 4. Dian. l. c. cum Azor. Val. Avil. Con. et Molles.* Idem sentit perdoctus *Cabassut. l. 3. c. 3. n. 10. cum communi*, addens *Suarium, Coninch. Nav. Vict. etc.* extendere hanc doctrinam etiam ad collationes ordinum. Et idem dicunt *Nav. l. c. Laym. c. 3. n. 4.* de Episcopo ministrante. Ratio, vel quia verba concilii solam monitionem continent, cum verba imperativi modi per se non inducant præceptum, ut dicunt *Cajet. Nav. Sa, et Sayr.* quos retulimus ex *Glossa in c. 1. de præscrip. et ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 166. art. 9. ad 2. dicit: Nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes obligant ad mortale, vel quia verba Tridentini non continent strictum præceptum, eò quòd hæc non æstimetur materia gravis, aut quòd præceptum ita à consuetudine sit interpretatum. Meritò tamen dicunt præfati auctores, id non excusari à veniali (contra *Holz. t. 2. p. 43. n. 218. Gran. d. 1. n. 9. et Tamb. loc. cit. n. 3.* qui nullam in hoc culpam agnoscunt) saltem ob quamdam deordinationem, quæ in tali omissionem interveniret.**

184. — « Resp. 2. Circa cæremonias confirmationis, scienda »
 » sunt sequentia : I. Etsi servandi sint ritus in Pontificali præ- »
 » scripti, peccetque graviter Episcopus, si confirmet sine »
 » pluviali, mitra, vel pedo; uti et si ordines sacros conferat »
 » cum solis indumentis missæ. *Dian. p. 7. t. 10. r. 31.* Non »
 » tamen semper erit mortalis alicujus omissio, v. g. alapæ, »
 » aut cerei. Potest autem conferri loco quovis decenti, etiam »
 » extra Ecclesiam, et à prandio non jejunis, omni anni »
 » tempore.

Notandum I. quoad vestes Episcopi ministrantis, in Ponti-
 ficali Rom. præscribi, quòd Episcopus debet esse indutus
 amictu supra rochetum, vel superpelliceum si sit religiosus,
 ac stolà, pluviali albi coloris, mitrà, et baculo. Dicit autem
Villalob. apud Dian. p. 7. tr. 10. r. 31. peccare tantum ve-
 nialiter Episcopum, qui confirmaret sine vestibus sacris,
 dicens, hanc esse cæremoniam accidentalem. Sed verius ipse
Dian. ibid. et Tamb. de confir. §. 2. n. 4. Sporer t. 3. p. 217.
n. 43. ac Renzi q. 3. dicunt esse mortale omittere omnia præ-
 dicta instrumenta, cum ipsa pertineant ad reverentiam sa-
 cramenti; secus si aliquod tantum omittatur, quia id non
 videtur esse materia gravis: et sic intelligendus *Busemb.*
 cum ipse se referat ad doctrinam *Dian.* Advertendum tamen
 quoad baculum, sufficere quòd baculus maneat publicè expo-
 situs, vel à clerico detineatur, ut ex figura in Pontificali
 depicta signatum ostenditur. Item S. C. de propag. Fide 7.
 Decemb. 1726. *apud Pitton. de 5. Ritib. t. 1. n. 532.* decla-
 ravit sufficere, quòd Episcopus sine mitra, adhibità tantum
 stolà, confirmet.

Notandum II. quoad cæremonias alapæ, et cerei, omis-
 sionem alapæ, secluso scandalo, nunquam esse mortalem,
 ut rectè dicunt *Suar. d. 37. s. 2. in fin. Bon. p. 4. n. 9. et*
Barbosa, Gran. Ledesm. et alii apud Salm. de confirm. c. 4.
p. 2. n. 41. Omissionem autem cerei *Led. et Sa ibid.* absolutè
 negant unquam posse esse mortalem, cum hæc cæremonia
 minimè inveniatur præscripta in Pontificali, sed tantum ex
 solo usu sit introducta.

Notandum III. quoad locum, *Nugnum apud Bon. p. 2.*
n. 14. putare quòd sit mortale confirmare extra Ecclesiam,
 sed hoc est contra communem. Alii verò, ut *Bus. et Dicast.*
ap. Croix n. 289. dicunt id omni culpà carere, modò confir-

matio ministretur in loco decenti. Sed communiùs *Bonac. et Croix ll. cc. ac Salm. ibid. p. 1. n. 32. cum Con. et Præpos.* censent hoc esse veniale : quod puto verius, nisi interveniat aliqua causa excusans, juxta id quod notatur in Rubrica Pontificalis, ubi dicitur : *Hoc sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.* Probabiliter autem dicit *Palaeus p. 10. n. 6.* licet semper posse Episcopum confirmare in suo oratorio domestico.

Notandum IV. quoad jejunium, quòd licet in *c. Ut jejuni, dist. 8. de consecr.* præscribatur, ut confirmandi accedant jejuni; et in Pontificali Rom. dicatur : *Confirmandi deberent esse jejuni.* Dicunt tamen *Salm. l. c. n. 33. et Croix l. c.* id esse tantum consilii; sed melius dicunt *ibid. Aversa, et Gob. ac Cabassut. l. 3. c. 3. n. 2. et Renzi quæst. 4.* jam usum invaluisse, quòd hoc sacramentum conferri possit etiam post prandium. Sic pariter confirmatio conferri potest quocumque die, ut dicunt *Suar. d. 37. sect. 2. et Salm. ibid. num. 34. cum Gran. et Busemb. ubi supra,* sic usum ferre testatur *Croix loc. cit.*

185. — « II. Sub gravi culpa, ut docet *Nav. c. 22. ex » communi, requiritur patrinus; isque unus tantum (licet » Tol. duos admittat) qui, si confirmatus non sit, peccat » graviter secundum communem. Escob. tamen ex Con. do- » cet non esse mortale : quod probabile esse docet Quintan. » t. 2. sect. 7. Imò nullum, si fiat in necessitate, et non » contrahit cognitionem, ut docent *Sanch. Suar. contra Syl- » vest. Sa, et alios.**

I. Igitur requiritur patrinus, et quidem sub gravi, ut cum *Nav. et communi* dicunt *Busemb. et Holzm. t. 2. p. 46. n. 222. ex c. 2. et 6. caus. 30. qu. 1.* Patrinus autem confirmationis designandus est à parentibus, vel ab Episcopo in eorum defectu. *Croix n. 397. cum Gob.;* (hoc intelligendum, si confirmandus sit puer). Dicit autem *Holzm. cum Gob. et Illsung,* quòd licet posset conferri confirmatio sine patrinò, casu quo is haberi non posset. II. Requiritur, ut patrinus sit unus, ut tenendum cum *Busemb. et Salm. de confirm. c. 4. p. 3. n. 30. ex Pal. Bon. et Rebell.;* nam sic præcipitur in *cap. fin. de cogn. spir. in 6.* ubi dicitur : *Non plures quàm unus vel una accedere debent ad suscipiendum de baptismo... De*

confirmatione idem iudicium est habendum. Licet autem Tridentinum in baptismo duos admittat, cum tamen nihil disponat de confirmatione, quippe juri antiquo standum est. III. Requiritur, ut hic patrinus sit confirmatus, ex præcepto quod habetur in *can. In baptisate*, 102. *dist. 4. de consecrat.* ubi: *In baptisate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Et in Pontificali Rom. habetur: *Nullus qui non sit confirmatus potest esse in confirmatione patrinus.*

186. — Sed hic dubitatur 1. an peccet graviter, qui non confirmatus teneat? Dicit *Busemb.* quod *Escobar* negat esse mortale; sed errat; nam hic auctor (*De confir. n. 253.*) oppositum expressè docet, quia talis patrinus violaret præceptum Ecclesiæ in re gravi, et sic tenendum cum *Concin. p. 229. n. 3. et communi*, ut asserit idem *Bus.*

Dubitatur 2. an patrinus non confirmatus contrahat cognitionem?

Prima sententia affirmat, et hanc tenent *Conc. l. c. Sotus in 4. d. 42. q. 1. a. 3. et Navarr. Tab. Man. Lopez apud Sanch. de matr. l. 7. d. 60. n. 19. item Sa, Palud. etc. apud Salm. de confirm. c. 4. p. 3. n. 47.* qui probabilem putant, sicut etiam censet *Croix l. 6. p. 1. n. 400.* Ratio, quia (ut dicunt) tò *non potest in cit. c. 102.* mox suprà, per se et propriè non denotat invaliditatem actûs, sed tantùm prohibitionem, sive (ut ajunt *Surd. et Bard. ap. Escob. n. 251.*) quia verbum *non potest* interdùm sonat idem ac *non decet, vel non expedit, ex leg. Nepos, ff. de verb. sign.*

Secunda sententia verò negat, quam tenent *Glossa in d. c. 102. Suar. q. 72. art. 10. Tol. l. 2. c. 24. n. 11. Bon. de matr. q. 3. p. 5. §. 2. n. 20. et Renzi de confirm. q. 9.* qui refert declarationem S. C. concilii die 13. Junii 1654. apud *Jos. de Jan.*, ubi dictum fuit, non confirmatum suscipientem confirmandum non contrahere cognitionem spiritualem. Eamdem ut probabiliorem tenet *Sanch. l. c. n. 20. cum Ang. Vict. Hen. Led. Palac. etc.* Ratio tum quia verbum *non potest* reddit actum omninò nullum, ut dicit *Sanch. se probasse lib. 6. d. 58. n. 20.*, tum quia sicut in baptismo non contrahit patrinus non baptizatus, ita in confirmatione non confirmatus. Utraque est probabilis, sed secunda probabilior, saltem, quia est majori auctoritate munita ob declar. S. C.

187. — « Debet autem patrinus esse diversus à patrino » baptismi saltem extra necessitatem » (ut dicunt *Salm. l. c. n. 49. cum Laym. Pal. Bonac. et comm. Excipit tamen Croix n. 398. cum Sylv. et Synodo Coloniensi, nisi aliqua adsit causa in contrarium. Patrinus autem debet esse ejusdem sexûs, cujus est confirmandus, juxta usum Ecclesiæ, et ritum Pontificalis Rom., prout dicit Croix ibid. cum Aversa*) « licèt cum *Bon. et Hurt. id* » neget *Quint. t. 2. sect. 7. et 14. et secûs facientem non peccare* » mortaliter, dicat *Dian. p. 3. t. 4. r. 21*, et non monachus » (nisi factus Episcopus); admitti tamen et illos, et moniales » posse sine culpa, docet idem *Quintan. loc. cit. sect. 18.* » nisi in eorum religione sit prohibitum. Eo autem nomine » non excludi Mendicantes notat *Conc. et alii quinque cum* » *Dian. p. 9. t. 6. r. 32.* Nec refert, seclusâ consuetudine, » nùm vir sit, aut foemina. Neque etiam contrahit obligatio- » nem instruendi confirmatum » (ut dicunt etiam *Salm. de confirm. c. 4. p. 3. n. 51. cum Laym. Pal. Bon. et Henr. Excipiunt tamen Aversa, et Synod. Colon. apud Croix n. 397. in fine, si confirmatus non sit instructus, et alius desit*) « sed » tantùm cognationem spiritualem cum eo, et ejus parentibus: » dummodò tamen eum tangat.

Quidquid dicat *Quintanad. apud Busemb.,* verius id censent vetitum *Salm. ibid. n. 48. Sanch. Bon. Led. et communi apud Sporer t. 3. p. 218. n. 47.* Nam in *c. Monach. 104. dist. 4. de consecr.* universè dicitur: *Monachi sibi compatres, commatresve non faciant.* Excipiunt autem 1. *Spor. l. c. et Pal. Barb. Gob. etc. apud Croix n. 397.* si confirmandus esset pariter religiosus. Excipiunt 2. *Suar. Dicast. etc. apud Croix ibid.* si religiosus sit mendicans, sed hanc exceptionem nec admittit *P. Conc.* Quoad modum autem suscipiendi in confirmatione, præscribitur in Pontificali Rom. quòd confirmandus ponat pedem super pedem dexterum patrini; sed rectè dicit *Conc.* hodie receptam consuetudinem habère, quòd sufficiat, ut patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat, et hanc consuetudinem testatur *Concina* approbatam fuisse à S. C. Rituum die 20 Septemb. 1749.

188. — « III. Frons confirmati obliganda est fascia linea » cruce notata, gestanda uno, tribus, vel septem diebus, pro » consuetudine, illota interim fronte. » (*Sed hodie ex desuetudine hæc cæremonia non amplius in nostris partibus est in*

usu, cùm statim post unctionem abstergetur frons confirmati, et sic dimittatur): « potest etiam, si ratio subsit, statim au-
 » ferri, et frons abluì; ipsa autem comburi, vel honestè
 » asservari debet, nec ad profanos usus adhibèri, propter
 » contactum chrismatis, neque solvens illam contrahit cognationem. Vide Præp. in 3. p. q. 2. art. 12. IV. Parochos
 » tenèri in librum referre nomina confirmatorum, et patri-
 » norum suæ parochiæ (eamque curam ad Episcopos etiam
 » pertinère), tum propter sciendam cognationem spiritualem,
 » cùm propter ordines suscipiendos, docet Quintanad. t. 2.
 » sect. 11. ex Barb. etc. ac denique licère mutare nomen in
 » confirmatione. Ibid. sect. 10.

Notandum ultimò pro complemento hujus materiæ, quòd benedictio communis, quæ datur ab Episcopo confirmatis in fine, non est necessaria ad sacramentum, sed est simplex cæremonia, ut communiter dicunt DD. cum *Croix lib. 6. p. 1. n. 400.* Hinc probabiliter ait *Tamb. de confirm. c. 2. §. 2. n. 9.* admonitionem, quæ fit, ne confirmati ante benedictionem præfatam discedant, non vidèri, quòd obliget. Imò dicunt *Laym. l. 3. c. 7. n. 2. Palaus tr. 20. qu. 10. n. 12. et Tamb. l. c.* quando magnus est concursus, omittendam esse illam admonitionem, ut aliis locus præstetur; et hanc esse praxim testatur *Croix loc. cit.*

INDEX

CAPITUM ET DUBIORUM,

CUI ANNECTUNTUR OMNIA SUMMARIA,

Quæ singulis capitibus et dubiis apponuntur, ut simul hic præ oculis habeantur cunctæ res et quæstiones, quæ in quinto volumine continentur.

Littera A denotat librum, n numerum marginalem, v versiculum.

LIBRI QUINTI

CAPUT II.

DE STATU CLERICORUM.

DUBIUM I. DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ARTICULUS I.

Quid, et quotuplex beneficium ecclesiasticum. *pag. 1.*

83 *Quid est beneficium.*

84 *Quotuplex est.*

ARTICULUS II.

Quomodo acquirantur, et conferantur beneficia. *pag. 3*

85 *Quibus modis acquirantur beneficia.*

86 *Quinam sint proprii collatores beneficiorum.*

87 *Quid, et quotuplex sit jus patronatus.*

- 88 *Quando patronus teneatur præsentare.*
89 *An pendente lite currat tempus præsentationis.*
90 *Quid faciendum, si multi præsententur.*
91 *An peccent graviter non præsentantes digniores ad beneficia. Certum est de promoventibus ad cardinalatus, et episcopatus.*
92 *Id certum est etiam de Episcopis non eligentibus digniores ad parochias.*
93 *Quid, si electio fiat ad beneficia simplicia. (usq. ad n. 96.)*
97 *An patroni non præsentantes digniores peccent graviter.*
98 *An ad idem teneantur resignantes.*
99 *Verior sententia.*
100 *An eligendi digniores ad prælaturas regulares.*
101 *Vera sententia.*
102 *An electio digni, omisso digniori, sit valida.*
103 *Probabilior sententia.*
104 *An Episcopi digniores sint transferendi ad majores Ecclesias. Et hic, an translatio Episcoporum vetetur jure divino.*
105 *Quid, si adsit justa causa.*
106 *An eligentes minus dignum teneantur ad restitutionem. Et cui.*
107 *An sententia negativa sit probabilis.*
108 *An teneantur ad restitutionem id suadentes.*
109 *Quid, si beneficium conferatur per concursum.*
110 *An eo casu minus dignus electus teneatur resarcire damnum Ecclesiæ, vel digniori.*
111 *An examinatores teneantur denuntiare digniores.*

ARTICULUS III.

Quæ intentio, et qualitates requirantur ad beneficium accipiendum. pag. 21

- 112 *Quænam qualitas requiratur in eo, cui beneficium confertur.*
113 *An requiratur in eo voluntas clericandi. Quomodo peccet recipiens beneficium simplex cum animo ducendi postea uxorem.*

- 114 *An peccet graviter recipiens beneficium curatum cum animo dubio suscipiendi sacerdotium intra annum.*

ARTICULUS IV.

An liceat habere plura beneficia, et quinam beneficiarii teneantur ad residentiam. pag. 25

- 115 *An et quando liceat habere plura beneficia.*
- 116 *Quotuplicia sint beneficia. Et quæ sint incompatibilia. Et an obtento secundo beneficio quomodocumque incompatibili, vacet primum.*
- 117 *An pluralitas beneficiorum sit vetita de jure divino, vel ecclesiastico.*
- 118 *Quæ causæ cohonestent pluralitatem beneficiorum.*
- 119 *De obligatione residentie.*
- 120 *Quinam beneficiarii ad residentiam obligentur.*
- 121 *De residentia pastorum. Qu. I. An curati teneantur residere jure divino.*
- 122 *Quid notandum circa residentiam Episcoporum.*
- 123 *Quid circa residentiam parochorum. Dub. 1. An parochi indigeant licentiâ in scriptis. Dub. 2. An parochi habentes justam causam possint abesse per duos menses sine licentiâ. Quid, si urgeat aliqua necessitas. Quid si absint per modicum tempus.*
- 124 *Qu. II. Quo in loco beneficiarii teneantur residere. Et præsertim ubi Episcopi. Et ubi parochi.*
- 125 *Qu. III. Quænam causæ excusent pastores à residentia. Et I. De causa charitatis. II. De causa necessitatis. III. De causa obedientie. IV. De causa utilitatis.*
- 126 *Qu. IV. Quando, et quomodo pastores non residentes teneantur restituere fructus beneficiorum.*
- 127 *Dub. 1. Quid, si absint cum justa causa, sed sine licentiâ. Dub. 2. Quid, si eorum absentia sit sine culpa. Dub. 3. Quid, si resideant inutiliter. Et an parochi teneantur per se exercere munia principaliora. Dub. 4. An non residentes teneantur integros fructus restituere.*

- 128 *Quibus debeant restitui fructus à non residentibus.*
129 *Plura hic de residentia canonicorum.*
130 *Quænam causæ excusent canonicos ab assistentia chori.*
Et I. De causa infirmitatis. Dub. 1. An per se excusentur septuagenarii. Dub. 2. An cæci, et surdi. II. De causa necessitatis. Quid, si quis abest à choro ob excommunicationem incursum. Quid, si Ecclesia sit interdicta. Quid, si polluta. An Canonici irregulares amittant distributiones, et fructus præbendæ. III. De causa utilitatis.
131 *Quid de canonico pœnitentiario. Quid de theologo, de examinatore, de visitatore, etc.*
132 *Quid de canonicis docentibus. An parochi docentes gaudeant eodem privilegio. Quid de canonicis, et parochis studentibus.*

ARTICULUS V.

Quibus modis beneficia amittuntur. pag. 59

- 133 *Quibus modis amittuntur beneficia.*
134 *Quid, et quotuplex resignatio.*
135 *Quid requiritur, ut valeat resignatio conditionata. (Vide dicta lib. 4. ex n. 81.)*
136 *Quid de permutatione beneficiorum.*

ARTICULUS VI.

Quid, et quotuplex sit pensio. pag. 62

- 137 *Quid, et quotuplex sit pensio.*
138 *A quo et quanta possit pensio designari.*
139 *An pensionarius possit de illa liberè disponere.*

DUBIUM II. DE HORIS CANONICIS.

ARTICULUS I.

Qui obligentur ad horas.

pag. 63

- 140 *Quinam clerici teneantur ad officium. Qualem partem officii teneantur dicere subdiaconi eâ die, quâ ordinantur. Et an subdiaconus, qui officium recitavit ante ordinationem, teneatur hoc repetere.*
- 141 *An teneantur ad Horas canonicas omnes religiosi, et moniales.*
- 142 *An religiosi non constituti in sacris, et moniales non dicentes officium in choro, teneantur recitare privatim. Dub. 1. An teneantur ad officium religiosi ejecti. Dub. 2. An profugi. Dub. 3. An ad triremes damnati. An degentes extra claustra.*
- 143 *Not. 1. An, et quando religiosi teneantur recitare in choro. Quid, si sint occupati. Not. 2. An peccent graviter praelati, si sua negligentia officium non recitetur in choro. An teneantur Episcopi recitare in choro. Not. 3. An teneantur supplere omissa, qui plura non percipiunt, ut choro inserviant. An ad peccandum graviter in choro sufficiat omissio minoris partis, quam in officio privato.*
- 144 *De obligatione beneficiariorum circa officium. An beneficiarius ordinatus per metum gravem teneatur ad officium.*
- 145 *Qu. I. Quot peccata committat sacerdos beneficiatus officium omittens. Qu. II. An beneficiarius graviter peccet omittendo officium, si velit fructus restituere.*

ARTICULUS II.

Quanta sit hæc obligatio. pag. 75

- 146 *Quæ culpa sit omittere officium, vel partem ejus notabilem.*
 147 *Quæ sit parva materia in omissione officii.*
 148 *An omissio Horarum sit unum, vel plura peccata.*
 149 *Quot peccata committit, qui officium in mare projiciens redditur impotens ad recitandum.*
 150 *Utrum dubitans, an aliquid omiserit, teneatur id recitare.*
 151 *Quando beneficiarii officium omittentes teneantur restituere fructus.*
 152 *Quibus sit applicanda fructuum restitutio.*
 153 *Quando possit beneficiarius à restitutione excusari titulo pecuniæ expensæ.*

ARTICULUS III.

Quæ excusent à recitatione Horarum. pag. 85

- 154 *Quomodo excuset infirmitas. Not. I. An excuset gravis molestia. Not. II. An excuset convalescentia. Not. III. Quid in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum. Not. IV. Quid si dubites, an possis recitare partem.*
 155 *An excusentur laborantes feбри tertianâ, vel quartanâ.*
 156 *Quomodo excuset justum impedimentum. Et an ideò excusentur concionatores, confessarii, peragentes necessaria in choro.*
 157 *Quomodo excuset cæcitas, et carentia Breviarii.*
 158 *An impotens recitare totum officium teneatur ad partem. Quid, si non habeas officium proprium. An tenearis recitare cum socio, si nequis solus. An beneficiarius teneatur conducere socium, si non possit solus recitare.*
 159 *Quomodo excuset dispensatio.*

ARTICULUS IV.

- Quomodo recitandæ sint Horæ. pag. 90
- 160 *Requiritur I. Ut recitentur juxta præscriptum Breviarii Romani.*
- 161 *Quær. I. An sit obligatio recitandi litanias. Qu. II. An officium defunctorum. Qu. III. An liceat officium in brevius permutare. Qu. IV. An possis te conformare cum clerico privilegiato. Qu. V. An errans in officio teneatur repetere.*
- 162 *Requiritur II. Pronuntiatio vocalis.*
- 163 *Qu. I. An satisfaciat legens, si se non audiat; An autem satisfaciat submissè recitans in choro. (Remissivè ad l. 4. n. 673. v. Dub. 4.) Qu. II. An si recites officium in choro, vel cum socio, tenearis repetere quæ non percipis. (Vide etiam n. 143. v. Not. III.) Qu. III. An satisfaciat surdus, vel surdaster recitans in choro.*
- 164 *Requiritur III. Pronuntiatio integra.*
- 165 *Quomodo peccet mutilans verba. Quid si recites cum socio mutilante.*
- 166 *Requiritur IV. Pronuntiatio continuata.*
- 167 *An Matutinum possit separari à Laudibus, et an tunc sit obligatio terminandi Horas, aut Matutinum cum Pater, et oratione officii currentis, et an nocturni possint ab invicem separari.*
- 168 *An sit repetenda Hora, si magna intercedat interruptio. Quæ sint causæ justæ interrumpendi.*
- 169 *Requiritur V. Ne invertatur ordo.*
- 170 *Causæ invertendi ordinem.*
- 171 *An in choro sit gravis obligatio recitandi Horas ordine debito, et statis horis.*
- 172 *Requiritur VI. Ut dicantur horæ tempore suo.*
- 173 *Quæ sint causæ justæ anticipandi vel postponendi. Quo tempore dicendæ sint Horæ.*
- 174 *Qu. I. Quando possit dici Matutinum. Qu. II. An Matutinum Defunctorum possit pridè recitari. Qu. III. An in Vespera diei antecedentis possint recitari Litanie.*

- 175 *Requiritur VII. Ut Horæ recitentur attentè et devotè.*
- 176 *Quænam intentio requiratur, et quænam attentio. Et I. de attentione externa. An dormitans in officio, vel recitans dum alii fabulantur, vel in platea, etc. satisfaciatur. II. de attentione interna.*
- 177 *An attentio interna sit necessaria ad satisfaciendum, et an beneficiarius recitans sine attentione interna teneatur ad restitutionem. (Remissivè ad l. 4. n. 669.) Regula ad scrupulos abjiciendos.*
- 178 *An et quomodo peccet recitans officium existens in peccato mortali.*
- 179 *An liceat officium dicere in loco indecenti. An extra chorum situs recitandi sit de præcepto.*

DUB. III. *Quid clerici possint circa dispositionem fructuum suorum beneficiorum.* pag. 127

- 180 *An beneficiarii sint domini fructuum quoad necessariam sustentationem. (Vide etiam l. 4. n. 491. v. III.)*
- 181 *An quoad non necessariam. (Vide etiam l. 4. n. 491.)*
- 182 *Quid notandum circa congruam sustentationem clericorum. (Vide etiam l. 4. n. 491. v. Qu. II.)*
- 183 *Quænam quantitas in vanis expensis censeatur gravis.*
- 184 *Quæ teneantur clerici erogare in usus pios.*
- 185 *Quid intelligatur nomine usus pii.*
- 186 *Vide resolutiones.*
- 187 *An clerici possint testari de fructibus beneficii. De Alienatione bonorum ecclesiasticorum. Not. I. De pænis in alienantes bona Ecclesiæ. Not. II. An possint alienari, si talis facultas data sit à donante. Not. III. Quid veniat nomine bonorum ecclesiasticorum. Not. IV. Quid, si alienatio vetita sit à donante, et quæ sint causæ justæ alienandi. Not. V. Quæ solemnitates requirantur, et quid, si deficiat causa. Not. VI. Quæ bona possint alienari sine solemnitatibus, et in quibus casibus. Not. VII. Quid de locatione bonorum ecclesiasticorum.*

DUB. IV. *Quis sit habitus clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur.* pag. 156

- 428 *Index capitum et dubiorum.*
 188 *Quinam clerici teneantur ad habitum, et Tonsuram.*
 189 *Quæ artes prohibeantur clericis.*
 190 *Quæ officia (Quoad officium factoris, vide l. 4. n. 838.
 v. Valdè.)*
 191 *Quæ actiones.*

CAPUT III.

De statu, et officio personarum sæcularium quarundam, et præsertim judicialium. *pag. 138*

DUB. I. *Quæ requirantur ad legitimum iudicium.* *ibid.*

DUB. II. *De potestate, et officio iudicis.* *pag. 139*

ARTICULUS I.

Quid requiratur in iudice. *ibid.*

ARTICULUS II.

Quid iudici servandum circa inquisitionem. *pag. 141*

197 *Quibus modis possit procedi contra reos.*

198 *In quibus iudex possit instituere inquisitionem generalem. Et in hac ad quid teneantur subditi.*

199 *Quando iudex possit procedere sine accusatore.*

200 *Quando possit iudex inquirere in particulari.*

201 *Plura notanda de iudice procedente per inquisitionem.*

ARTICULUS III.

Quid liceat iudici circa quæstiones, sive torturam. *p. 145*

202 *Quæ requirantur, ut possit procedi ad torquendum reum.*

203 *Usquequò possit reus torqueri.*

204 *An semel tortus possit iterùm torqueri.*

ARTICULUS IV.

Quid servandum judici circa sententiam, et pœnam. p. 148

205 *Quandonam judex inferior possit pœnam relaxare, vel minuere. Quid, si judex sit supremus.*

206 *An possit judex judicare in causa, ubi fuit advocatus.*

207 *An possit damnare nocentem, qui juridicè est innocens.*

208 *Quid, si sciat innocentem, et probatus sit nocens.*

209 *Quid facere debeat judex, si utrimque sententiæ sint probabiles.*

210 *Plura notanda super hac materia.*

211 *An liceat judici accipere munera à litigantibus.*

212 *An peccent munera dantes judici, vel ejus ministris.*

213 *Quibus pœnis puniendus judex ob munera iniquam ferens sententiam.*

214 *Ad quid teneatur judex ferens injustam sententiam.*

215 *An sententia injusta obliget in conscientia.*

216 *Ad quid teneatur judex, qui munera accepit.*

217 *Quid possint accipere commissarii, sive executores.*

DUB. III. Quid sit officium advocati. pag. 159

218 *Quæ requirantur in avvocato.*

219 *Quibus prohibeatur officium advocati exercere.*

220 *Quid licitum sit avvocato.*

221 *Quos pauperes teneatur avvocatus tueri.*

222 *An possit avvocatus tueri causam minus probabilem.*

223 *Quando avvocatus teneatur ad restitutionem.*

224 *An liceat avvocato convenire de pretio, inceptâ lite. An de quota litis.*

225 *Plura notanda circa advocati salarium.*

226 *Quando peccet avvocatus contra suum officium.*

DUB. IV. Quæ sit obligatio referentis, secretarii, notarii, et procuratoris. pag. 166

227 *Ad quid teneantur referentes, etc.*

228 *Quando peccent referentes.*

229 *Quando secretarii.*

- 230 *Quando tabelliones, sive notarii.*
 231 *Plura notanda circa notarios, et tabelliones.*
 232 *Quando peccent procuratores.*
 233 *Plura notanda de stipendio procuratoris.*

DUB. V. *Quod sit officium accusatoris.*

pag. 170

- 234 *Quæ sint cavenda ad servandam justitiam accusatori.*
 235 *Quæ requirantur ad legitimam accusationem.*
 236 *An, et quis teneatur alterum accusare, vel denunciare.*
 237 *An teneantur ad restitutionem pœnæ, obstricti ex officio ad denunciandum, prout custodes gabellarum, si non denuntient.*
 238 *Qui prohibeantur accusare.*
 239 *Quando illicitum est crimen denunciare.*
 240 *An correctio fraterna debeat præcedere accusationem.*
 241 *Quando verò liceat accusare sine prævia monitione.*
 242 *Quid notandum circa denuntiationem evangelicam.*
 243 *Qu. I. An liceat deferre prælato ut patri crimen occultum, omissâ correctione.*
 244 *Qu. II. An crimen possit prælato denunciari, si reus sit emendatus.*
 245 *Qu. III. Quid in dubio, an correctio meliùs fiat per prælatum. Qu. IV. An liceat renuntiare juri fraternæ correctionis.*
 246 *Quid notandum circa denuntiationem judicialem.*
 247 *An possint cogi à prælato denunciatores evangelici ad faciendam denuntiationem judicialem.*
 248 *Quid notandum de monitoriis.*
 249 *An sit obligatio denunciandi hæreticos cum periculo gravis damni.*
 250 *An teneamur denunciare hæreticos nobis conjunctos.*
 251 *Quæ crimina denuncianda tamquam de hæresi suspecta.*
 252 *An, et quando denunciandi blasphemi.*
 253 *An denunciandi superstitiosi.*
 254 *An denunciandi sint negligentes denunciare.*

DUB VI. *De testibus.*

pag. 188

- 255 *Quomodo debeant esse, et testificari testes ad probandum.*
 256 *Qui rejiciuntur. 1. Servi. 2. Mulieres. 3. Minores. 4. Ini-*

- mici. 5. Conjuncti, et domestici. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Personæ inopes et viles.*
- 257 *In quibus casibus sufficit dictum unius testis.*
- 258 *Quid, si unus testis deponat de una propositione hæretica, et alius de altera.*
- 259 *An semper sufficiant duo testes ad probandum.*
- 260 *Quales debent esse testes, ut plenè probent.*
- 261 *An laïci repellantur à testificando contra clericos. Quid è converso.*
- 262 *An testes inepti, ut suprà, faciant indicium.*
- 263 *An religiosi probent in causa sui monasterii.*
- 264 *An et quando quis testari teneatur.*
- 265 *An testis teneatur fateri veritatem judici non legitime interroganti.*
- 266 *Quando judex legitime interroget.*
- 267 *An testis teneatur manifestare crimen, si accusator unicum testem afferat.*
- 268 *Non teneris manifestare judici etiam legitime interroganti. I. Si scias rem ex confessione. II. Sub secreto. III. Si tibi immineat damnum. IV. Si accepisti à parùm fide dignis. V. Si rem accepisti per injuriam. VI. Si alter probabiliter non peccarit.*
- 269 *Ad quid teneatur falsum testatus.*
- 270 *Quando peccent testes. Dub. 1. An peccent contra justitiam, si se abscondant, ne citentur. Dub. II. An si fugiant post citationem. Dub. 3. An si interrogati veritatem occultent.*
- 271 *Quomodo facienda est depositio testium.*

DUBIUM VII. DE REO.

ARTICULUS I.

An, et quomodo reus teneatur fateri veritatem. pag. 200

272 *Quid respondere possit reus non legitime interrogatus.*

273 *Quando reus non tenebitur crimen fateri.*

- 274 *An teneatur reus crimen fatèri cum timore magnæ pœnæ.*
 275 *An peccet graviter reus qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit.*
 276 *Quando autem tenetur reus suam confessionem revocare.*
 277 *An reus ad se tuendum possit revelare crimina occulta testium, aut accusatoris. Et an peccet graviter, si crimina falsa eis imponat.*
 278 *An reus teneatur revelare complices.*

ARTICULUS II.

Quid liceat reo circa fugam pœnæ. pag. 207

279 *An liceat reo injustè damnato vim vi repellere, aut positivè resistere.*

280 *An reus, qui verè deliquit, possit fugere è carcere.*

281 *An damnatus ad mortem teneatur fugere, si possit.*

282 *An reo ad fugiendum liceat decipere custodes, et effringere carcerem. Et an tunc teneatur ad damnum carceris fracti.*

283 *An liceat aliis reum adjuvare ad fugiendum, aut ad carcerem effringendum.*

284 *An damnatus, ut fame pereat teneatur sumere cibum oblatum.*

285 *An, et quando liceat reo appellare.*

DUB. VIII. Quomodo confessario agendum cum reo. p. 214

DUB. IX. Quæ obligatio medicorum, et pharmacopœorum, et chirurgorum. pag. 216

DUB. X. Quæ obligationes mercatorum, opificum, et cæterorum sæcularium. pag. 218

LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTI NOVÆ LEGIS.

DUB. I. Quid sit sacramentum. pag. 220

1 *Quomodo definiatur sacramentum. Et quæ requirantur ad
essentiam sacramenti.*

2 *Alia communior definitio sacramenti.*

3 *An fuerint vera sacramenta sacrificia, figuræ, et sacra-
menta veteris legis.*

4 *Quid notandum de circumcissione.*

5 *Quæ alia excludantur à ratione sacramenti.*

6 *Plura notanda circa sacramenta. Et quotupliciter sacra-
menta distinguantur.*

7 *An sacramenta causent gratiam physicè, vel moraliter.*

DUB. II. Quid circa materiam, et formam sacramentorum
servandum. pag. 226

8 *Quotupliciter sumatur sacramentum.*

9 *Quæ conjunctio requiratur inter formam, et materiam.*

10 *Vide resolutiones.*

11 *Quæ mutatio invalidet sacramentum.*

12 *An materiæ, et formæ omnium sacramentorum sint à
Christo in specie determinatæ.*

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

DUB. I. Quid requiratur, ut minister det validè sacramen-
tum. pag. 232

Tom. V.

57

- 13 *Ad valorem sacramenti requiritur potestas, et intentio ministri.*
- 14 *Utrum in ministro requiratur etiam attentio.*
- 15 *Quotuplex possit esse intentio.*
- 16 *Non sufficit in ministro intentio habitualis, vel interpretativa.*
- 17 *Non requiritur actualis.*
- 18 *Sufficit virtualis.*
- 19 *An sufficiat intentio coacta, vel cum errore circa personam suscipientis.*
- 20 *An ad validitatem sacramentorum requiratur intentio interna ministri. Et I. An sufficiat sola intentio faciendi actionem externam.*
- 21 *II. An requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana.*
- 22 *III. An requiratur intentio explicita conficiendi sacramentum, aut producendi effectum sacramenti. Et an celebrandi ritum externum uti sacrum.*
- 23 *An minister debeat habere intentionem faciendi ritum sacrum, quam intendit Ecclesia.*
- 24 *Si minister habeat duas intentiones contrarias, quænam debeat prævalere.*
- 25 *Vide resolutiones Busembai.*
- 26 *An sit validum sacramentum collatum sub conditione.*
- 27 *An sit licitum conferre sub conditione sacramenta characterem imprimentia.*
- 28 *An etiam alia sacramenta.*
- 29 *An in extrema necessitate proximi minister possit, et teneatur ministrare sacramentum, quando materia est dubia.*

DUB. II. Quid requiratur in ministro, ut licitè ministret. pag, 246

- 30 *Vide, quæ habentur de hoc apud Busemb.*
- 31 *Primò de statu gratiæ requisito in ministris sacramentorum ad ea ordinatis.*
- 32 *Qu. 1. Quid de aliis ministris ad ea non ordinatis. An sacerdos baptizans non solemniter graviter peccet. An contrahens matrimonium in mortali duplex sacrilegium committat.*
- 33 *An excusentur ministrantes in mortali, si urgeat neces-*

sitas. *Quid de ministrantibus in nosocomiis, de obstetricibus, et maxime de parochis, etc. ministrantibus in necessitate.*

- 34 *Qu. 2. An conferens sacramenta teneatur præmittere confessionem, si sit in mortali.*
- 35 *Qu. 5. An peccet graviter sacerdos, sive diaconus ministrans Eucharistiam in mortali. Quot peccata committat sacerdos celebrans in mortali. Ibid. v. Hinc. An ministrans Eucharistiam pluribus successivè, committat plura peccata. Ibid. An peccet graviter tangens ex officio Eucharistiam in mortali. Ibid. v. Valde.*
- 36 *Qu. 4. An peccet graviter confessarius tantum audiens confessionem in mortali. Qu. 5. An confessarius plures successivè absolvens, plura sacrilegia committat.*
- 37 *Secundò de statu gratiæ requisito in exercentibus alias functiones sacras.*
- 38 *De diacono, et subdiacono ministrante altari in mortali.*
- 39 *De Episcopo conferente in mortali chrisma, vel oleum sanctum.*
- 40 *De Episcopo consecrante in mortali templa, vel benedicente vestes, etc. Et de sacerdote assistente matrimonio, vel benedicente aquam, cineres, etc.*
- 41 *An prædicator concionans in mortali, peccet mortaliter.*
- 42 *Vide apud Busemb. de ministro utente materiâ vel formâ dubiâ, vel corruptam proferente formam, vel omittente cæremonias.*
- 43 *An sacramenta sint indignis deneganda, Dicendum I. Generaliter loquendo, sacrilegium est ministrare sacramenta indignis.*
- 44 *Dicendum II. Peccatori publico negandum est sacramentum, sive occultè, sive publicè petat.*
- 45 *Dub. 1. Quid, si peccatum sit notum tantum aliquibus adstantium.*
- 46 *Dub. 2. Quid, si crimen sit publicum in alio loco.*
- 47 *Dub. 3. An peccatori publico possit unquam ministrari Eucharistia.*
- 48 *Dub. 4. Quid agendum in dubio de crimine, et de penitentia.*
- 49 *Dub. 5. An minister ob metum mortis possit dare sacramentum indigno.*

- 50 *Dicendum III. Peccatori occulto publicè petenti non est negandum sacramentum; secùs si petat occultè.*
- 51 *Qu. 1. An confessarius possit negare sacramentum ob crimen auditum in confessione.*
- 52 *Qu. 2. An Episcopus possit negare sacramentum ordinis peccatori occulto publicè petenti.*
- 53 *Qu. 3. An possit absolvi ordinandus habituatùs in vitio turpi, qui vult ascendere ad ordines sacros. (Remissivè ad num. 63.)*
- 54 *Qu. 4. An parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris. Et ad quid teneatur circa impedimenta.*
- 55 *Qu. 5. An unus sponsorum possit licitè matrimonium inire cum altero excommunicato, vel publico peccatore.*
- 56 *Et an liceat conjugia contrahere cum hæreticis. (Vide etiam n. 1044.)*
- 57 *Qu. 6. An in sacramentis conferendis liceat uti opinione probabili.*
- 58 *Qu. 7. An, et quando ministri teneantur ministrare sacramenta.*
- 59 *Qu. 8. An liceat simulare administrationem sacramenti.*
- 60 *An liceat simulare susceptionem sacramenti. Sed quid si quis simulet se confiteri.*
- 61 *Quid, si quis simulet communicare.*
- 62 *Quid, si quis simulet contrahere matrimonium.*
- 63 *Dissertatio de clerico habituato in vitio turpi cupientè statim initiari sacris; usque ad num. 77.*

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

- DUB. I. *Quæ dispositio requiratur ad valorem sacramenti in suscipiente.* pag. 293
- 78 *Vide, quæ habentur apud Busemb.*
- 79 *An solus homo viator sit capax sacramentorum. An soli baptizati validè suscipiant alia sacramenta.*
- 80 *Nulla requiritur intentio in pueris, et perpetuò amentibus quoad baptismum, confirmationem, et ordinem.*
- 81 *Quæ intentio requiratur in adultis. An sufficiat intentio*

neutralis. An habitualis. Quid de dormientibus, ebriis, et lapsis in amentiam.

82 *An sufficiat intentio interpretativa.*

DUB. II. *Quid requiratur, ut licitè, et cum fructu suscipiatur.* pag. 298

83 *Quæ requirantur in suscipiente sacramenta mortuorum, et quæ in vivorum.*

84 *An aliquando possit ministrari Viaticum à laïco, vel sacerdos non jejunos celebrare.*

85 *An magis dispositi majorem fructum recipiant. An sumant cum fructu Hostiam ii, qui nesciunt esse consecratam.*

86 *Plura notanda de suscipiente sacramenta cum mortali, aut veniali.*

87 *An omnia sacramenta causent gratiam, remoto peccato.*

88 *An liceat petere sacramentum à ministro excommunicato vitando. An sacramentum penitentiae. (Vide infra num. 560. v. Qu. I. ubi tenebimus oppositum doctrinae hic traditæ).*

89 *An à ministro peccatore.*

CAPUT IV.

Quid sint sacramentalia, et quid efficiant. pag. 506

90 *Quid, et quæ sint sacramentalia.*

91 *An sacramentalia vim habeant ex opere operato.*

92 *Quomodo per sacramentalia remittantur peccata.*

93 *Plura notanda.*

94 *De usu Agnorum Dei, aquæ benedictæ, et similitum.*

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE,

CAPUT I.

De baptismo.

pag. 309.

95 *Quomodo distinguatur baptismus.*

96 *De baptismo fluminis.*

97 *De baptismo sanguinis.*

- 98 *An ut martyrium remittat culpam, requiratur in peccatore contritio vel charitas.*
- 99 *Quando martyrium gratiam conferat.*
- 100 *An sint martyres, qui moriuntur in obsequio peste infectorum.*
- 101 *An liceat se offerre ad martyrium, vel se prodere catholicum per abstinentiam à carnibus.*

DUB. I. Quid sit materia baptismi.

pag. 312

- 102 *Quæ sit materia remota baptismi.*
- 103 *I. Quæ sit materia certè valida. II. Quæ certè invalida. III. Quæ dubia. An in necessitate liceat ibi uti opinione etiam tenuiter probabili.*
- 104 *Dub. 1. An sit materia apta aqua per artem chymicam educta. Dub. 2. An saliva, sudor, aut lacrymæ. Dub. 3. An aqua fluens ex vite. Dub. 4. An nix non soluta.*
- 105 *Quæ sit materia proxima baptismi. Vide resolutiones apud Busemb.*
- 106 *Quær. I. An valeat baptismus, si quis projiciat puerum in flumen. Quid si baptizet cum aqua defluente ex tecto. An liceat in necessitate projicere puerum in flumen, ut baptizetur. An autem cum aqua nociva baptizare.*
- 107 *Qu. II. An infans in necessitate possit baptizari in utero matris. Quid, si baptizetur puer tantum in capite egresso ex utero. Qu. III. An valeat baptismus, si aqua attingat tantum vestes, aut capillos. Qu. IV. An valeat baptismus collatus in scapulis, vel pectore. Qu. V. An requiratur trina ablutio. Qu. VI. An sufficiat ad baptismum una vel altera aquæ gutta.*

DUB. II. Quenam sit forma baptismi.

pag. 326

- 108 *Vide apud Busemb. quæ sint formæ validæ. Quæ invalidæ. Quæ dubiæ.*
- 109 *Quot modis possit forma variari. I. Per mutationem.*
- 110 *II. Per corruptionem. III. Per transpositionem.*
- 111 *IV. Per additionem.*

- 112 **V.** *Per diminutionem. Hinc Dub. 1. An invalidet baptismum omissio conjunctionis et. Dub. 2. An omissio præpositionis in. Dub. 3. An valeat baptismus collatus tantum in nomine Christi.*

DUBIUM III. DE MINISTRO BAPTISMI.

ARTICULUS I.

Quis sit minister baptismi. pag. 334

113 *Quis sit minister validi baptismi, et quis liciti.*

114 *Nemo sine commissione potest baptizare extra suam diocesim.*

115 *A quo baptizandi peregrini, vel casu nati. Et an sufficiat quasi domicilium ad constituendum aliquem parochianum illius loci.*

116 *Quando diaconus possit baptizare? Dub. 1. An in necessitate possit baptizare solemniter. Dub. 2. An clericus, aut diaconus, solemniter baptizans sine commissione fiat irregularis. Dub. 3. An fiat irregularis laicus baptizans solemniter.*

117 *Ordo servandus inter ministros baptismi in necessitate conferendi. Dub. 1. An graviter peccet laicus, qui baptizat præsentem sacerdote. Dub. 2. An, qui præsentem sacerdote excommunicato. Dub. 3. An, qui præsentem diacono. Dub. 4. An, qui præsentem clerico inferiori. Dub. 5. An peccent graviter parentes, qui faciunt baptizari prolem à prædicante.*

118 *Not. 1. An possit quis baptizare seipsum. Not. II. Quæ dilatio in ministrando baptismo sit mortalis. Not. III. Quinam infantes prohibeantur domi baptizari.*

ARTICULUS II.

An duo possint simul unum baptizare. pag. 344

DUB. IV. Quid sit subjectum baptismi. pag. 345

121 *Quis sit capax baptismi, an pueri, et amentes.*

122 *De pœnis rebaptizantium. An rebaptizantes sub conditione fiant irregulares.*

- 440 *Index capitum et dubiorum.*
- 423 *De infante nondum nato. (Remissivè ad num. 407.)*
- 424 *An baptizandi sint fœtus abortivi. An plures eodem tempore.*
- 425 *An conferendus sit baptismus monstris.*
- 426 *An sint baptizandi filii infidelium, et quæ in hoc puncto sint certa. Certum est I. talem baptismum semper esse validum.*
- 427 *II. Baptizandos esse filios, si parentes defecerint à fide. Quid si mansuri sint apud parentes hæreticos.*
- 428 *III. Si ipsi filii infidelium petant. Quid in dubio, an careant ratione.*
- 429 *IV. Si sint in periculo mortis.*
- 430 *V. Si sint positi extra curam parentum. VI. Si capti sint in bello. VII. Si parentes sint servi.*
- 431 *VIII. Si unus parentum consentiat.*
- 432 *Dub. 1. An baptizari possint filii infidelium usu rationis carentes, invitis parentibus. Et an ii, quos pater offert, ut liberentur à morbo.*
- 433 *Dub. 2. An liceat vendere infantes parentibus paganis.*
- 434 *An et quando possit repeti baptismus sub conditione. Not. I. Quid, si adsit unus testis de baptismo collato. Not. II. Quid de adultis natis ex christianis. Not. III. Quid, si pueri sint arrepti à barbaris.*
- 435 *De infantibus expositis.*
- 436 *De baptizatis ab obstetricibus, et à laicis.*
- 437 *De baptizatis ab hæreticis.*
- 438 *De effectibus baptismi.*
- 439 *De dispositione requisita in adultis baptizandis.*

DUBIUM V. DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

ARTICULUS I.

Quæ servanda circa cæremonias baptizandi. pag. 362

140 *Quæ servanda quoad cæremonias in baptismo.*

141 *An sit mortale baptizare sine unctione chrismatis, et aquâ consecratâ.*

- 142 *An sit illicitum baptizare extra Ecclesiam. Et quando permittatur.*
- 143 *An omittendæ cæremoniæ in bapt. priv., et an patrinus.*
- 144 *An, collato baptismo privato, cæremoniæ sint supplendæ. Quid, si baptismus fuerit invalidus.*
- 145 *Quid notandum circa nomen in baptismo imponendum, et librum baptismatum.*

ARTICULUS II.

Qui patrini, et quod eorum officium. pag. 366

- 146 *Ad quid teneantur patrini. Et quæ requirantur, ut quis validè sit patrinus.*
- 147 *Quando patrinus teneatur instruere susceptum. Et an possit omitti patrinus in baptismo privato.*
- 148 *Qualis actus requiratur in patrinis, ut contrahant cognationem.*
- 149 *An cognationem contrahat suscipiens, vel baptizans in baptismo privato.*
- 150 *An parentes suscipientes, vel baptizantes filios contrahant impedimentum petendi debitum.*
- 151 *An contrahat cognationem suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione.*
- 152 *An qui ex errore suscipit unum pro alio.*
- 153 *Quis contrahat cognationem, si quis suscipiat nomine alterius.*
- 154 *An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati.*
- 155 *An possint esse patrini ejusdem duo mares, vel duæ fœminæ. Dub. 1. An patrinus masculi debeat esse masculus etc. Dub. 2. An peccent designantes duos mares, vel duas fœminas.*
- 156 *Quid requiratur, ut quis licitè sit patrinus. Repelluntur ab hoc officio: 1. Religiosi. 2. Conjuges, et parentes. 3. Infames. 4. Apostatæ, et hæretici. An autem catholici possint suscipere infantes hæreticorum, hæreticæ baptizante. 5. Plures quàm duo.*
- 157 *An duo conjuges possint esse patrini alienæ prolis.*
- 158 *Vide, quæ habentur apud Busemb.*

159 *Quando graviter peccet parochus circa hanc materiam.*

160 *Quæ debeat moneri parochus post datum baptismum. Et signanter, ne matres decumbant cum infantibus.*

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

DUB. I. Quid sit, et quæ ejus materia, et forma. pag. 379

161 *Quâ ratione confirmatio sit sacramentum.*

162 *Quæ sit materia remota hujus sacramenti. Et an sit materia necessaria oleum olivarum, et balsamum.*

163 *An sit necessaria benedictio chrismatis. Et an hæc possit committi simplici sacerdoti. An sit obligatio uti chrismate novo.*

164 *Quæ materia proxima. Et an ultra chrismationem requiratur altera manuum impositio.*

165 *An unctio possit fieri alio digito, quàm pollicis manûs dexteræ.*

166 *An mediante instrumento.*

167 *De forma in Ecclesia latina.*

168 *Quæ mutationes circa formam invalident sacramentum. De forma Græcorum.*

169 *De effectibus confirmationis.*

DUB. II. Quis sit minister, et quod subjectum. pag. 402

170 *An soli Episcopi sint ministri confirmationis.*

171 *An peccet graviter Episcopus confirmans non suos.*

172 *Et quam pœnam incurrat.*

173 *An autem possit præsumere consensum aliorum Episcoporum.*

174 *Quær. 1. An confirmans, et confirmandus debeant esse jejuni. Quær. 2. An confirmatio ministranda sit in Ecclesia. Et an conferri possit in die feriali, et vespere.*

175 *Quando teneatur Episcopus confirmare.*

176 *Quinam validè confirmentur.*

177 *An infantes.*

178 *An sit illicitum pueros confirmare sine causa.*

179 *Quæ dispositio ad confirmationem requiratur.*

180 *An licitè confirmentur amentes.*

- DUB. III.** Quæ confirmationis necessitas, et cæremoniæ. pag. 408
- 181 *An adsit per se gravis obligatio suscipiendi confirmationem.*
- 182 *An autem per accidens nempe ratione I. Periculi. II. Scandali. III. Contemptus. Et quando contemptus intervenit.*
- 183 *An sit gravis obligatio suscipiendi confirmationem ante susceptionem primæ Tonsuræ.*
- 184 *Quæ cæremoniæ sint servandæ in confirmatione. Et quid notandum I. Quoad vestes Episcopi. II. Quoad locum chrismationis. Et an confirmandi accedere debeant jejuni.*
- 185 *Requiritur etiam 1. Patrinus. 2. Ut hic sit unus. 3. Ut sit confirmatus.*
- 186 *Dub. 1. An peccet graviter, qui tenet non confirmatus. Dub. 2. An patrinus non confirmatus contrahat cognationem.*
- 187 *Requiritur etiam 4. ut patrinus sit diversus à patrino baptismi. An monachi possint esse patrini confirmationis.*
- 188 *An sit obliganda fasciâ frons confirmati. Et an sit necessaria ultima benedictio Episcopi.*



